PRÆCEPTA DOCTRINÆ

LOGICÆ, ETHICÆ, PHYSICÆ, METAPHYSICÆ, SPHÆRICÆQUE,

Brevibus Tabulis compacta:

UNA

Cum Quæstionibus Physicæ *controversis*.

A

M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



OXONII,

Typis *Gulielmi Hall*, Impensis *Iohan. Williams*, sub Signo Anchoræ Cæruleæ, in Vico Vulgo Voc. *Little Brittaine*. Anno Dom. 1667.



Fra: Bayly Ejus Liber 1709

Liberis Francisci Bayly 1709

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISS
Consultissimis, splendore generis, virtute, eruditione, prudentia, & rerum usu præclarissimis Viris.

Dominis Consulibus, Syndicis, & reliquis celeberrimæ Erfurtensium Reipublicæ Senatoribus gravissimis,

Dominis, Patronis, & Fautoribus suis omni observantia colendis.

S. D.

MAgnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, splendore generis, virtute, eruditione, prudentia, & rerum usu præclarissimi Viri, Domini, Patroni, & Fautores omni observantia colendi; Logicæ Peripateticæ Præcepta, quæ mihi & fidei meæ commissa, memoriæ, nec non perspicuitatis ergo, quondam in Tabulas redegi, nunc amicorum meorum solicitationibus permotus, typis prodo: non ut in tanta Logicorum librorum à viris eruditissimis hucusque in publicum emissorum copia, nova præcepta studiosæ juventuti obtrudam, eamque ab optimorum autorum lectione abducam: Sed ut tantummodo memoriæ discentium, pro quibus solis hæc qualia qualia efformata, inserviam. Quantum enim Tabulæ, in quibus multa alioqui passim & sparsim tradita sub uno continentur intuitu, memoriæ prosint, aliis judicandum relinquo. Ediderunt quidem ante hæc Viri Clarissimi Tabulas Logicas, quæ suam merito merentur laudem; sed plerique omissis præceptis Aristotelicis, vel sua, hoc est, suis verbis concepta, vel Rami, cujus Philosophia fere passim exulat, sufficerunt; quæ si adolescentes ediscant, ubi ad Academiam veniunt, alia ex Peripateticorum scriptis memoriæ mandare duplicato labore coguntur. Hoc ut præcaveretur malum,

lum, Aristotelis definitiones ac divisiones Græcas, quæ in nonnullis Academiis à Candidatis Philosophiæ requiri solent, quantum fieri potuit, retinui; additis interdum dilucidis explicationibus ac notis necessariis Philippi Du Trieu, cujus Dialectica jam multorum teritur manibus. Ubi autem ex Aristotele definitiones ac divisiones haberi non potuerunt, substitui aliorum probatorum autorum verba. Quid? nil nisi quod ab aliis bene dictum adolescentes hic habebunt. Tantum igitur abest, ut tyrones & discentes ab optimorum autorum lectione avocem & abducam, ut potius invitem & adducam: Cum enim tum ob discentium memoriam, tum ob pagellarum interdum angustiam, definitionum, divisionum, & regularum exempla, limitationes, uberiores explicationes, nec non alia scitu haud indigna sint omissa; ideoque de illis ut unus vel alter liber Logicus tanquam præceptor mutus consulatur, semperque cum his Tabulis conjungatur, suadeo atque moneo. Vobis vero, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Domini, Patroni & Fautores honorandi, hasce pagellas Logicas, eâ, quâ par est, animi subjectione consecrare volui, propter benevolam V. Magn. Nob. & Ampl. erga literarum studia affectionem, quæ ex vestrarum scholarum amplificatione, illustratione, conservatione, & munificentissimâ nutritione, necnon fideli spectione & necessaria correctione satis cognosci potest. Ut igitur V. Magn. Nob. & Ampl. hoc quicquid est chartacei munusculi fronte serenâ sucipere, favorisque sui radios in me quoque derivare non dedignentur, etiam atque etiam oro. Valete quam felicissime. Dab. 18. Sept. Anno 1628.

V. Magnif. Nob. & Amplit.

submisse colens.

M. JOANNES STIER.



Index Titulorum *Ethicæ*.

Index Titulorum *Physicæ*.

Tract.



Tract. I. Partis Specialis.
De Mundo & corporibus simplicibus.

Tract. II. Partis Specialis.
De Elementis prout sunt causa mixtionis & mutationum physicarum.

Tract. III. Partis Specialis.
De Corporibus imperfecte mixtis, seu de Meteoris.

Tract. IV. Partis Specialis.
De Corporibus perfecte mixtis.

Tract. V. Partis Specialis.
De Partibus humani corporis.

Tract. VI. Partis Specialis.
De Anima.

Index Quæstionum.

Proœmium.

Quæstio I.

Pars Generalis Physices.

Sectio Prima.

Quæst. I.

Sectio Secunda.

Quæst. I.

Pars Specialis Physices.

Sectio Prima.

Quæst. I.

17 An

Index Titulorum *Metaphysicæ.*

Procemium.

Pars Generalis Metaphysicæ.

Pars Specialis Metaphysicæ.



Index

Index Titulorum *Doct. Sphaerica.*

Proœmium.

De Natura & Constitutione Logicæ.

De Natura & Constitutione Logicæ quinque notanda:

- **I. *Nomen*, circa quod duo observanda.**
  1. 'Ετυμολογία *seu unde dicatur* Logica? R. LOGICA dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου, scil. ἐνδιαθέτου, à ratione, quam informat ac perficit. Vulgo dicitur hæc disciplina DIALECTICA, ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, hoc est, *disserere, colloqui cum aliquo.*
  2. *Quomodo differunt Logica & Dialectica?* R. LOGICA se habet ut Totum, nec tantū de probabilibus, sed etiam de necessariis agit. DIALECTICA vero se habet ut Pars, quæ agit tantum de Topicis & probabilibus.
- ***II. Definitio.*** LOGICA est habitus intellectualis instrumentalis mentis nostræ discursum informans, ut ipsa verum, à falso accurate discernere possit.
- ***III. Subjectum*, quod est vel**
  - *Inhæsionis*, quod est intellectus humanus, cui Logica subjective inest.
  - *Operationis sive Objectum*, quod sunt res omnes quatenus notionibus secundis substant. (*Res omnes* sunt Materiale, seu res considerata: *quatenus substant notionibus secundis* est Formale, seu modus considerandi.)
- **IV. *Finis*, qui est vel**
  - *Internus*, qui in ipsa arte comprehenditur, & est Syllogismus, ad quem fere omnia in Logica referuntur.
  - *Externus*, qui quasi extra artem positus, & est discernere verum à falso.
- **V. *Divisio.* Logica dividitur in partem**
  - COMMUNEM, quæ explicat ea quæ formæ Syllogismi inserviunt, & subdividitur secundum triplices operationes mentis, *in tres tractatus.*
    1. De prædicabilibus & prædicamentis, quæ pertinent ad primam mentis operationem, *qua rem sine affirmatione & negatione cognoscimus.*
    2. De Enuntiatione, quæ pertinet ad secundam mentis operationem, *qua aliquid alicui adtribuimus, vel ab eo removemus.*
    3. De Syllogismo formaliter considerato, qui pertinet ad tertiam mentis operationem, *qua ex una vel pluribus propositionibus alteram colligimus.*
  - PROPRIAM, quæ explicat ea quæ materiæ Syllogismi inserviunt, & subdividitur secundum triplicem Syllogismi materiam, *in tres Tractatus*;
    1. De Syllogismo Demonstrativo, *qui fit ex materia necessaria*
    2. De Syllogismo Dialectico, seu Topico, *qui fit ex materia probabili.*
    3. De Syllogismo Sophistico, *qui fit ex materia falsa speciem veri habente.*

¶ Tractatus I. Partis Communis.

De Prædicabilibus & Prædicamentis.

CAP. I.

De Prædicabilibus in genere.

De PRÆDICABILIBVS in genere quatuor notanda;

I. Nomen, cujus observetur.

'Ετυμολογία. PRÆDICABILIA, quæ Græce dicuntur κατηγορήματα seu κατηγορούμενα à verbo κατηγορεῖσθαι, quod hoc loco idem est quod affirmative de aliquo dici, nomen habent à prædicando, non quod semper & ubique prædicentur, siquidem & subjiciuntur, sed quod ab aliis prædicari apta sint. *Prædicatum autem dicitur illud, quod actu jam prædicatur.*

Συνωνυμία. Prædicabilia etiam vocantur *Universalia*, quia quæ de aliis prædicari apta sunt, vel universaliora sunt & communiora suis subjectis, vel æque late patentia.

II. Quid sint? R. Καθόλου ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. *Arist. l. de interp. c.* 5. UNIVERSALE dicitur, quod de pluribus per naturam aptum est prædicari: *Id est*, Universale est terminus simplex, qui, quantum est ex vi significationis quam habet, aptus est vere affirmari de pluribus univoce ac divisim, & (si mentem Porphyrii spectes) intrinsece, idque ratione rei veræ & unius naturæ. *Vide Du Trieu. tr.* 1. *p.* 2. *c,* 1. *a.* 1.

III. Quodnam sit fundamentum Prædicabilium? R. Res singulares seu INDIVIDVA, de quibus duo notanda.

1. *Quid sint?* R. Ἄτομον ἐστιν ὃ ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος λέγεται. *Porphyr. in Isag. c.* 3. INDIVIDUUM est, quod de uno solo singularium dicitur: *Id est*, Individuum est terminus simplex, qui, ex vi significationis quam habet, non est aptus vere affirmari de multis univoce & divisim, sed tantum de uno: ut, *Joannes, Petrus, Bucephalus*, &c.

2. *Quotuplicia sint?* R. Individuum est quadruplex
   1. Determinatum ex nomine, quod est nomen proprium alicujus rei; ut, *Petrus*.
   2. Determinatũ ex demonstratione, quod constat nomine communi & pronõine demonstrativo; ut, *hic homo*.
   3. Vagum, quod constat nomine communi & signo particulari; ut, *aliquis homo*.
   4. Ex hypothesi, quod absolute quidem ex vi significationis suæ dici potest de multis, facta tamen certa suppositione de uno tantum potest affirmari; ut, *Filius Mariæ*, pro *Christo*.

IV. Quot sint? R. Prædicabilia sunt quinque & prædicantur vel in

- *Quid*, ut
  - GENVS, *Cap.* 2.
  - SPECIES, *Cap.* 3.
- *Quale*, vel
  - *Essentiale*, ut, DIFFERENTIA, *Cap* 4.
  - *Accidentale*, & quidem vel
    - *Necessario*, ut, PROPRIVM, *Cap.* 5.
    - *Contingenter*, ut, ACCIDENS *Cap.* 6.



CAP.

CAP. II.

De Genere.

De GENERE duo notanda;

I. *Quid sit?* R. Γένος ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. 1. *Top. c.* 5. GENUS est quod de pluribus & differentibus Specie in quæstione quid sit prædicatur: ut, *animal est genus respectu hominis & bruti.* (Differre Specie, 1. *Metaph. c.* 1. dicuntur ea, quæ sub eodem genere diversas habent definitiones. In quæstione quid est illud prædicatur, quo apte respondetur quærenti quid sit res; v. g. *Animal prædicatur de homine in quæstione quid est à quærenti enim quid est homo, respondetur, Est animal.*)

II. *Quotuplex sit?* R. GENUS est vel

- GENERALISSIMUM, *seu* SUMMUM. Γένος γενικώτατον ἐστιν ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ἐπαναβεβηκὸς γένος. *Porphyr. in Isagog. cap.* 3. Genus generalissimū, supra quod non est aliud Genus superius. *Hujusmodi genera sunt decem: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.*
- SUBALTERNUM, Γένος ὑπάλληλόν ἐστιν, ὃ γένος καὶ εἶδός ἐστιν πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο λαμβανόμενον. Genus subalternum est, quod Genus & Species est ad aliud atque aliud relatum. Genus est respectu inferiorum; ut, *animal respectu hominis*; Species vero est respectu superiorum; ut, *animal respectu corporis.* Vide lineam prædicam. pag. seq.

CAP. III.

De Specie.

De SPECIE duo notanda;

I. *Quid sit?* R. Εἶδός ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. *Porphyr. cap.* 3. SPECIES est, quæ de pluribus & differentibus numero in quæstione quid est prædicatur: *Id est*, Species est, quæ dicitur tantum de differentibus numero; ut, *homo respectu Joannis*, Petri, &c. (Differentia numero & non specie, dicuntur differentia numero tantum; ut sunt individua unius speciei, v. g. *Joannes & Petrus.* Additur etiam particula exclusiva *tantum* ad verbum *dicitur*, ut excludatur genus comparatum ad individua ejusdem speciei; v. g. *Animal dicitur quidem de differentibus tantum numero*, scil. *Joanne, & Petro, sed non dicitur tantum de illis, cum etiam prædicetur de differentibus Specie*, scil. *homine & bruto.*)

II. *Quotuplex sit?* R. SPECIES est

1. vel
   - SUBJICIBILIS, quæ respectum habet ad Genus. εἶδός ἐστι τὸ ταττόμενον ὑπὸ τὸ γένος, καὶ οὗ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται. Species est, quæ collocatur sub Genere & cui genus adtribuitur in quæstione quid est: ut, *homo respectu animalis.*
   - PRÆDICABILIS, quæ respectum habet ad individua, de quibus tantum prædicatur; ut. *homo respectu Petri, Pauli,* &c.
2. vel
   - SPECIALISSIMA seu INFIMA, εἶδος εἰδικώτατόν ἐστιν, ὃ οὐκ ἂν διελοίμεθα εἰς εἴδη. Species specialissima est, quæ alias Species dividi nequit: ut, *homo.*
   - SUBALTERNA, quæ idem est quod Genus sublaternum; *Animal est Genus respectu inferiorum, est vero Species respectu superiorum.*

CAP.

CAP. IV.

De Differentia.

De DIFFERENTIA tria notanda.

I. *Quot modis vox DIFFERENTIÆ accipiatur?* R.
1. *Communiter*, cum aliquid differt ab alio, vel à seipso per accidens aliquod separabile: ut, *ambulans differt à seipso vel ab alio sedente.*
2. *Proprie*, cum aliquid differt ab alio per accidens aliquod difficulter, vel non separabile: ut, *qui cicatricem habet, differt ab eo qui non habet.*
3. *Propriissime*, cum aliquid ab alio differt essentiali qualitate, seu differentia specifica. *Quæ significatio hujus est loci.*

II. *Quid sit?* R. Διαφορά ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων ϗ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ὁποῖόν τι ἐστι κατηγορούμενον, *Porphyr. cap.* 4. DIFFERENTIA est quæ de pluribus specie vel numero differentibus in quæstione quale quid est prædicatur: ut, *rationale est differentia hominis.* (Prædicari in quale quid dicitur illud, quo apte respondetur quærenti qualis sit res secundum essentiam: *v. g. Rationale prædicatur de homine in quale quid, quærenti enim qualis sit homo secundum essentiam, apte respondetur quod sit rationalis.*

III. *Quotuplex sit?* R. DIFFERENTIA est.
1. vel
- *Constitutiva*, quæ constituit speciem; ut, *rationale respectu hominis, sensitivum respectu animalis.*
- *Divisiva*, quæ dividit genus; ut *rationale respectu animalis.* Omnis differentia divisiva est etiam constitutiva, & contra; Divisiva quidem generis, constitutiva vero speciei.

2. vel
- *Generica*, quæ constituit genus; ut, *sensitivum*, *animatum*, &c.
- *Specifica*, quæ proxime constituit speciem specialissimam; *ut, rationale.* (Excluditur hic differentia generica, quæ quidem proxime constituit speciem sed subalternam, speciem specialissimam vero constituit remote.

Linea Prædicamentalis.

	A		
b	Substantia	c	d
Corporea	a	*Incorporea*	*Spiritus*
b	Corpus	c	d
Animatum	a	*Inanimatum*	*Corpus non vivens*
b	Vivens	c	d
Sensitivum	a	*Insensitivum*	*Planta*
b	Animal	c	d
Rationale	a	*Irrationale*	*Brutum*
	β Homo γ		
Petrus	*Joannes*		

A Est Genus Generalissimum sive summum.
a *Genera & Species subalterna seu intermedia.*
a *Species specialissima, seu infima.*

b c *Differentia divisivæ generum* A a.
b *Differentia constitutiva specierum.*
c *Differentia constitutiva specierum* d.
β γ *Basis vel radix, constans individuis.*

CAP

CAP. V.

De Proprio.

De PROPRIO duo notanda:

I. *Quot modis vox PROPRII accipiatur?* PROPRIUM quatuor modis dicitur:

1. Ὃ μόνῳ τινὶ εἴδει συμβέβηκεν, εἰ καὶ μὴ παντί. Quod soli alicui Speciei accidit, etsi non omni: *Id est*, Non omnibus ejus individuis: ut, *esse medicum competit soli homini, sed non omnibus.*
2. Ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ. Quod omni accidit Speciei, etsi non soli: ut, *esse bipedem competit omni homini, sed non soli.*
3. Ὃ μόνῳ καὶ παντὶ καὶ ποτέ. Quod soli & omni & aliquando accidit: ut, *canescere homini soli & omni competit, sed demum in senectute.*
4. Ἐφ' ᾧ συνδεδράμηκε, καὶ τῷ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί. In quod omnia convenerunt, ut soli, & omni semperque accidat: ut, *risibile respectu hominis.* Accidere in his definitionibus, idem est ac competere non essentialiter: Et sic excluditur quælibet differentia.

II. *Quid sit?* R. Ἴδιον ἐστιν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ' ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος. *Topic. c. 4. l. 1.* PROPRIUM est quod non declarat quidditatem seu essentiam rei, soli autem inest, & conversim de re prædicatur. *Sive*, proprium est quod de multis specie vel numero differentibus accidentaliter & necessario prædicatur.

CAP. VI.

De Accidente.

De ACCIDENTE tria notanda:

I. *Quot modis vox* PROPRII *accipiatur?* R. PROPRIUM quatuor modis dicitur:

1. Ut opponitur substantiæ, & dicitur accidens prædicamentale, quod est ens in alio existens; Id est, *Quod ad sui naturalem existentiam requirit subjectum inhæsionis. Sic nulla substantia potest dici accidens.*
2. Ut opponitur essentiæ, vel essentiali, & sic dicitur omne id, quod cum de aliquo prædicari possit, non est essentia, vel de essentia, & conceptu quidditativo. *Sic etiam proprium est accidens.*
3. Vt opponitur proprio, & dicitur id quod contingenter seu non necessario prædicatur de subjecto sive sit substantia, sive accidens prædicamentale. *In hac significatione dicitur accidens prædicabile.*

II. *Quid sit?* R. Συμβεβηκὸς ἐστιν, ὃ γίγνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς, *Porph. c. 6.* ACCIDENS est quod adest, vel abest sine subjecti corruptione. *Id est*, Accidens prædicabile est, quod potest affirmari & negari de subjecto aliquo, salva manente ejus essentia; ut *albedo respectu parietis.*

III. *Quotuplex sit?* R. ACCIDENS est vel

- *Separabile* χωριστὸν, quod re ipsa & facile à subjecto abesse potest, sine ipsius corruptione; ut *albedo respectu parietis.*
- *Inseparabile* ἀχώριστον, quod re ipsa nullo modo, vel ægre admodum abesse potest à subjecto, sine ipsius corruptione: ut, *nigredo respectu corvi, qua tamen mente a corvo separari potest.*

CAP. VII.

De Antepraedicamentis

Doctrina PRÆDICAM: dividitur in

- ANTEPRÆDICAMENTA, quæ complectuntur
  - 1. Tres definitiones, quarum
    - 1. ÆQUIVOCORUM. Ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. *Arist. l. Categ c.* 1. Æquivoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio vero ſubſtantiæ juxta illud nomen eſt diverſa: *Id eſt*, Sunt entia plura quibus tribuitur idem nomen, ſed ita, ut definitio & explicatio nominis ſit diverſa, ut, *Animal latrans & ſidus aliquod cœleſte, ſunt æquivoca reſpectu nominis, Canis, quod utrique tribuitur, ſed in diverſa ſignificatione & explicatione.* (Æquivoca non habent locum in prædicamentis, niſi diſtinguantur.)
    - 2. UNIVOCORUM. Συνώνυμα λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινόν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός. *Ibid.* Univoca dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ juxta illud nomen eadem. *Id eſt*, Sunt entia plura, quibus tribuitur idem nomen, ita ut definitio ſeu explicatio nominis ſemper etiam maneat eadem, ut, *homo & equus ſunt univoca reſpectu nominis animalis*, (Univoca per ſe ſolum ſunt in prædicamentis & omnia quæ ſunt ejuſdem prædicamenti, prædicantur univoce.)
    - 3. DENOMINATIVORUM. Παρώνυμα λέγεται, ὅσα ἀπό τινος, διαφέροντα τῇ πτώσει, τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει. *Ibid.* Denominativa dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia caſu, ſecundum nomen appellationem habent: *Id eſt*, Quæcunque ab aliquo ſimpliciori, non quidem quoad literas, ſed quoad ſignificationem terminatione differunt, ſuamque idem accipiunt denominationem, ſeu derivatur; ut, *Iuſtus eſt denominativum, quia a Juſtitia, quæ eſt quoad ſignificationem ſimplicius quid, a quo non ſolum terminatione differt, ſed etiam derivatur.* (Denominativa non per ſe ſed reductive ſunt in eodem prædicamento cum denominante, à quo ſuam appellationem habent.
  - 2. Duas diviſiones,
  - 3. Duas regulas. *Vide pag. ſeq.*
- PRÆDICAMENTA ipſa, *vide cap.* 8.
- POSTPRÆDICAMENTA, *vide cap.* 14.

Sequuntur duæ DIVISIONES, *quarum*

1. VOCUM, τῶν λεγομένων. Eorum quæ dicuntur,

τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται. Quædam cum complexione dicuntur: ut, *homo currit*. Terminus complexus est unus terminus conflatus ex duobus retinentibus integras significationes.

τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς. Quædam sine complexione dicuntur: ut, *homo*, *equus*, &c. Terminus incomplexus est unus terminus carens compositione duorum per se significantium. (Incomplexa tantum pertinent ad prædicamenta: complexa vero non, nisi reddantur incomplexa.)

2. RERUM, τῶν ὄντων. Eorum quæ sunt,

1. Τὰ μὲν καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, ἐν ὑποκειμένῳ δὲ οὐδενί ἐστιν. Quædam de subjecto dicuntur, in subjecto vero nullo sunt: ut substantiæ universales, v. g. *homo*, *animal*, *corpus*. (Per *dici de subjecto* intelliguntur universalia quæ possunt esse prædicata: Per *non esse in subjecto* intelliguntur substantiæ.)

2. Τὰ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ μέν ἐστι, καθ' ὑποκειμένου δὲ οὐδενὸς λέγεται. Quædam in subjecto aliquo sunt, de subjecto autem nullo dicuntur: ut accidentia singularia, ver. gr. *hæc albedo*, *hæc nigredo*. Quid vero sit esse in subjecto, explicat Arist. lib. Categ. cap. 2. his verbis; ἐν ὑποκειμένῳ δὲ λέγω, ὃ ἔν τινι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστιν. In subjecto esse dico, quod cum in aliquo sit non tanquam pars, non potest esse sine eo in quo est. Per *esse in subjecto*, intelliguntur singularia, quæ non possunt esse prædicata alicujus subjecti.)

3. Τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου τε λέγεται, καὶ ἐν ὑποκειμένῳ ἐστιν. Quædam de subjecto dicuntur, & in subjecto sunt: ut accidentia universalia, verbi gratia, *albedo*, *nigredo*.

4. Τὰ δὲ οὔτε ἐν ὑποκειμένῳ ἐστιν οὔτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται. Quædam nec in subjecto sunt, nec de subjecto aliquo dicuntur: ut substantiæ singulares, verbi gratia, *Petrus*, *Paulus*.

Sequuntur duæ REGULÆ.

1. Ὅταν ἕτερον καθ' ἑτέρου κατηγορῆται, ὡς καθ' ὑποκειμένου, ὅσα κατὰ τοῦ κατηγορουμένου λέγεται, πάντα καὶ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου ῥηθήσεται. *Lib. Categ. c. 3.* Cum alterum de altero prædicatur, tanquam de subjecto, ea quæ de prædicato dicuntur (*scilicet directe*) dicentur etiam de subjecto: ut, *quia animal prædicatur de homine, igitur quicquid de animali directe prædicatur*, v. g. *corpus*, *substantia*, &c. *etiam de homine prædicari potest*.

2. Τῶν ἑτερογενῶν καὶ μὴ ὑπ' ἄλληλα τεταγμένων, ἕτεραι τῷ εἴδει καὶ αἱ διαφοραί. τῶν δὲ γε ὑπ' ἄλληλα γενομένων οὐδὲν κωλύει τὰς αὐτὰς διαφορὰς εἶναι. Generum diversorum, & non subalternatim positorum diversæ sunt specie differentiæ. Eorum vero, quæ subalternatim posita sunt, nihil prohibet easdem esse differentias: ut, *Substantia*, & *qualitas diversa sunt genera, habent itaque diversas specie differentias.*

CAP. VIII.

De Prædicamentis in genere.

De PRÆDICAMENTIS in genere tria notanda:

- I. *Quid sit?* R. PRÆDICAMENTUM est alicujus generis summi realis, & eorum quæ sub ipso sunt naturalis dispositio.
- II. *Quot sint?* R. PRÆDICAMENTA sunt dec.
  - 1. SVBSTANTIA, οὐσία. *cap.* 9.
  - 2. QVANTITAS, ποσόν. *c.* 10.
  - 3. QVALITAS, ποιόν. *c.* 11.
  - 4. RELATIO, πρός τι. *c.* 12.
  - 5. ACTIO, τὸ ποιεῖν.
  - 6. PASSIO, τὸ πάσχειν.
  - 7. QVANDO, πότε.
  - 8. VBI, ποῦ.
  - 9. SITVS, κεῖσθαι.
  - 1. HABITVS, ἔχειν.
  - (5–10:) *cap.* 13.
- III. *Quot modis aliquid ponatur in prædicamento?* R.
  - 1. *Directe* Hic not.
    - 1. *Quænam directe ponantur in Prædicamentis?* R. Summum genus, cum iis de quibus prædicatur in quid, nimirum subalternis, speciebus specialissimis, & individuis.
    - 2. *Quot requirantur, ut aliquid directe ponatur in prædicamento?* R. Quinq; scilicet, ut sit
      - 1. Terminus simplex. *Hinc rejiciuntur a prædicamentis orationes, & voces complexæ quoad significationē.*
      - 2. Ens reale, *h.e.* quod reipsa existit, vel saltem existere potest. *Hinc excluduntur entia rationis.*
      - 3. Ens unum, *h. e*, quod est unius naturæ. *Hinc excluduntur omnes termini significantes, composita per accidens, ut arte facta, quæ componuntur ex substantia, & figura quæ est accidens.*
      - 4. Ens completum, *h.e.* quod non concurrit tanquam pars ad compositionem rei unius naturæ. *Hinc excluduntur partes.*
      - 5. Ens Finitum: ut, *sunt omnes creaturæ.*
  - 2. *Indirecte*, nempe differentiæ: quæ ad latus generum tantummodo constituuntur ad divisionem faciendam.
  - 3. *Reductive*, quæ nimirum aliquem respectum habent ad ea, quæ directe collocantur: v. g. *Partes reducuntur ad prædicamentum, in quo est Totum.*

CAP.

CAP. IX.
De Substantia.

De SUBSTANTIA tria notanda

I. *Quid sit?* R. SUBSTANTIA est ens per se existens: ut *homo*, *lapis*, *&c.* (Illud dicitur per se existere, quod non est in alio, tanquam in subjecto inhæsionis;)

II. *Quotuplex sit?* R. SUBSTANTIA est vel

- *Prima* seu *Singularis*, quæ nec de subjecto aliquo dicitur, nec in subjecto aliquo est; ut, *individua*, verbi gratia, *Petrus*, *Paulus*, *&c.* (Cum substantia dicitur à substando, merito substantia singularis dicitur prima substantia, quia substat omnibus aliis tanquam primum & imum fundamentum; non solum enim omnia accidentia recipiuntur in illo, ut in subjecto inhæsionis, sed etiam omnes substantiæ illi insunt essentialiter, & de ea prædicantur, tanquam de primo subjecto essentiali.
- *Secunda* seu *Universalis*, quæ de subjecto aliquo dici ut, licet in nullo subjecto sit; ut, *genera & species, sub quibus prima substantiæ collocantur*; verbi gratia, *Animal & homo, sub quibus continentur Socrates & Plato* (Cum substantia universalis non substet omnibus aliis substantiis, sed tantum accidentibus, non est primum reliquorum fundamentum & subjectum, sed velut secundarium, & ideo recte dicitur substantia secunda.

III. *Proprietates:*

1. *Κοινὸν κατὰ πάσης ὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι Arist. libr. Categ. cap.* 5. Commune est omni substantiæ non esse in subjecto: Omnis substantia existit sine subjecto inhæsionis.)
2. *Ὑπάρχει ταῖς ὐσίαις τὸ μηδὲν αὐταῖς ἐναντίον εἶναι.* Convenit substantiis nihil eis esse contrarium: *Id est*, Una substantia non est alteri contraria per se & ratione sui, } sicut sibi invicem contraria sunt quæcunque definitione contrariorum continentur; v.g. *calor & frigus.*) Per accidens vero & ratione alterius potest una substantia alteri esse contraria; ut, *aqua & ignis respectu caloris & frigoris.*
3. *Δοκεῖ ἡ ὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον.* Substantia non videtur accidere magis & minus:) *Id est*, Substantia non intenditur & remittitur secundum esse suum substantiale; verbi gratia, *Paulus non est magis homo quam* Petrus; vel, *Petrus senex non magis vel minus est homo qam cum puer fuit.*) At ratione substandi aliis quo proprior est primæ substantiæ & pluribus subiat, eo magis est substantia.
4. *Μάλιστα ἴδιον τῆς ὐσίας δοκεῖ εἶναι, τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν.* (Maxime proprium substantiæ esse videtur, eandem & numero unam esse capacem contrariorum:) *Id est*, Vna & eadem substantia vicissim suscipere potest contraria tanquam subjectum ultimum, *hoc est*, quod non est in ulteriori subjecto; ut, (*Eadem aqua vicissim recipit calorem & frigus.*) (Quantitas etiam recipere potest vicissim contraria, ut, *superficies albedinem et nigredinem*, sed tanquam subjectum ultimum, cum ipsa etiam in alio subjecto, scilicet in substantia recipiatur.)

CAP. X.

De Quantitate.

De QUANTITATE tria notanda :

- **I.** *Quid sit?* R. QUANTITAS est accidens per se extensum: ut, *superficies tabulæ: Tabula enim non per se ipsam, sed per superficiem, quam habet, est extensa.* (Excluduntur hic qualitas & alia accidentia, quæ extensa sunt non per se, sed per quantitatem : v. g. *Albedo in charta est extensa ad extensionem chartæ.*)
- **II.** *Quotuplex sit? R.* QUANTITAS est vel
  - *Continua,* de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. Quantitas continua est, cujus partes aliquo termino communi copulantur: ut, *linea, cujus partes copulantur termino communi, scilicet puncto.* (Terminus est aliquid indivisibile in quantitate ; *estque triplex :* Inchoans, ut, *primum momentum horæ :* Finiens, ut, *ultimum momentum horæ :* Communis, ut, *medium momentum horæ.*)
    - 1. *Ejus Species,* quæ sunt quatuor:
      - 1. *Linea,* quæ est magnitudo longa non lata, cujus partes puncto copulantur.
      - 2. *Superficies,* quæ est magnitudo longa & lata non profunda, cujus partes linea copulantur.
      - 3. *Corpus,* quod hic non denotat substantiam corpoream, sed est magnitudo longa, lata, & profunda, cujus partes superficie copulantur.
      - 4. *Tempus,* quod est quantitas successiva, cui repugnat habere omnes partes simul existentes : ut, *hora, dies, annus.*
  - *Discreta,* de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. Quantitas discreta est, cujus partes nullo termino communi copulantur : ut *binarius, ternarius, & cæteri numeri.*
    - 2. *Ejus Species,* quæ sunt duæ :
      - 1. *Numerus,* qui est multitudo ex unitatibus collecta.
      - 2. *Oratio,* qua syllabæ longæ & breves mensurantur.
- **III.** *Proprietates.*
  - 1. τῷ ποσῷ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον. *Arist. L. Categ. c. 6.* Quanto nihil est contrarium. *Id est,* Una quantitas non est alteri contraria per se: v. g. *una linea non est contraria alteri lineæ.* Per accidens vero una quantitas potest alteri esse contraria : v. g. *superficies alba nigræ.*
  - 2. Οὐ δοκεῖ τὸ ποσὸν ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Quantum non videtur recipere magis & minus. *Id est,* Concretæ quantitates non prædicantur cum adverbiis magis & minus : ut, *unum bicubitum non dicitur alio magis vel minus bicubitum.*
  - 3. Ἴδιον μάλιστα τοῦ ποσοῦ τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι. Maxime proprium est quanti, juxta illud dici æquale vel inæquale : Solæ enim quantitates dicuntur per se *id est, ratione sui,* æquales vel inæquales ; alia vero dicuntur æqualia vel inæqualia ratione ipsarum quantitatum.

CAP. XI.

De Qualitate:

De QUALITATE tria notanda:

- I. *Quid ſit ? R.* Ποιότητα λέγω, καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται. *Lib. Categ. cap.* 8. QUALITATEM dico, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur : ut, *albedo; ab ea enim homo dicitur albus.* (Genus definiti eſt forma accidentalis : Hinc excluduntur formæ ſubſtantiales ; ut, *anima :* & differentiæ ſubſtantiarum ; ut, *rationale. Dici quale* eſt denominatio concreti, per quod aperte reſpondetur quæſtioni factæ per quale tantum : ut, *paries dicitur qualis ab albedine, quia ſi quæratur, qualis ſit paries, recte reſpondetur eſſe albus.*)
- II. *Quotuplex ſit ? R.* QUALITAS dividitur in quatuor Species, quæ omnes duplici voce ſub disjunctione exprimuntur.
  - 1. vel
    - *Habitus*, qui eſt qualitas diu permanens & difficulter mobilis, qua promptum eſt ejus ſubjectum ad facile exercendas actiones. *Huc pertinent omnes ſcientiæ, artes, virtutes, vitia.*
    - *Diſpoſitio*, quæ eſt qualitas facile mobilis à ſubjecto, & via ad Habitum, qua difficulter adhuc quodammodo actiones obeuntur.
  - 2. vel
    - *Potentia naturalis*, quæ eſt qualitas à natura ingenita, qua ſubjectum aptum eſt ad aliquid agendum, reſiſtendum, vel patiendum. *Huc pertinent omnes facultates animalium, plantarum, lapidum,* &c.
    - *Impotentia naturalis*, quæ ſubjectum ineptum facit ad aliquid agendum, reſiſtendum, vel patiendum.
  - 3. vel
    - *Patibilis qualitas*, eſt diu permanens qualitas, quæ aut ſenſum movet, aut ex motu aliquo naſcitur : ut, *color nativus, inveteratum odium. Huc pertinent propria objecta ſenſuum, & affectus animi.*
    - *Paſſio*, eſt fluxa quædam, aut brevi tranſiens qualitas, quæ aut movet ſenſum, aut ex motu oritur : ut, *pallor ex metu.*
  - 4. vel
    - *Forma*, eſt qualitas quæ reſultat ex terminatione quantitatis in re aliqua naturali ſpectatæ : ut, *forma hominis, aut leonis, qua ex lineamentis corporis naſcitur.*
    - *Figura*, quæ reſultat ex terminatione quantitatis ſimpliciter ac in ſe ſpectatæ : ut, *figura trianguli.*
- III. *Proprietates :*
  - 1. ὑπάρχει ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν. Ineſt contrarietas in qualitate. *Id eſt*, Qualitas una eſt alteri contraria per ſe : ut, *albedo nigredini.*
  - 2. ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά. Qualia recipiunt magis & minus. *Id eſt*, Concreta qualitatis prædicari poſſunt cum adverbiis magis & minus ; ut, *unum album dicitur magis album quàm alterum.*
  - 3. ὅμοια ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται. Similia aut diſſimilia ſecundum ſolas qualitates dicuntur. *Id eſt*, Quæcunque dicuntur ſimilia aut diſſimilia, dicuntur talia ratione qualitatum ſuarum: ut, *duo parietes albi ſunt ſimiles ratione ſuarum albedinum.*

C P P. XII.

De Relatis.

De RELATIS quatuor notanda:

- I. *Quid sit?* R. Ἔστι τὰ πρός τι, οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τί πως ἔχειν, *Lib. Categ. cap.* 7. RELATA sunt, quorum esse nihil aliud est, quam de aliquid se quodammodo habere: *Id est*, Quæ nihil aliud denotant, quam relationem ad aliud: ut, *pater filius*, *&c.*
- II. *Quot in vera* RELATIONE *sint consideranda?* R. Quinque:
  1. *Subjectum*, quod ut & aliorum accidentium omnium est substantia.
  2. *Fundamentum*, quod est accidens aliquod absolutum, quo mediante relatio suo subjecto inesse potest.
  3. *Ratio Fundandi*, quæ est conditio, sine qua relatio non sequitur fundamentum.
  4. *Termini* qui sunt duo correlativa, quæ ad se invicem referuntur.
  5. *Relatio ipsa*, quæ est mutuus terminorum inter se respectus.
- III. *Quotuplicia? Resp.* Sunt
  - 1. vel
    - *Secundum dici*, quæ primario in alio prædicamento locum habent, & quodammodo ad aliud refertur: ut, *scientia & scibile.*
    - *Secundum esse*, quorum tota essentia in eo posita est, ut referantur ad aliud. *Hac sola hoc prædicamentum constituunt.*
  - 2. vel
    - *Æquiparantiæ*, quæ referuntur ad correlativa ejusdem nominis: ut, *Frater*, *&c.*
    - *Disquiparantiæ*, quæ referuntur ad correlativa ejusdem nominis: ut, dominus, *&c.*
- IV. *Proprietates:*
  1. Πάντα τὰ πρός τι ἀντιστρέφοντα λέγεται. Omnia relata referuntur ad ea quæ reciprocantur: *Id est*, Omnia relativa referuntur ad sua correlata: ut, *Pater est filii pater, filius est patris filius.*
  2. Δοκεῖ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι. Videntur Relata simul natura esse: Sic dato patre datur filius, & dato filio datur pater.
  3. Ἐάν τις εἰδῇ τι ὡρισμένως τῶν πρός τι, κἀκεῖνο πρὸς ὃ λέγεται ὡρισμένως εἴσεται. Si quis unum relatorum definite noverit, etiam id ad quod refertur definite noscet.

C A P. XIII.

De sex ultimis Prædicamentis.

De sex ultimis PRÆDICAM.

- De ACTIONE & PASSIONE tria notanda:
  - I. *Quid sint?* R.
    - ACTIO est forma à qua quidpiam dicitur agere.
    - PASSIO est forma à qua quidpiam dicitur pati.
  - II. *Quotuplex sit* ACTIO? *R.* vel
    - *Immanens*, quæ manet in agente, nullamque evidentem mutationem extrinsecus infert: *intellectio.*
    - *Transiens*, quæ ab agente exit, & in patiente tanquam in subjecto recipitur: ut, *calefactio.*
  - III *Proprietates:*
    1. Recipiunt contrarium: Id est, *Actio potest esse contraria actioni, & passioni.*
    2. Recipiunt magis & minus: i. e. *Concreta Actionis & Passionis quædam possunt prædicari cum adverbiis magis & minus.*
- QUANDO, est existentia rei in tempore: ut, *fuisse heri*, *esse hodie*, *&c.*
- UBI, est præsentia rei in loco: ut, *esse in schola*, *foro*, *templo*, *&c.*
- SITUS, est dispositio partium in toto in ordine ad locum: ut, *stare*, *cubare*, *&c.*
- HABITUS, est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio: ut, *esse calceatũ.*

C A P.

CAP. XIV.

De Post prædicamentis.

POSTRÆDICAMENTA sunt quinque:

- I. *OPPOSITA*, de quibus 2. notanda:
  - I. *Quid sit?* R. OPPOSITA sunt repugnantia, quorum neutrum alicui tertio æque vel magis repugnat eodem repugnandi modo: ut, *album & nigrum, album enim nulli tam repugnat quam nigro, nec vice versa.*
  - 2. *Quotuplicia sint?* R. *OPPOSITA* sunt quadruplicia:
    - I. *RELATIVE OPPOSITA*, quæ sibi ut relatum & correlatum opponuntur: ut, *Pater & filius.*
    - 2. *CONTRARIA*, de quibus duo notanda:
      - I. *Quid sint?* R. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime à se invicem distant, eidemque subjecto susceptibili vicissim insunt, à quo se mutuo expellunt, nisi alterum insit à natura; ut, *album & nigrum.*
      - 2. *Quotuplicia sint?* R. Sunt
        - *Immediata*, quorũ alterum necesse est inesse subjecto susceptibili: *Id est*, quæ non habent medium, quod sit subjectum capax; ut *par & impar in numero.*
        - *Mediata*, quorum alterum inesse necesse non est: *Id est*, quæ habent medium quod sit subjectum capax; ut, *album & nigrum.*
    - 3. *PRIVATIVA*, quæ sunt habitus & privatio illi opposita; ut, *visus & cæcitas.* Habitus hic dicitur quævis forma quæ haberi potest; ut *visus, vita, &c.* Privatio vero est absentia istius formæ à subjecto capaci, & tempore à natura determinato; ut *cæcitas, mors, &c.*
    - 4. *CONTRADICTORIA*, quæ opponuntur sicut esse & non esse simpliciter; ut, *homo, non homo; album, non album.*
- II. *PRIUS*, quod dicitur quinq; modis.
  - 1. *Tempore*, quod altero est antiquius; ut, *Noah, Abrahamo.*
  - 2. *Natura*, quod ab altero recte infertur, sed non vicissim alterum infert; *Sic unum prius est duobus.*
  - 3. *Ordine*, quod ordine alterum præcedit; *Sic exordium prius est Narratione.*
  - 4. *Dignitate*, quod altero est dignius & præstantius ut, *aurum argento.*
  - 5. *Consecutione*, quod alterius causa existens cum eo convertitur; ut, *Sol respectu luminis diurni.*
- III. *SIMUL* quæ tribus modis dicuntur;
  - 1. *Tempore*, quorum productio fit eodem tempore; ut, *ratio & risibile.*
  - 2. *Natura*, quæ ita convertuntur, ut neutrum alterius causa sit; ut, *relatum & correlatum.*
  - 3. *Divisione*, quæ divisum æqualiter dividunt: ut, *Species ejusdem generis.*
- IV. *MOTUS*, cujus species communiter sex sunt; *Generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, motus localis.* Vide Phys.
- V. *HABERE*, quod per omnia prædicamenta vagatur: Unde Versus,

  Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum:
  Membrum, contentum, possessio, vir, mulierem.

¶ Tractatus II. Partis Communis.

De Enunciatione.

CAP. I.

De Nomine, Verbo, & Oratione.

INTERPRETATIO est vel

- *Simplex*, in Orationis elementis quæ sunt
  - NOMEN, de quo duo notanda:
    - I. *Quid sit?* R. Ὄνομά ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. *Arist. lib. de Interp. cap.* 2. NOMEN est vox finita & recta significans ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separatim: ut, *homo, candor,* &c. (significare sine tempore est præter principale significatum nullam primariam temporis differentiam denotare. Primariæ autem temporis differentiæ sunt tres: Præteritum, Præsens, & futurum.
    - II. *Quotuplex sit?* R. Nomen est
      - 1. vel
        - *Finitum*, quod sine præposita particula *Non* effertur, & rem definitam seu certam significat: ut, *homo.*
        - *Infinitum*, cui præfigitur particula negativa *Non*: ut, *non homo.*
      - 2. vel
        - *Rectum*, quod nominativo casu effertur.
        - *Obliquum*, quod reliquis casibus exprimitur.
  - VERBUM de quo duo not.
    - I. *Quid sit?* R. Ῥῆμά ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων, σημεῖον. *Lib. de Interp. cap.* 3. VERBUM est quod significat tempus, cujus nulla pars significat separatim, & est semper nota eorum quæ de altero dicuntur: ut, *currit.*
    - II. *Quotuplex sit?* R. Verbum est
      - 1. vel
        - *Finitum*, de quo idem judicandum, ac de nomine finito.
        - *Infinitum*: ut, *non valet, non currit.*
      - 2. vel
        - *Rectum*, quod est præsentis temporis & indicativi modi.
        - *Obliquum*, quod est reliquorum temporum & modorum.
- *Composita*, quæ est Oratio, de qua duo not..
  - I. *Quid sit?* Λόγος ἐστὶ φωνὴ σημαντική, ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, ὡς φάσις, ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις. *Lib. de Interpr. cap.* 4. ORATIO est vox significans, cujus aliqua pars significat separatim, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio: ut, *homo studet.*
  - II. *Quotuplex sit?* R. Oratio est vel
    - *Imperfecta*, quæ non gignit perfectum sensum in animo audientis: ut, *homo albus.*
    - *Perfecta*, quæ est vel
      - *Non enunciativa*, in qua nec est verum nec falsum: *ut sunt orationes interrogativa, imperativa, deprecativa & optativa.*
      - *Enunciativa*, seu *ENUNCIATIO.* Cap. 2.

CAP.

CAP. II.

De enunciatione in genere.

De ENUNCIATIONE in genere IV. not.

- I. *Quid sit?* R. Ἀπόφανσίς ἐστι λόγος ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. *l. de Interp. c.4.* Enunciatio est oratio in qua verum vel falsum inest.
- II. *Quot & quæ in Enunciatione reperiantur?* R. Tria.
  - 1. SVBJECTVM, est id de quo aliquid affirmatur aut negatur.
  - 2. PRÆDICATVM, est id quod de aliquo affirmatur aut negatur. (*Subjectum et Prædicatum dicuntur etiam* extrema, *sive* termini, *item* partes enunciationis, *& constat utrumque interdum una, interdum pluribus vocibus.*)
  - 3. COPVLA, est verbum substantivum conjungens prædicatum cum subjecto, & ponitur vel
    - *Explicite*, quando aliquid ordine constructionis post verbum in nominativo ponitur; ut, *Deus est Spiritus.*
    - *Implicite*, quando nihil ordine constructionis post verbum in nominativo ponitur, tunc enim verbum in nominativo ponitur, tunc enim verbum continet in se copulam & prædicatum; ut, *Petrus orat Deum*, id est, *Petrus est orans* Deum.
- III. *Quotuplex sit?* R. ENUNCIATO dividitur
  - 1. *Secundum* Essentiam. Vide cap. 3.
  - 2. *Secundum* Qualitatem. } Vide cap. 4.
  - 3. *Secundum* Quantitatem. } Vide cap. 4.
  - 4. *Secundum* Materiam. Vide cap. 5.

CAP. II.

De Enunciationis divisione secundum essentiam.

Ratione essentiæ ENUNCIATIO est vel

- SIMPLEX, de qua duo notanda;
  - I. *Quid sit?* ENUNCIATIO SIMPLEX seu CATEGORICA est, quæ unum prædicatum de uno subjecto affirmat vel negat: ut, *homo est animal.*
  - II. *Quotuplex sit?* R,
    - 1. vel
      - *Absoluta*, sive de inesse, quæ absolute significat aliquid inesse, aut non inesse alicui: ut *homo vivit.*
      - *Modalis*, quæ prædicatum dicit inesse subjecto non absolute, sed cum aliquo quatuor modorum: Necesse, possibile, impossibile, contingens: ut *necesse est hominem esse animal.*
    - 2. vel
      - *Finita*, cujus subjectum & prædicatum est finitum.
      - *Infinita*, cujus subjectum, vel prædicatum, vel utrumque est infinitum; ut, *homo est non lapis.*
    - 3. vel
      - De Verbo substantivo, quæ vel
        - *De secundo adjacente*, in qua ponitur verbum substantivum, nullo nomine post illud sequente; ut, *homo est.*
        - *De tertio adjacente*, in qua ponitur verbum substantivum, nomine alio post illud sequente; ut, *homo est mortalis.*
      - *De verbo adjectivo*; quando prædicatur quodcunq; verbum aliud præter substantivum, sum, es, est; ut *cælum movetur.*
- COMPOSITA, quæ constat pluribus enunciationibus tanquam præcipuis partibus; *cap.* 8.

CAP.

CAP. VI.

De Enunciationis divisione secundum Qualitatem & Quantitatem.

Enunciatio, ratione

- QUALITATIS, est vel
  - *Affirmativa*, in qua prædicatum affirmatur de subjecto: *Aristoteles est Philosophus*. Κατάφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος. *L. de Int. c.* 4. Affirmatio est enunciatio alicujus de aliquo.
  - *Negativa*, in qua prædicatũ removetur à subjecto: ut, *vitium non est amandũ*. Ἀπόφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος. Negatio est enunciatio alicujus ab aliquo. (Ut enunciatio sit negativa, necesse est particulam negandi justo loco poni; h.e. *Vel toti orationi præmitti; vel copulæ vel verbo adjectivo vim copulandi habenti immediate addi*.
- QUANTITATIS, est vel
  - *Universalis*, cujus subjecto præfigitur signum universale; ut, *Nullus homo est lapis*. Signa universalia sunt, *Omnis, quicunque, quisque, nullus, &c.*
  - *Particularis*, cujus subjecto præfigitur signum particulare; ut, *Quidam homo est doctus*. Signa particularia sunt, *Quidam, nonnullus, non omnis, &c.*
  - *Indefinita*, cujus subjecto communi nullum signũ præfigitur; ut, *homo currit*.
  - *Singularis*, quæ constat subjecto singulari; ut, Petrus *ambulat*.

CAP. II.

De Enunciationis divisione secundum Materiam.

Enunciatio, ratione MATERIÆ, est

- 1. vel
  - *Vera*, quæ cum re quam affirmat vel negat, consentit, *vel*, quæ est conformis rei significatæ; ut, *homo est rationalis*.
  - *Falsa*, quæ à re, quam affirmat vel negat, dissentit; ut; *homo est lapis*.
- 2. vel
  - *Necessaria*, quæ sic est vera, ut non possit esse falsa; ut, *homo est rationalis*.
  - *Contingens*, quæ potest esse vera & falsa; ut, *Ioannes est probus*.
  - *Impossibilis*, quæ sic est falsa, ut non possit esse vera; ut, *homo est brutum*.
- 3. vel
  - *Essentialis*, cujus totum prædicatum est de essentia subjecti; ut, *homo est animal*. Illud dicitur esse de essentia, sine quo alterius natura nec esse nec concipi potest.
  - *Accidentalis*, cujus prædicatum vel nulla ex parte, vel non totum est de essentia subjecti; ut, *Joannes est albus*, vel *Joannes est homo albus*.
- 5. vel
  - *Ordinata*, in qua id prædicatur, quod aptius est prædicari quam subjici, quod potissimum fit quando superius prædicatur de inferiori, vel accidens de suo subjecto.
  - *Inordinata*, quæ est vel
    - *Contra ordinem*, in qua id prædicatur quod aptius est subjici, ut si inferius prædicatur de superiori, vel subjectum de accidente.
    - *Præter ordinem*, in qua neutrum aptius est subjici, vel prædicari quam alterum; estq; vel
      - *Identica*, cujus subjectum & prædicatum sunt ejusdem prorsus significationis; ut *ensis est gladius*.
      - *Per accidens*, in qua duo concreta de se invicem prædicantur propter identitatem subjecti, quorum tamen prædicatio in abstracto est falsa; ut, *album est dulce*.
- 5. vel
  - *Propria*, cum prædicatũ dicitur de subjecto per modum aliquem 5. prædicabilium.
  - *Figurata*, cum res duæ disparatæ de se invicem prædicantur per tropum aliquem; ut, *Herodes est vulpes*.
  - *Inusitata*, ubi modus prædicandi inusitatus est, licet voces propriam suam significationem retineant: ut, *Deus est homo*.

CAP. VI.

De Oppositione & Æquipollentia.

AFFECTIONES Enunciationis sunt potiss. III.

- I. OPPOSITIO, de qua tria notanda:
  - 1. *Quid sit?* R. OPPOSITIO est duarum enunciationum, eodem subjecto prædicatoq; constantium, repugnatio secundum affirmationem & negationem. Sic Itaque vera oppositio ejusdem de eodem fiat πρὸς τὸ αὐτὸ ad idem, κατὰ τὸ αὐτὸ secundum idem, ὡσαύτως καὶ μὴ ὁμωνύμως similiter & non æquivocè, ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ respectu ejusdem temporis.
  - 2. *Quotuplex sit?* R. OPPOSITIO est triplex.
    - *Contraria*, quæ est inter duas enunciationes universales, quarum altera est affirmativa, altera negativa: ut, *O. homo est doctus. N. homo est doctus.*
    - *Subcontraria*, quæ est inter duas enunciationes particulares, quarum altera est affirmativa, altera negativa: ut, *Q. homo est doctus. Q. homo non est doctus.*
    - *Contradictoria*, quæ vel
      - 1. Inter universalem affirmativam & particularem negativam: ut, *O. homo est doctus. Q. homo est doctus.* non
      - 2. Inter universalem negativam & particularem affirmativam: ut, *N. homo est doctus. Q. homo est doctus.*
      - 3. Inter duas singulares, quarum altera est affirmativa, altera negativa: ut, *Socrates est Philosophus. Socrates non est Philosophus.*
  - 3. *Regulæ* sive *Leges.*
    - 1. Contrariæ non possunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ.
    - 2. Subcontrariæ possunt esse simul veræ, non simul falsæ.
    - 3. Contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt, sed necessario una vera est & altera falsa quoad tempus præsens vel præteritum; *At de futuris contingentibus non est determinata veritas vel falsitas respectu hominum.*
- II. ÆQUIPOLLENTIA, de qua duo notanda:
  - 1. *Quid sit?* R. ÆQUIPOLLENTIA est qua duæ vel plures enunciationes, mediante negatione, ad eundem quantitatis & qualitatis valorem reducantur.
  - 3. *Regulæ.*
    - 1. Si subjecto enunciationis universalis postponatur negatio, reddetur æquipollens suæ contrariæ.
    - 2. Si subjecto alicujus enunciationis præponatur negatio, reddetur æquipollens suæ contradictoriæ.
    - 3. Si subjecto enunciationis præponatur simul & postponatur negatio, reddetur æquipollens suæ subalternæ. *Enunciationes subalternæ sunt duæ enunciationes constantes eodem prædicato, & subjecto ejusdem qualitatis, sed diversæ quantitatis: ut,* O. *homo est animal.* Q. *homo est animal.*
- III. CONVERSIO. *Vide Cap. 7.*

CAP.

CAP. VII.

De Conversione.

De CONVERSIONE tria notanda:

I. *Quid sit?* R. CONVERSIO est, cum, salva veritate, ex subjecto enunciationis fit prædicatum, & ex prædicato subjectum. Prior enunciatio, cujus subjectum & prædicatum commutantur, dicitur *Conversa*: Posterior, quæ fit ex commutatis extremis, dicitur *Convertens*.

II. *Quotuplex sit?* R. triplex: Conversio

- *Simplex* de qua not.
  1. *Quid sit?* R. Conversio simplex est, cum simpliciter ex subjecto fit prædicatum, & ex prædicato subjectum, manente eadem quantitate & qualitate.
  2. *Quæ Enunciationes ea convertantur?* R.
     1. Univers. negans; ut, *N. homo est lapis. N. lapis est homo.*
     2. Partic. affirmans: ut, *Q. homo est doctus. Q. doctum est homo.*
- *Per accidens*, de qua not.
  1. *Quid sit?* R. Conversio per accidens est, cum ita convertitur enunciatio, ut maneat eadem qualitas, sed mutetur quantitas.
  2. *Quæ Enunciationes ea convertantur?* R.
     1. Univers. affir. in partic. affirm. ut, *O homo est animal. Q. animal est homo.*
     2. Univers. neg. in partic. neg. ut, *N. homo est lapis. Q. lapis non est homo.*
- *Per contrapositionem*, de qua not.
  1. *Quid sit?* R. Conversio per contrapositionem est, cum ita enunciatio convertitur, ut ex finita negante fiat infinita affirmans, vel contra, ex finita affirmante fiat infinita negans.
  2. *Quæ Enunciationes ea convertantur?* R.
     1. Univers. affirm. finita in univers. neg. infinitam infiniti subjecti: ut, *Omnis homo est animal. Omne quod non est animal, non est homo.*
     2. Partic. neg. finita in part. affir. infinitam infiniti subjecti: ut, *Q. homo est doctus. Q. non doctū est homo.*

III. *Regulæ.*

1. In omni conversione totum subjectum fiat prædicatum, & contra.
2. Verbum interdum resolvendum est in participium & copulam, vel alio modo per pronomen relativum est circumscribendum: ut, *O. stellæ sunt in cœlo. Q. exsistentia in cœlo sunt stellæ.*

CAP. VIII.

De Enunciatione composita.

De Enunc. Compos. 3. not.

I. *Quid sit?* R. ENUNCIATIO COMPOSITA est, quæ ex simplicibus enunciationibus conjunctione aliqua nectitur. *Dicitur etiam Hypothetica.*

II. *Quotuplex sit?* R. Est vel

- *Conditionalis* seu *Hypothetica proprie dicta*, in qua duæ enunciationes simplices connectuntur per particulam SI; ut, *si dies est, lux est*
- *Disjunctiva*, in qua duæ aut plures enunciationes simplices connectuntur per particulam disjunctivam AUT, VEL, & similem: ut, *aut dies est, aut nox est.*
- *Copulativa*, in qua duæ aut plures enunciationes simplices connectuntur per particulam copulativam ET, vel similem: ut, *homo est animal, & est rationalis.*

III. *Regula.* Ex enunciationibus compositis affirmativis fiunt negativæ, si præponatur particula NON: ut, *non si pauper est indoctus est.*

Tractatus III. Partis Communis.

De Syllogismo.

CAP. I.

De Syllogismo in genere.

De SYLLOGISMO quatuor not.

- **I. *STRUCTURA.*** in qua de Syllogismo not.
  - 1. *Quid sit?* R. Συλλογισμὸς ἐστὶ λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι *lib.* 1. *prior anal. cap.* 1. SYLOGISMUS est oratio in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt. *Id est*, Syllogismus est oratio, in qua, duabus præmissis simplicibus in modo & figura recte dispositis, conclusio à præmissis diversa colligitur per necessariam & formalem consequentiam, propter legitimam præmissarum in modo & figura dispositionem. *Du Trieu. tr.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *a.* 3.
  - 2. *Principia*, quæ sunt vel
    - *Interna*, quæ sunt in ipso Syllogismo; *Suntque*
      - *Materialia*, ex quibus velut materia construitur Syllogismus, *cap.* 2.
      - *Formalia*, quæ sunt dispositiones quædam principiorum materialium. *c.* 13.
    - *Externa*, quæ non sunt in ipso Syllogismo. *Suntque.*
      - *Dirigentia*, ad quæ tanquā ad normam syllogismos conformare oportet, *c.* 4.
      - *Perficientia*, quibus necessitas concludendi redditur evidentior, *c.* 5.
- II. ***EUPORIA*** seu ***INVENTIO MEDII***, *cap.* 6.
- III. ***ANALYSIS***, *cap.* 7.
- IV. ***AFFINIA.***

CAP. II.

De Principiis Materialibus.

Principia MATERIALIA sunt vel

- *Remota*, quæ sunt TERMINI, de quibus duo notanda;
  - 1. *Quid sint?* R. Ὅρον καλῶ εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται. *Terminum* appello in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur.
  - 2. *Quot sint?* R. Tres;
    - *Major Terminus*, qui est prædicatum conclusionis. *Alias dicitur*, Majus extremum.
    - *Minor Terminus*, qui est subjectum conclusionis. *Alias dicitur*, Minus extremum.
    - *Medius Terminus*, qui bis ante conclusionem ponitur. *Alias dicitur*, Medium *quia est nexus extremorum.*
- *Propinqua*, quæ sunt PROPOSITIONES, de quibus duo notanda;
  - 1. *Quid sint?* R. Πρότασις ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικὸς τινὸς κατά τινος. *Propositio* est oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat vel negat.
  - 2. *Quot sint?* R. Tres
    - *Major propositio*, in qua major terminus cum medio disponitur. *Alias* κατ' ἐξοχὴν *dicitur* Propositio.
    - *Minor propositio*, in qua minor terminus cum medio disponitur. *Alias dicitur* Assumptio. *Si conjunctim sumuntur major & minor propositio, dicuntur* præmissæ, *quia conclusioni præmittuntur.*
    - *Conclusio*, in qua major terminus cum minore conjungitur. *Et hac ex præmissis infertur.*

CAP.

CAP. III.
De Principiis Formalibus.

Principia FORMALIA sunt vel

- *Remota*, quæ sunt FIGURÆ, de quibus duo notanda;
  - I. *Quid sint?* R. FIGURA SYLLOGISTICA est extremorum cum medio ad aliquid concludendum apta collocatio. *Vel*, est dispositio medii cum extremis secundum subjectionem & prædicationem.
  - 2. *Quot sint?* R. tres sunt Figuræ.
    - *PRIMA*, in qua medius Terminus subjicitur in majore propositione, & prædicatur in minore: ut, *O. animal est substantia. O. homo est animal. E. O. homo est substantia.* Syllogismi directi primæ figuræ dicuntur *perfecti*, quia nullo indigent principio perficienti, ut necessaria eorum consequentia appareat; Syllogismi vero secundæ & tertiæ figuræ, & quinque indirecti primæ dicuntur *imperfecti*.
    - *SECUNDA*, in qua medius Terminus bis prædicatur, nempe in utraque præmissarum; ut, *N. brutum est rationale. O. homo est rationalis. E. N. homo est brutum.*
    - *TERTIA*, in qua medius Terminus bis subjicitur, nempe in utraque præmissarum; ut, *O. homo est rationalis. O. homo est animal. E. Q. animale est rationale.*
- *Propinqua*, quæ sunt MODI, de quibus notanda;
  - I. *Quid sint?* R. MODUS SYLLOGISTICUS est trium propositionum Syllogismi dispositio, secundum quantitatem & qualitatem.
  - 2. *Quot & quotuplices sint?* R. Modi sunt vel
    - *Directi*, in quibus majus extremum concluditur de minori. *Horum sunt quatuordecem.*
      - Primæ figuræ *sunt* 4.
        - BARBARA.
        - CELARENT.
        - DARII.
        - FERIO.
      - Secundæ figuræ *sunt* 4.
        - CESARE.
        - CAMESTRES.
        - FESTINO.
        - BAROCO.
      - Tertiæ figuræ *sunt* 6.
        - DARAPTI.
        - FELAPTON.
        - DISAMIS.
        - DATISI.
        - BOCARDO.
        - FERISON.
    - *Indirecti*, in quibus minus extremum concluditur de majori. *Tales in prima figura sunt quinque.*
      - BARALIP.
      - CELANTES.
      - DABITIS.
      - FAPESMO.
      - FRICESMO.
  - 3. *Quid hi modi significent?* R. in his vocabulis duo notanda;
    - 1. *Syllabæ*, quæ in unoquoque modo tres sunt, quarum prima majorem propositionem, secunda minorem, & tertia conclusionem denotat.
    - 2. *Vocales*, quæ sunt quatuor;
      - A. Significat Univers. affirm.
      - E. Significat Univers. Neg.
      - I. Significat Partic. affirm.
      - O. Significat Partic. neg.

CAP.

CAP. IV.

De Principiis Regulativis.

Principia DIRIGENTIA seu REGULATIVA sunt vel

- *Primaria*, quæ in prima figura actu, in reliquis vero potestate deprehenduntur, *sunt duo*;
  - DICTUM DE OMNI. *Λέγω δὲ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι. ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν, καθ' οὗ θάτερον οὐ λεχθήσεται. Arist. lib.* 1. *prior. Anal. cap.* 1. Dici de omni est, quando nihil est sumere subjecti, de quo alterum non dicatur: *Id est*, Dici de omni est, cum quidquid affirmatur universaliter de subjecto, affirmatur de quovis contento sub illo.
  - DICTUM DE NULLO. *Τὸ κατὰ μηδενὸς κατηγορεῖσθαι ἐστιν, ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν, ἀφ' οὗ θάτερον οὐκ ἀφαιρεθήσεται.* Dici de nullo est, quando nihil est sumere subjecti à quo alterum non removeatur: *Id est*, Dici de nullo est, cum quidquid universaliter negatur de subjecto, negatur de quovis contento sub illo.
- *Secundaria*, & sunt REGULÆ SYLLOGISTICÆ quæ vel,
  - *Generales & Communes omnibus figuris*:
    1. In Syllogismo non sint plures termini quam tres. *Cavendum itaque ne sit ambiguitas in terminis.*
    2. Medius terminus non ingrediatur conclusionem.
    3. In altera præmissarum medius terminus debet distribui: *Id est, Universaliter sumi pro omni re, pro qua accipi potest.*
    4. Terminus non distributus in antecedente, non debet distribui in consequente.
    5. Ex puris negativis nihil sequitur.
    6. Ex puris particularibus nihil sequitur.
    7. Conclusio sequitur partem debiliorem: *hoc est, Si una præmissarum est negativa, conclusio etiam sit negativa: Et si una præmissarum est particularis, conclusio quoque sit particularis.*
    8. Non fit plus in conclusione, quam fuit in præmissis.
  - *Speciales*, quæ pertinent vel ad *Figuram*
    - *Primam*:
      1. Prima figura major debet esse universalis.
      2. In prima figura cum minor est negativa nihil sequitur.
    - *Secundam*:
      1. In secunda figura major sit universalis.
      2. In secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur.
    - *Tertiam*:
      1. In tertia figura cum minor est negativa nihil sequitur.
      2. In tertia figura conclusio debet esse particularis.

CAP. V.

De Principiis Perficientibus.

Principia PERFICIENTIA sunt,

- I. REDUCTIO, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* R. Reductio est, qua ex Syllogismis secundæ & tertiæ figuræ fiunt Syllogismi primæ, ad patefaciendam necessitatem concludendi.
  - 2. *Quotuplex?* R. Duplex:
    - OSTENSIVA, quando conversione, vel conversione & transpositione præmissarum infertur conclusio eadem, aut ejus conversa.
    - PER IMPOSSIBILE, quando ex contradictoria conclusionis, una præmissarum infertur contradictoria alterius præmissæ. *Quæ vero propositio retinenda, monstrant hi Versus:*

      Servat majorem, variatque secunda minorem.
      Tertia majorem variat, servatque minorem.
  - 3. *Quomodo perficiatur?* R. Hoc ostendunt certæ in modis 2. & 3. fig. consonantes, quæ sunt vel
    - *Initiales:* B.C.D F. ostendunt modum secundæ & tertiæ figuræ reducendum esse ad modum primæ figuræ, qui similem habet initialem: *e.g. Cesare ad Celarent.*
    - *Intermedia & finales* S.P.M.C. quæ ad antecedentē vocalē referri debent, monent, quo medio Reductio sit perficienda, *juxta versiculos*;

      S. vult simpliciter verti, P. vero per accid.
      M. vult transponi, C. per impossibile duci.
- II. EXPOSITIO ἔκθεσις, quando medio singulari substituto in locum medii communis, infertur eadem conclusio quæ inferebatur in Syllogismo de medio communi. Locum tantum habet in tertia figura: *e.g.* sit Syllogismus, *Q. homo est justus. O. homo est mortalis. E. Q. Mortalis est justus.* Expositione sic perficitur; *Socrates est justus. Socrates est mortalis. E. Q. Mortalis est justus.*

CAP. VI.

De Inventione medii.

De INVENTIONE MEDII III. not.

- I. *Quid sit?* R. INVENTIO MEDII est qua paratur copia argumentorum ad quodvis problema apte concludendum. *Dicitur etiam Euporia.*
- II. *Unde medium desumatur?* R. vel ex
  - *Antecedentibus.* Antecedentia sunt, de quibus aliquid prædicari potest.
  - *Consequentibus.* Consequentia sunt, quæ prædicari possunt.
  - *Repugnantibus.* Repugnantia sunt, quæ neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus conveniunt.
- III. *Regulæ*
  - 1. Ut quæstio Universalis affirmativa confirmetur, quærendum est medium, quod sit Antecedens Prædicati, & Consequens Subjecti.
  - 2. Ut quæstio Partic. Affirm. confirmetur, quærendum est medium, quod sit Antecedens Prædicati, & Subjecti; vel Antecedens Prædicati & Consequens Subjecti.
  - 3. Ut quæstio Univers. Negat. confirmetur, quærendum est medium, quod sit vel Repugnans Prædicati, & Consequens Subjecti; vel Consequens Prædicati & repugnans Subjecti.
  - 4. Ut quæstio Part. Neg. confirmetur, quærendum est medium, quod sit vel Repugnans Prædicati, & Antecedens Subjecti; vel Repugnans Prædicati, & Consequens Subjecti.

CAP.

CAP. VII.

De Analysi Syllogismorum.

De ANALYSI 2. not.

- I. *Quid sit?* R. ANALYSIS est, quæ docet dicta scriptaque omnia posito subjecto & conclusione retexere, causasque & principia inquirere veritatis ut adpareat, an recte aliquid traditum & conclusum sit.
- II. *Regula.*
  1. Subjectum primarium investiga, & constitue de illo quæstionem principalem, quæ est conclusio Syllogismi primarii.
  2. Duas propositiones quære, quibus autor principalem quæstionem adstruxit, vel destruxit, easque in terminos resolve; datis terminis, apte dispone, & ad legitimam figuram & modum revoca.
  3. Ubi termini reduplicativi occurrunt, reduplicatio illa non medio vel minori, sed majori termino addenda est, tam in majori propositione, quam in conclusione. *Reduplicatio designatur voce* quatenus, *vel* in quantum.
  4. Discerne Prosyllogismos à primario Syllogismo, nec confunde illustrationes, amplificationes, similitudines cum argumentatione.
  5. Quæ desunt supple, quæ vero supersunt amputa.

CAP. VIII.

De Inductione, Exemplo, & Enthymemate.

AFFINIA Syllogismi sunt tria ita partim ab

- Aristotele, lib. 2. post. Anal. *quæ potiss. sunt tria:*
  - I. *INDUCTIO.* Ἐπαγωγή ἐστιν ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. 1. *Top. c.* 12. Inductio est à singularibus ad universalia progressio: *Id est*, Argumentatio, in qua, enumeratis omnibus vel pluribus minus communibus, infertur universale distributum: ut, *Vinum Rhenanum calefacit, vinum Italicum calefacit, vinum Hispanicum calefacit, & nullum dissimile exemplum reperire licet. E. Omnia vina calefaciunt.*
  - II. *EXEMPLUM.* Παράδειγμά ἐστιν, ὅταν τῷ μέσῳ τὸ ἄκρον ὑπάρχον δειχθῇ διὰ τοῦ ὁμοίου τῷ τρίτῳ. 2. *Prior. Anal. c.* 24. Exemplum est, cum majus extremum ostenditur inesse medio per quoddam simile tertio: *vel*, Exemplum est ab uno vel quibusdam singularibus ad aliud per aliquam similitudinem progressio: ut, *David pœnitens misericordiam impetravit. E. Et nos impetrabimus, si pœnitentiam egerimus.*
  - III. *ENTHYMEMA*, de quo duo notanda:
    1. *Quid sit?* R. Ἐνθύμημα ἐστι συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων καὶ σημείων. 2. *Prior. Anal. c.* 27. Enthymema est Syllogismus imperfectus ex verisimilibus & signis: ut, *Hæc mulier gestat uterum. E. Hæc mulier pariet.* (Syllogismus imperfectus hic dicitur, cui deest una præmissarum. Verisimile, est propositio probabilis: Signum vero est, quælibet propositio apta ad probandum, seu necessaria, seu probabilis.)
    2. *Regula.* Si in antecedente non adparet prædicatum consequentis, deest major propositio: Si non adparet subjectum consequentis, deest minor.
- Aliis Logicis. *Vide cap.* 9.

CAP. IX.

De Sorite, Syllogismo Composito, & Dilemmate.

AFFINIA SYLLOGISMORUM ab aliis Logicis tradita, sunt

I. SORITES de quo duo notanda.

1. *Quid sit?* R. SORITES est coacervatio Syllogismorum, in qua prædicatum primæ propositionis fit subjectum in secunda, secundæ prædicatum fit subjectum in tertia, donec tandem in conclusione primum subjectum cum postremo prædicato conjungatur, & ita concludatur: ut, *O. homo est animal. O. animal est corpus vivens. O. corpus est substantia. E. O. homo est substantia.* (Sorites implicite continet plures Syllogismos primæ figuræ, inquibus posterior propositio fit major, prior vero minor: ut, *Si in allato exemplo duas primas propositiones invertas, habebis dispositionem primæ figuræ.*)

2. *Regulæ consequentia*: Quidquid dicitur de prædicato universalis propositionis, dicitur & de subjecto ejusdem.

II. SYLLOGISMUS COMPOSITUS, de quo duo not.

1. *Quid sit?* R. SYLLOGISMUS COMPOSITUS seu Hypotheticus est, quo una præmissarum vel ambæ sunt compositæ.

2. *Quotuplex sit?* R. Triplex:

- *CONDITIONALIS*, de quo duo notanda:
  1. *Quid sit?* R. Syllogismus conditionalis seu Hypotheticus proprie dictus est, cujus major propositio est conditionalis: ut, *Si dies est, Sol ortus est; Atqui dies est: E. Sol ortus est.*
  2. *Ejus modi*, qui sunt duo:
     1. A positione antecedentis ad positionem consequentis.
     2. A remotione consequentis ad remotionem antecedentis.
- *DISJUNCTIVUS*, de quo duo notanda:
  1. *Quid sit?* R. Syllogismus disjunctivus est, cujus major propositio est disjunctiva: ut, *Aut dies est, aut nox est; Sed dies est. E. nox non est.*
  2. *Ejus modi*, qui sunt duo:
     1. A positione antecedentis ad remotionem consequentis.
     2. A positione consequentis ad remotionem antecedentis.
- *COPULATIVUS*, qui majorem habet copulativam negantem: ut, *Non & homo est & equus. Sed est homo. E. Non est equus.*

III. DILEMMA, est Syllogismus disjunctivus, minoris utramque partem rationibus confirmans, adeoque utrinque petens atque feriens adversarium. Dicitur etiam Syllogismus cornutus: ut, *Aut probus est, aut improbus: Si improbus, cur ejus conversatione uteris? Si probus, cur culpas?*

Tractatus

Tractatus I. Partis Propriæ.

De Enunciatione.

De Demonstratione in genere.

De DEMONSTRATIONE sex notanda:

- I. *Quid sit?* R. Ἀπόδειξίς ἐστι συλλογισμὸς ἐπιστημονικὸς ἐξ ἀληθῶν, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος. *lib.* 1. *poster. Anal. cap.* 2. DEMONSTRATIO est Syllogismus scientiam pariens ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & caussis conclusionis: ut, *O. rationale est risibile. O. homo est rationalis. E. Omnis homo est risibilis.*
- II. *Partes*, quæ sunt
  - *Remota*, quæ sunt tres TERMINI, alias dicti tria præcognita;
    - MINOR TERMINUS est subjectum, de quo affectio demonstratur.
    - MAJOR TERMINUS est affectio vel passio propria, quæ demonstratur de subjecto per causam.
    - MEDIUS TERMINUS est principium vel causa, ob quam affectio inest subjecto, ideo de eo per eam scilicet causam demonstratur.
  - *Propinqua*, quæ sunt
    - CONCLUSIO, quæ constat subjecto, ejusque affectione propria demonstrabili.
    - PRÆMISSÆ, quæ debent esse.
      1. *Vera*; Ex falsis enim nihil potest demonstrari; & illud, quod est ex iis quæ non sunt, sciri nequit, cum non entis nulla sit scientia.
      2. *Necessaria*; Est autem necessitas propositionis nihil aliud quam prædicati cum subjecto perpetuus ac insolubilis nexus. *Ejus tres sunt gradus, de quibus cap. seq.*
      3. *Prima & immediata*; *h. e.* indemonstrabiles. Propositio immediata est, inter cujus subjectum & prædicatum nullum interpositum est medium, quod sit causa cur prædicatum inhæreat subjecto.
      4. *Priores conclusione*, quia demonstratio ex causis conficitur.
      5. *Notiores conclusione*; & respectu nostri, & natura. Quoad nos priora notiora dicuntur, quæ propinquiora sensui sunt: ut, *singularia*. Simpliciter sive natura priora notiorave dicuntur, quæ à sensu longius distant: ut, *universalia*.
      6. *Causa conclusionis*; Nam scire est rem per causam cognoscere.
- III. *Gradus Necessitatis. Cap.* 2.
- IV. *Species. Cap.* 3.
- V. *Proprietates. Cap.* 4.
- VI. *Effectus. Cap.* 5.

CAP. II.

De gradibus Necessitatis.

Gradus Necessitatis sunt tres;

I. Κατὰ παντός. DE OMNI. Κατὰ παντὸς μὲν τοῦτο λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐπὶ τινὸς μὲν, τινὸς δὲ μὴ, μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ μή. 1. *Poster. Anal. cap.* 4. De omni dico, quod non est in aliquo quidem, in aliquo vero non; neque aliquando quidem, aliquando vero non: *Id est*, Illa propositio dicitur κατὰ παντὸς cujus prædicatum non solum omni subjecto inest, sed etiam semper; ut, *homo est animal.*

II. Καθ' αὑτὸ, PER SE; qui includit de omni, & insuper requirit essentialem nexum. *Hujus quatuor sunt modi*;

1. Καθ' αὑτὰ δ', ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστι. Per se insunt, quæcunque insunt in eo, quod quid est: *Id est*, quando prædicatum est de definitione subjecti; ut, *cum prædicatur Genus, vel Differentia de Specie.*
2. Καθ' αὑτὰ ἐστιν, ὅσα τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι, τῷ τί ἐστι δηλοῦντι. Per se est quando ita aliquid alteri inest, ut id, cui inest accipiatur de ejus definitione: *Id est*, Quando subjectum est de definitione prædicati; ut, *cum prædicatur proprium de suo subjecto.*
3. Ἔτι καθ' αὑτὸ λέγω, ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός Præterea id per se dico, quod non de subjecto dicitur alio quodam: *Id est*, Quando existentia prædicatur de substantia; ut, *homo est*; *rosa est.*
4. Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον, τὸ μὲν δι' αὑτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ καθ' αὑτό. Ad hæc alio modo, illud quidem propter se; quod inest cuique per se: *Id est*, Quando causa externa prædicatur de suo effectu, aut contra; ut *jugulatus interiit.*

III. Καθόλου VNIVERSALE. Καθόλου λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ, καὶ καθ' αὑτὸ, καὶ ᾗ αὐτό. Universale dico, quod omni inest, per se, & quatenus tale: *id est*, Quando prædicatum non solum omni subjecto, semper & per se inest; sed etiam reciproce; ut, *homo est rationalis.*

CAP. III.

De Speciebus Demonstrationis.

Demonst. est duplex;

Τοῦ διότι, DEMONSTRATIO PROPTER QVID, quando accidens proprium subjecto inesse ostenditur per causam proximam, ut, *O. rationale est docile. O. homo est rationalis.* E. O. *homo est docilis.* Dicitur etiam demonstratio potissima, item à priori.

Τοῦ ὅτι, DEMONSTRATIO QVOD, vel QVIA, quæ est duplex;

- *Una*, cum ex effectu proximo demonstratur causa ut, O. *docile est rationale. O homo est docilis* E. O. *homo est rationalis.* Hæc dicitur demonstratio à posteriori, item à Signo.
- *Altera*, cum ex causa remota demonstratur effectus, ut, O. *Respirans est animal.* N. *Planta est animal.* E. N. *planta respirat.*

CAP.

CAP. IV.

De Proprietatibus Demonstrationis.

Proprietates Demonstrationis.

- I. Demonstrationis principia sint propria. *Ergo*
  - 1. Non sint aliena. οὐκ ἄρα ἐστὶν ἐξ ἄλλου γένους μεταβάντα δεῖξαι. 1. *post. Anal. cap.* 7. Non licet in demonstrationibus de genere in aliud genus migrare.
  - 2. Non sint communia. οὐκ ἔστιν ἀποδεῖξαι ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλ' ἢ ἐκ τῶν ἰδίων ἀρχῶν. *ibid.* Non licet demonstrare unumquodque simpliciter, nisi ex propriis principiis.
- II. Demonstratio non est rerum fortuitarum. Τοῦ δὲ ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη δι' ἀποδείξεως. 1. *post. Anal. c.* 25.
- III. Demonstratio non est rerum sub sensum cadentium, sed universalium & perpetuarũ.
- IV. In demonstratione est finitius processus : id est, *devenire debemus ad principia prima, immediata, & indemonstrabilia, quæ amplius probari non possunt.*
- V. Demonstratio in primo modo primæ figuræ optime formatur. Τῶν σχημάτων ἐπιστημονικὸν μάλιστα τὸ πρῶτόν ἐστι. 1. *post. Anal. cap.* 11. Figurarum maxime ad scientiam comparandam accommodata est prima.
- VI. Demonstratio universalis est nobilior particulari, & affirmativa præstat negativæ, & ostensiva nobilior est ducente ad impossibile.

CAP. V.

De Effectis & Fructibus Demonstrationis.

Effecta & Fructus Demonstrationis sunt

- *Scientia cur sit, quam parit Demonstratio prout est demonstratio.* Hic duo not. sunt ;
  - I. *Quid sit scientia?* R. Ἐπίστασθαι οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. 1. *post. Anal. cap.* 2. Scire putamus unamquamque rem simpliciter, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, ejus rei causam esse, nec posse eam aliter se habere : *Id est*, Scientia est cognitio causæ propter quam res est, & quod aliter res illa se habere nequeat.
  - II. *Opposita Scientiæ*, quæ sunt
    - 1. *Opinio*, quæ differt à Scientia
      - 1. *Subjecto :* Scientia est rerum necessarium ; Opinio vero contingentium.
      - 2. *Modo :* Scientia est constans ; Opinio vero inconstans.
    - 2. *Ignorantia*, quæ est vel
      - Κατὰ ἀπόφασιν, Secundum negationem, quæ est mera scientiæ privatio.
      - Κατὰ διάθεσιν, Secundum pravam dispositionem, quæ est falsa persuasio, qua quis deceptus scire se putat quod ignorat.
- *Scientia seu cognitio quid sit*, quam parit Demonstratio, quatenus converti potest in *Definitionem* : de qua vide Cap. 6.
- *Methodus*, Vide Cap. 8.

CAP. VI.

De Divisione.

DEFINITIONIS notanda tum

- *Investigatio*, quæ fit per DIVISIONEM, de qua tria not.
  - I. *Quid sit?* R. DIVISIO est oratio, qua totum in suas partes dividitur: ut, *hominis alia pars corpus*, *alia pars anima.* Totum, quod dividitur, & à quo incipit divisio, *Divisum* appellatur: Partes vero in quas divisio finitur, *Membra dividentia*, vel *divisionis* dicuntur.
  - II. *Quotuplex sit?* R. Duplex;
    - NOMINIS, qua distinguitur multiplex significatio termini æquivoci: ut, *nomen canis aliquando significat animal latrans, aliquando sidus cœleste.* Dicitur distinctio.
    - REI, quæ Triplex:
      - 1. *Totius integralis*, qua totum integrale distribuitur in partes integrantes: ut, *hominis alia pars caput, alia brachia, alia venter, &c.* Dicitur divisio.
      - 2. *Totius essentialis*, quæ vel
        - *Realis* seu *Physica*, qua totum essentiale dividitur in materiam & formam:
        - *Rationalis* sive *Metaphysica*, qua totum essentiale dividitur in genus & differentiam.
      - 3. *Totius Universalis*, quæ potiss. est quadruplex:
        - 1. Generis in species: ut, *animalium aliud homo, aliud brutum.* Huc pertinet divisio Speciei in individua, Differentiæ in species vel individua, Generis in differentias, Differentiæ in differentias.
        - 2. Accidentis in subjecta: ut, *alborum aliud lilium, aliud nix.*
        - 3. Subjecti in accidentia: ut, *hominum alii probi, alii improbi.*
        - 4. Accidentis in accidētia: ut, *dulcium aliud album, aliud flavum.*
  - III. *Regula* sive *Leges.*
    - 1. Divisum debet plus continere quam singula membra dividentia; sc. *separatim sumpta.*
    - 2. Divisum debet adæquari membris dividentibus simul sumptis: id est, *Divisio non sit latior vel angustior diviso.*
    - 3. Omnia membra dividentia debent inter sese pugnare: id est, *unum sub altero non contineatur.*
    - 4. Divisio fiat in membra proxima.
    - 5. Membra dividentia sint pauca.
- *Doctrina ipsa. Vide cap. 7.*

CAP. VII.

De Definitione.

De DEFINITIONE tria notanda:

- I. *Quid sit?* R. Ὁρισμός ἐστι λόγος τοῦ τί ἐστι. 2. *post. Anal. c.* 19. DEFINITIO est oratio explicans quid res sit: ut, *hac oratio*, Animal rationale, *respectu hominis.* DEFINITUM est id, quod oratione explicatur: ut, Homo, *respectu hujus orationis*, animal rationale.
- II. *Quotuplex sit?* R. vel
  - NOMINIS, quæ alicujus vocis significationem exponit: ut, *Eclipsis Lunæ est ejus deliquium seu defectus.* Dicitur alias Definitio quid Nominis.
  - REI, de qua notanda,
    - 1. *Quid sit?* R. ὅρος ἐστι λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. 1. *Top. c.* 5. Definitio est oratio, quæ rei essentiam seu naturam explicat. Dicitur alias Definitio quid Rei.
    - 2. *Quotuplex?* R. est vel
      - *Definitio proprie dicta seu essentialis*, quæ est vel
        - *Physica*, quæ datur per materiam & formam: ut, *homo est quoddam compositum ex corpore & anima.*
        - *Metaphysica sive Logica*, quæ datur per genus & differentiam; ut, *homo est animal rationale.*
      - *Descriptio* quæ vel
        - *Causalis*, quæ datur per causam externam: ut, *homo est animal creatum ad fruendum æterna beatitudine.* Causæ externæ sunt Efficiens & Finis.
        - *Non causalis*, quæ datur vel
          - Per genus & proprietatem convertibilem cum definito: ut, *homo est animal risibile.*
          - Per genus & plura accidentia, quæ simul collecta cum definito convertuntur: ut, *homo est animal bipes implume.*
- III. *Regulæ* sive *Leges.*
  1. Definitum non potest ingredi suam definitionem: *quia definitio debet esse clarior definito.*
  2. Definitio debet esse convertibilis cum definito: *Id est, non debet magis vel minus late patere.* Definitio non sit latior, vel angustior definito.
  3. Definitio nihil contineat superfluum; *id est, nihil præter ea, quæ necessaria sunt, ut definitio sit convertibilis cum definito; nisi forte illa non essent satis clara; tunc enim quod illis majoris explicationis gratia addetur non erit superfluum.* Lib. 6. Top. c.2. Id dicitur superesse, sive redundare in definitione, quo sublato, ea, quæ remanet, oratio satis aperte rem declarat.
  4. Sermo definitionis debet esse proprius, perspicuus, & sine ambiguitate significans.

CAP. VIII.

De Methodo.

De METHODO duo notanda:

- I. *Quid ſit?* R. METHODUS eſt inſtrumentum Logicum, ad rerum cognitionem facilius adſequendam utile.
- II. *Quotuplex ſit?* R. Methodus eſt vel
  - *Cum illatione*, ſeu Methodus propiie ſic dicta, quæ eſt ipſa Demonſtratio; Eſtq; vel
    - *Synthetica*; quæ eſt demonſtratio διότι.
    - *Analytica*, quæ eſt demonſtratio ὅτι.
  - *Sine illatione* quæ dicitur *ORDO*, de quo nor.
    - 1. *Quid ſit?* R. Ordo eſt habitus intel*l*ectus inſtrumentalis quo *res* in diſciplinis pertractandas ante vel poſt collocamus, ob meliorem illarum cognitionem.
    - 2. *Quotuplex ſit?* Reſp. vel
      - *Univerſalis*, qui totam aliquam diſciplinam reſpicit: Eſtque vel
        - *Syntheticus*; qui progreditur à principiis ad principiata. *Hic locum habet in Scientiis.*
        - *Analyticus*, quia à notione finis ad media, per quæ finis adquiritur, progreditur. *Hic locum habet in diſciplinis practicis.*
      - *Particularis*, qui tantum partem aliquam diſciplinæ reſpicit.
    - 3. *Regula.*
      1. Generalia præcedant, & ſequantur particularia.
      2. A facilioribus, quantum fieri poteſt, ad difficiliora fiat progreſſus.
      3. Pars nulla deſit, ſuperſit, inutiliter repetatur.
      4. Partes diſciplinæ non tantum ſuo loco ponantur, ſed etiam idoneis tranſitionibus connectantur.
      5. Quod alicubi implicite poſitum, alio conſiderandi modo, alibi evolvi poteſt explicite, & diverſo conſiderandi modo ſine Tautologia. *Non enim Battologiam ex nudis verbis æſtimare, aut ſcientias ex literis aut ſyllabis metiri debemus.*
      6. Nihil ab objecto vel fine diſciplinæ ſit alienum.

Tractatus

Tractatus II. Partis propriæ.

De Syllogismo Topico.

CAP. I.

De Syllogismo Topico.

De SYLLOGISMO TOPICO quatuor notanda:

I. *Quid sit SYLLOGISMUS TOPICUS?* R. Συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἐστιν ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος. 1. *Top. c.* 1. Syllogismus dialecticus seu Topicus est, qui ex probabilibus concludit: *Id est*, Cujos præmissæ sunt probabiles tantum: ut *Omnis mater diligit filium. Hæc est mater. E. hæc diligit filium.*

II. *Quid sint PROBABILIA?* R. Ἔνδοξα δὲ, τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ ἐνδόξοις. Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, atque his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis: ut, *parentes sunt honorandi.*

III. *Partes Syllogismi Topici, quæ sunt vel*
- *Remota*, & sunt tres termini:
  - *Minor terminus*, est Species, de qua probabiliter aliquid enunciatur.
  - *Major Terminus*, sive prædicatum Topicum, est quadruplex:
    - Genus, *sub quo comprehenditur Differentia.*
    - Definitio.
    - Proprium.
    - Accidens.
  - *Medius Terminus*, seu Argumentum, est inventum probabile ad faciendam fidem.
- *Propinquæ*, quæ sunt
  - *Problema* de quo probabiliter disseritur: *an mundus sit æternus.*
  - *Propositiones*, ex quibus de problemate adhibito argumento probabiliter disseritur.

IV. *Loci*, ex quibus desumitur argumentum. *Vide cap.* 2.

CAP. II.

De Locis Topicis in Genere.

De LOCIS duo notanda;

I. *Quid sint?* R. Locus est sedes argumenti: *vel* Locus est id, unde ad propositam quæstionem conveniens trahitur argumentum.

II. *Quotuplices?* R. Locus est duplex;
- *Maxima* quæ est propositio per se nota fidem aliis subministrans: *vel*, maxima sive Axioma est propositio generalis per se nota, per quam multa argumenta probantur.
- *Differentia maximæ* quæ est receptaculum plurium maximarum. Hic Locus est vel
  - *Artificialis*, qui continet argumenta arte quadam ex ipsa quæstione desumpta: Estque vel
    - *Internus*, qui continet argumenta ex re ipsa desumpta, *cap.* 4.
    - *Conjunctus*, qui continet argumenta desumpta ab iis quæ cum re ipsa cohærent, *cap.* 4.
    - *Disjunctus*, qui continet argumenta desumpta ab iis quæ à re ipsa sejuncta sunt. *cap.* 6.
  - *Inartificialis*, qui continet argumenta extrinsecus adsumpta à ui, *Testimonium*, *c.* 7.

CAP.

CAP. III.

De Locis Internis.

Loci interni sunt tres: Locus

- I. *DEFINITIONIS. Ejus Maxima sunt hæ:*
  1. Quidquid convenit definitioni convenit & definito: &, quidquid non convenit definitioni, non convenit definito.
  2. Cui convenit definitio, eidem convenit definitum: &, cui non convenit definitio, ei nec definitum.
  3. Si definitio definitioni convenit, etiam definitum definito convenit: Et, si non convenit definitio definitioni, nec definitum definito convenit.
- II. *DESCRIPTIONIS.* Hic locus easdem habet maximas, quas Locus definitionis, mutato saltem nomine *Definitionis* in nomen *Descriptionis.*
- III. *NOTATIONIS*, quando medius Terminus sumitur à NOMINE. *Ejus hæc est maxima*: De quocunque dicuntur aut negantur Notiones, de eodem quoque notata dicuntur aut negantur; & contra.

CAP. IV.

De Locis Conjunctis.

Loci conjuncti sunt octo: LOCUS

- I. *CONJUGATORUM*, quæ sunt nomina & verba ita affecta inter se, ut alterum ab altero denominative deducatur. *Eorum maxima hæc est*: Cum quo cohæret unum conjugatorum, cohærent & reliqua: &, cum quo non cohæret unum, nec reliqua.
- II. *TOTIUS*, quod est Triplex.
  - Integrale. *Ejus hæ sunt maximæ.*
    1. Posito Toto Integrali, ponuntur omnes partes necessariæ.
    2. Sublato toto integrali, aliqua saltem pars tolli potest.
  - Essentiale. *Ejus hæ sunt maxime.*
    1. Posito toto Essentiali, omnes partes essentiales poni necesse est.
    2. Sublato toto essentiali, omnes partes essentiales tolli necesse est.
  - Universale. *Ejus hæ sunt maxima.*
    1. Posito toto universali, vel genere, ponitur aliqua pars subjecta, vel species, *sed indeterminate.*
    2. Sublato toto universali, tolluntur omnes partes subjectæ.
- III. *PARTIUM*, quæ sunt triplices.
  - Integrales. *Earum maxima sunt hæ.*
    1. Positis omnibus partibus integrantibus, (*inter se unitis & apte dispositis*) ponitur Totum.
    2. Sublata quacunque parte integrali, tollitur Totum, *ut integrum est*
  - Essentiales. *Earum maxima sunt hæ.*
    1. Positis partibus essentialibus, ponitur Totum essentiale.
    2. Sublata una parte essentiali, tollitur totum.
  - Subjectivæ. *Earum maxima sunt hæ.*
    1. Posita quacunque parte subjecta, ponitur Totum: *vel*, posita specie, ponitur Genus.
    2. Sublatis omnibus partibus subjectis, tollitur Totum.
- IV. *CAUSARUM.*
- V. *EFFECTORUM.*
- VI. *ANTECEDENTIUM.*
- VII. *CONSEQUENTIUM.*
- VIII. *ADJUNCTORUM.*

Vide Cap. 5.

CAP. V.

De Locis Causarum, Effectorum, Antecedentium, Consequentium, & Adjunctorum.

LOCUS

- **CAUSARUM**, quæ sunt quatuor:
  - Efficiens, à qua aliquid fit. *Ejus Maxima sunt hæ:*
    1. Posita causa proxima sufficienti & non impedita in actu, ponitur effectus, & sublata causa tollitur effectus
    2. Qualis causa talis effectus. *Valet in univocis.*
    3. Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati. *Valet, si causa & effectus necessario à se invicem dependeant.*
    4. Posita causa conservante res salva esse potest.
    5. Posita causa corrumpente non impedita, sequitur corruptio.
    6. Cujus generatio per se bona, ipsum bonum; cujus mala ipsum malum.
    7. Cujus corruptio per se bona, ipsum malum; cujus mala, ipsum bonum.
  - Materia, ex qua res est *Ejus Maxime sunt:*
    1. Posita materia, fieri potest effectus. Supple, *quantum ex est parte materia.*
    2. Sublata materia, (*necessaria*) non potest fieri effectus.
    3. Sublata materia permanente, tollitur effectus.
    4. Si materia transiens non fuerit, non est effectus.
  - Forma, per quam res est. *Ejus Maxima sunt:*
    1. Posita causa formali, ponitur effectus. Supple, *si sit conjuncta materia.*
    2. Sublata causa formali, tollitur effectus.
    3. Cujus forma præstantior, ipsum præstantius.
  - Finis, cujus gratia aliquid fit. *Ejus* Max*ima sunt:*
    1. Cujus Finis bonus, ipsum bonum; cujus malus, ipsum malum
    2. Obtento fine, cessant media; *nisi tamen iisdem mediis conservandus sit.*
    3. Posita intentione finis, eligenda sint media.

Sequuntur reliqui Loci conjuncti:

- **EFFECTORUM.** *Eorum* Maxim*a sunt hæ:*
  1. Posito effectu, necesse est causam esse vel fuisse.
  2. Quorum effectorum efficientia bona sunt, ipsa sunt bona; & quorum mala, ipsa mala.
- **ANTECEDENTIUM.** Antecedens est duplex;
  - *Unum*, ex quo necessario sequitur aliud, sive ratione attributionis, sive ratione temporis. *Ejus hæc est* Maxima: Posito antecedente, necesse est poni consequens.
  - *Alterum*, quod necessario dandum, si aliud dandum. *Ejus hæc est* Maxima: Sublato antecedente, necesse est tolli consequens.
- **CONSEQUENTIUM.** Consequens est duplex;
  - *Unum*, quod necessario ex alio sive ratione attributionis, sive ratione temporis sequitur. *Ejus hæc est Maxima:* Sublato consequente, necesse est ut tollatur antecedens.
  - *Alterum*, quod necessario requirit antecedens. *Ejus hæc est* Max*ima:* Posito consequente necesse est poni antecedens.
- **ADJUNCTORUM** seu **CIRCUMSTANTIUM**, quæ cum re quidem cohærent, sed tamen necessario. *Eorum hæc est* Maxima: Qualia sunt circumstantia, talem verisimile est rem esse, quam circumstant.

CAP.

CAP. VI.

De Locis Disjunctis.

Loci DISJUNCTI sunt quinque: LOCUS

- I. SIMILIUM, quæ analogiam quandam inter se habent. *Eorum Maxima hac est:* Similium eadem est ratio. *Vel,* de similibus idem esto judicium.
- II. COMPARATORUM. Comparatio est duplex;
  - *Rei,* qua duæ res inter se in exsuperantia conferuntur. *Ejus Maxima nonnullæ sunt:*
    1. Quod sua natura tale est, magis tale est quam quod per participationem.
    2. Quod propter se expetitur, præstantius est eo quod propter aliud.
    3. Quod simpliciter omnibus bonum est, melius est quam quod alicui tantum.
  - *Probabilitatis*, qua duo in probilitate inter se conferuntur: *Estque*
    - PARIUM, quæ parem probabilitatem habent. *Eorum Maxima hac est:* Si data propositio vera est aut falsa, ea etiam quæ æque probabilis, vera erit aut falsa.
    - MAJORUM, quæ majorem probabilitatem habent. *A Majori ad minus argumentamur tantum negative, juxta hanc Maximam:* Si id non inest quod magis videtur inesse, neque id inerit quod minus videtur inesse.
    - MINORUM, quæ minorem probabilitatem habent. *A Minori ad Majus argumentamur affirmative tantum, juxta hanc Maximam:* Si id inest quod minus videtur inesse, etiam inerit quod magis videtur inesse.
- III. DISSIMILIUM, quæ nullam inter se analogiam habent. *Eorum Maxima hac est;* Dissimilibus dissimilia conveniunt.
- IV. OPPOSITORUM. *Eorum Maxima generales sunt;*
  1. De quo affirmatur unum oppositorum, de eo negatur alterum.
  2. Quot modis sumitur unum oppositorum; tot modis etiam alterum.
  3. Oppositorum, in quantum sunt opposita, opposita est ratio;
  4. Opposita juxta se posita magis elucescunt.
- V. REPUGNANTIUM. *Eorum Maxima hac est;* Cui convenit unum ex repugnantibus, non convenit alterum, vel reliqua.

CAP. VII.

De Loco Authoritatis.

Testimonium est vel

- DIVINUM. *Ejus hæ sunt Maxima:*
  1. Dato testimonio divino res certa est.
  2. Testimonium Divinum præponendum est humano.
  3. In articulis fidei & affirmative & negative concluditur authoritate divina.
- HUMANUM. *Ejus hæ sunt Maxima.*
  1. Probato artifici in arte est credendum, *nisi vel manifesta ratio, vel experientia, vel alius artifex æque peritus contrarium testetur.*
  2. Plurimorum testimonium præfertur testimonio paucorum.
  3. Ex humana authoritate negative argumentari non licet.

Tract.

Tractatus III. Partis Communis.

De Syllogismo Sophistico.

CAP. I.

De Syllogismo Sophistico in genere.

De SYLLOGISMO SOPHISTICO V noỏ

I. *Quid sit?* R. Ἐριστικὸς δὲ ἐστι συλλογισμὸς, ὁ ἐκ φαινομένων ἐνδόξων, μὴ ὄντων δέ. Καὶ, ὁ ἐξ ἐνδόξων, ἢ φαινόμενος. 1. *Top. c.* 1. Litigiosus est Syllogismus, ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem: vel qui ex probabilibus, aut ex iis quæ videntur probabilia, est adparens: *Id est,* Syllogismus litigiosus sive Sophisticus est, qui habet præmissas tantum adparenter probabiles, vel consequentiam adparenter tantum probabilem, vel utrumque. *Ad* σόφισμα *revocatur autem* ψευδογράφημα. Syllogismus pseudographus est qui fit ex propriis disciplinæ sumptionibus, non veris: *Id est,* qui constat principiis alicujus scientiæ male intellectis.

2. *Quotuplex sit?* R. Triplex; peccat enim vel
- Materia tantum: ut, *Quidquid non caret oculis habet oculos, Lapis non caret oculis. E. Lapis habet oculos.*
- Forma tantum: ut, *O. mater diligit filium, O. pater diligit filium. E. O. pater est mater.*
- Vtraque; *id est,* materia & forma simul; ut, *Quidquid non perdidisti, habes. Sed aurum habes. E. Aurum non perdidisti.*

III. *Quot sint Metæ seu Fines Sophistarum?* R. Quatuor:
1. ἔλεγχος REDARGUTIO. Meta redargutionis est prænegati concessio, vel præconcessi negatio in eadem disputatione: ut, *si respondens negaverit dormientem videre, & postea cogatur concedere, quia dormiens habet visum.*
2. ψεῦδος FALSUM. Meta falsi est concessio manifeste falsi, vel negatio manifeste veri: ut, *si cogatur respondens admittere, hominem habere alas, qui eas non amisit.*
3. παράδοξον SOLOECISMVS. Meta Solœcismi est incongrua locutio: ut *si respondens cogatur admitere hanc locutionem, O. mulier est sensitiva, propter hoc argumentum: O. homo est sensitivus. O. mulier est homo. E. O. mulier est sensitiva.*
4. ἀδολεσχία NVGATIO. Meta Nugationis est ejusdem vocis inutilis repetitio: ut, *si quis cogatur sic loqui, Aliquis nasus est nasus simus; ubi inutiliter nasus reperitur, propter hoc argumentum: O. simus est nasus simus. Aliquis nasus est simus. E. Aliquis nasus est nasus simus.*

IV. Elenchi Sophistici seu Fallaciæ, Vide cap. 2.

V. Ratio solvendi Elenchos Sophisticos. Vide cap. 4.

CAP.

CAP. II.

De Fallaciis.

FALLACIÆ vel sunt

παρὰ τὴν λέξιν. In dictione. *Earum sunt sex.*

1. ὁμωνυμία FALLACIA ÆQUIVOCATIONIS; quando vox æquivoca æquivoce sumitur: ut *Omnis canis latrat. Sidus cœleste est canis. Ergo Sidus cœleste latrat.*
2. ἀμφιβολία FALLACIA AMPHIBOLIÆ; quando oratio in vario sensu accipitur: ut, *Qui arat litus, scindit terram. Qui operam perdit, arat litus.* E. *Qui operam perdit, scindit terram.*
3. σύνθεσις FALLACIA COMPOSITIONIS; quando conjunctim accipiuntur, quæ divisim erant accipienda.
4. διαίρεσις FALLACIA DIVISIONIS; quando divisim accipiuntur, quæ conjunctim erat accipienda: ut, *duo & tria sunt paria & imparia. Duo & tria faciunt quinque.* E. *Quinque sunt paria & imparia.*
5. προσῳδία FALLACIA ACCENTUS; quando diversitas est in compositione vocis, spiritu, litera, quantitate, gestu orationis, tono, &c. ut, *si sumatur quies, pro qui es; ara, pro hara; equus, pro æquus.*
6. σχῆμα λέξεως FALLACIA FIGURÆ DICTIONIS; quando aliquid alicui propter similitudinem dictionum tribuitur, quod tribuendum non erat; ut, *fons est generis masculini. Ergo & frons.* Huc referuntur etiam fallaciæ ex confusione diversorum prædicamentorum.

ἔξω τῆς λέξεως. Extra dictionem. *Earum sunt septem,*

1. παρὰ τὸ συμβεβηκός FALLACIA ACCIDENTIS; quando alicui per se tribuitur id, quod ei per accidens tantum competit; ut, *si vinum malum voces per se, quia homines reddit insanos.*
2. παρὰ τὸ πῇ ἢ ἁπλῶς λεγόμενον FALLACIA A DICTO SECUNDUM QUID AD DICTUM SIMPLICITER; quando id quod saltem secundum quid verum est, accipitur simpliciter; ut, *imago est homo pictus. E. est homo.*
3. παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν FALLACIA IGNORATIONIS ELENCHI; quando pro veris contradictoriis habentur quæ tamen non sunt; ut, *cœlum tegit omnia. E. seipsum tegit.*
4. παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν FALLACIA PETITIONIS PRINCIPII; quando probatur idem per idem, vel per aliud obscurius aut æque obscurum; ut, *cras erit æquinoxium, quia nox diei æquabitur.*
5. παρὰ τὸ ἑπόμενον FALLACIA CONSEQUENTIS; quando converti existimamus ea, quæ converti non possunt; ut, *Omnis homo est animal.* E. *Omne animal est homo.*
6. παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον FALLACIA SECUNDUM NON CAUSAM UT CAUSAM; quando falsitas conclusionis, proveniens ex una præmissa falsa, adtribuitur alteri præmissæ veræ, quæ causa non est; ut, *exterminandus est usus pecuniæ, quia homines avari pecunia abutuntur.*
7. παρὰ τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν FALLACIA SECUNDUM PLURES INTERROGATIONES; quando ad plures interrogationes petitur responsio una, tanquam si esset una interrogatio; ut, *si petat Sophista, homo & lapis suntne animal.*

CAP.

CAP. III.

De Solutione Fallaciarum.

Ratio solvendi Elenchos Sophisticos est, vel

- *Generalis.* Quintupliciter responderi potest;
  1. Per *Inficiationem*; cum vel ambas præmissas, vel alterutram rejicimus, earum probationem (*si opus est*) petentes.
  2. Per *Distinctionem*; cum alterutram præmissarum, vel ambas ambiguas esse ostendimus.
  3. Per *Instantiam*; quando universali propositioni singularem contrariam opponimus.
  4. Per *Concessionem*; quando totum argumentum concedimus, tanquam id quod nobis non obest.
  5. Per *Inversionem*; quando argumentum contra nos adlatum in adversarium retorquemus.
- *Specialis.* Hic consideranda sunt,
  - Fallacia in dictione.
    1. *Elenchus Æquivocationis & Amphibolæ* solvuntur per distinctionem, ostendendo ambiguitatem.
    2. *Elenchus Compositionis* & *Divisionis* solvuntur, separando sensum divisum à composito, & ostendendo uter verus sit vel non.
    3. *Elenchus Accentus* solvitur distinctione, ostendendo accentus vel scripturæ diversitatem.
    4. *Elenchus figuræ distinctionis* solvitur ostendendo diversitatem inter ea, quibus eadem accidere videbantur.
  - Fallaciæ extra dictionem.
    1. *Elenchus Accidentis* solvitur, distinguendo inter id quod alicui per se, & quod per accidens convenit.
    2. *Elenchus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter* solvitur distinguendo id quod est simpliciter ab eo quod est secundum quid, sive ex parte verum.
    3. *Ignoratio Elenchi* solvitur, ostendendo defectum veræ oppositionis secundum regulas illius.
    4. *Petitio principii* solvitur ostendendo vanitatem seu nullitatem probationis.
    5. *Elenchus consequentis* solvitur negando consequentiam & addendo rationem, cur propositio converti non possit.
    6. *Elenchus secundum non causam ut causam* solvitur, negando causam falsam, & adducendo causam veram.
    7. *Elenchus plurium interrogationum* solvitur non respondendo una responsione ad plures interrogationes, sed distincte ad singulas.

N O T A.

Ne usitata Peripateticorum methodus interrumperetur, ex Dialectica Philippi Du Trieu duos Tractatus, quorum 1. *de Terminorum Varietate,* 2. *de Suppositione, sub finem adjicere placuit.*

De TERMINO SIMPLICI II. not.

I. *Quid sit?* R. TERMINUS est, in quem resolvitur propositio; ut, prædicatum, & de quo id prædicatur. Subjectum & prædicatum vocantur Termini, quia sunt extrema propositionis. Hinc copula non est terminus, quia non est extremum, sed inter extrema ponitur.

II. *Quotuplex sit?* R. Terminus est

1. vel
- SYNCATEGOREMATICVS, & est vox quæ per se nihil significat, aliis tamen juncta illis certum significandi modum tribuit: ut, *omnis*, *nullus*, *utinam*, *&c.*
- CATEGOREMATICVS, & est vox quæ per se aliquid significat, nec ullum includit syncategorema: ut, *homo*.
- MIXTVS, qui categorema & syncategorema includit: ut, *nemo*; continet enim significationem harum duarum vocum, *nullus homo*.

2. vel
- SIMPLEX, qui sic dicitur Tripliciter:
  - VOCE TANTVM, & est unica dictio pluribus æquivalens; ut, *nemo* æquivalet his duabus, *nullus homo*.
  - SIGNIFICATIONE TANTVM, qui componitur quidē ex pluribus dictionibus, sed quæ significatione uni æquivalent; ut, *corpus animatum*, *&c.* Hic terminus absolute à Dialecticis vocatur simplex.
  - VOCE & SIGNIFICATIONE SIMVL, qui est una dictio simplicis significationis; ut, *homo*.
- COMPLEXUS, qui sic dicitur tripliciter;
  - VOCE TANTVM, & idem est quod simplex significatione tantum; ut *corpus animatum*.
  - SIGNIFICATIONE TANTVM, & idem est quod simplex voce tantum; ut, *nemo*.
  - VOCE & SIGNIFICATIONE SIMVL, qui componitur ex pluribus dictionibus habentibus etiam compositam significationem; ut, *homo albus*.

3. vel
- ABSTRACTVS, qui significat solam formam, non autem subjectum: ut, *albedo*; tantum enim significat albedinem quæ ex forma, non autem rem affectam albedine, quæ est subjectum. FORMA hic est omne illud quod alteri aliquam denominationem seu appellationem tribuit; ut, *albedo* respectu lactis est forma. SUBJECTUM hic est omne illud quod ab altero aliquam denominationem seu appellationem suscipit: ut, *lac* respectu albedinis, quia ab illa suscipit denominationem *albi*.
- CONCRETVS, qui formam & subjectum significet. Estque vel
  - DENOMINANS INTRINSECE, qui tribuitur ei, in quo est forma per ipsum significata: ut *album*.
  - DENOMINANS EXTRINSECE, qui tribuitur ei in quo non est forma per ipsum significata: ut, *videri*, vel *visum esse*. Talia sunt omnia verba & participia passiva significantia actiones animæ: Item pleraque verba & participia activa significantia alias actiones: *illuminans*, *&c.*

4. Vide *pag. conseq.*

CAP.

Terminus generaliter acceptus eſt

4. vel

- CONNOTATIVUS, qui ſignificat formam quaſi adjacentem : ut, *album*, &c. Significare formam quaſi adjacentem eſt ſignificare adjective. Itaq; ſola adjectiva ſunt connonativa ; vel quæ ſignificat per modum adjectivorum : ut, *dominus*, *ſervus*,&c. Terminus connotativus duplex habet ſignificatum: *MATERIALE*, quod eſt ſubjectum formæ nomine connotativo expreſſæ ; hoc ſignificatur in recto : Et *FORMALE*, quod eſt forma nomine connotativo expreſſa : hoc ſignificatur in obliquo,id eſt, *in explicatione termini ſignificantis ponitur in caſu obliquo.*
- ABSOLUTUS, qui non ſignificat Formam quaſi adjacentem, id eſt, non adjective : ut, *homo.*

5. vel

- DENOMINATIVUS, qui idem eſt quod connonativus. DENOMINATIVUM eſt triplex :
  - VOCE TANTUM ; quod cum aliquo abſtracto convenit initio dictionis, ſed ab eo differt formali ſignificatione : ut, *ſomnolentus*, reſpectu hujus abſtracti *ſomnus.*
  - SIGNIFICATIONE TANTUM ; quod cum aliquo abſtracto convenit tantum ſignificatione non voce: ut, *probus*, reſpectu hujus nominis *virtus.*
  - VOCE ET SIGNIFICATIONE SIMUL ; quod cum aliquo abſtracto convenit ſignificatione, & initio dictionis, ſed finali terminatione diſtinguitur : ut, *albus*, reſpectu hujus abſtracti *albedo.*
- DENOMINANS, & eſt abſtractum reſpondens termino denominativo, ſeu connotativo ; ut, *album* eſt denominativum, *albedo* denominans. Denominativo & denominanti reſpondet Denominatum, quod eſt ſubjectum formæ, de quo vox denominativa accidentaliter dicitur : ut, *corvus* eſt denominatum *nigri.*

6. vel

- UNIVOCUS, qui pluribus tribuitur in eadem ſignificatione : ut, *homo* comparatione *Joannis & Petri.* Terminum aliquem pluribus tribui in eadem ſignificatione inde cognoſci poteſt, ſi ei reſpondeat in mente idem conceptus, ſi ejus ſignificatum eodem ſemper modo concipiatur ; quod fit, quando eadem explicatio ſemper illi poteſt accommodari.
- ÆQVIVOCVS, qui pluribus tribuitur in diverſa ſignificatione. Eſtque vel
  - PURE ÆQVIVOCVS, qui plura æque primo ſignificat : ut, *canis*, reſpectu canis domeſtici & cœleſtis.
  - ANALOGVS, qui plura non æque primo ſignificat, ſed unum primario, alterum ſecundario : ut, *homo*, reſpectu hominis veri & picti.

7. Termini ad ſe invicem comparari poſſunt quatuor modis :

1. Ut repugnantes. TERMINI REPUGNANTES ſunt, qui de ſe invicem univerſaliter negari poſſunt : ut, *homo & brutum.*
2. Ut convertibiles. TERMINI CONVERTIBILES ſunt,qui univerſaliter de ſe invicem affirmari poſſunt : ut, *homo & riſibilis.*
3. Ut magis & minus communes. TERMINI ILLI HABENT SE UT MAGIS ET MINUS COMMUNES, quorum unum poteſt de altero univerſaliter affirmari, ſed non contra : ut, *animal* eſt terminus magis communis quam *homo.*
4. Ut excedentes & exceſſi TERMINI ILLI HABENT SE VT EXCEDENTES ET EXCESSI, quorum neuter de altero poteſt univerſaliter affirmari vel negari, ſed tantum particulariter ; ut, *homo & albus*,

De SUPPOSITIONE IV. not.

I. *Quid sit Suppositio?* R. SUPPOSITIO est usurpatio vocis in oratione positæ pro aliquo: ut hic, *Omnis homo est animal*, vox illa *homo* usurpatur pro Joanne, Petro, & reliquis hominibus. Suppositio aliter vocari solet *acceptio vocis*.

II. *Unde dicta sit suppositio?* R. Ex eo, quod vox in oratione plerumque supponatur, id est, substituatur in locum alterius, nempe rei per ipsam significatæ: Cum enim, ut ait Aristoteles, res ipsas expromere, aut in disputationem aut colloquium adducere non possumus, vocibus loco rerum utimur, & in harum locum illa subrogamus; sicut ad numerandum calculis æneis pro nummis aureis, uti mercatores solent. Interdum tamen vox accipitur pro seipsa, quo casu non substituitur in locum alterius. Dicitur tamen etiam tunc supponi, extensa verbi istius significatione ad quamcunque vocis acceptionem.

III. *Quotuplex sit?* R. Triplex est generatim Suppositio:

- MATERIALIS, quæ est acceptio vocis pro seipsa: ut cum dico, *Homo est dictio dissyllaba*, vox *homo* accipitur pro seipsa, id est, pro ipsamet voce, non autem pro significato. Dicitur etiam, *technica*, & indicatur duabus notis: Una est articulus Græcus τὸ, id est, *illud*; ut, τὸ *animal*. qs. dicas illa vox *animal*. Altera est particula *li*; ut, *li animal*, quæ particula æquivalet articulo Græco.
- SIMPLEX, quæ est acceptio vocis pro suo immediato significato tantum; id est, pro natura communi vel conceptu communi. Ita sumi dicitur Subjectum hujus enunciationis, *homo est universale*; non enim significatur quod Joannes vel Petrus vel quispiam alius homo singularis sit universale, hoc enim falsum est, sed quod homo in communi sit universale.
- PERSONALIS, de qua not.
  1. *Quid sit?* R. SUPPOSITIO PERSONALIS est acceptio vocis pro mediato significato, id est, pro inferioribus vel denominatis. Sic accipitur subjectum hujus propositionis, *Omnis homo est animal*, accipitur enim pro Joanne, Petro, &c. Item subjectum hujus, *Omne album est substantia*, accipitur enim pro pariete, nive, &c.
  2. *Regula.* Omnis vox cui præponitur vel præponi potest, manente eodem sensu, aliquod signum accipitur personaliter.
  3. *Species suppositionis personalis*, quæ passim absolute vocantur Species suppositionis. *Vide pag. seq.*

IV. *Regula.* Vid. pag. seq.

Suppositi-

Suppositio personalis dividitur in

- **Universalem, de qua tria not.**
  - I. *Quid sit?* R. *Suppositio Universalis*, est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis copulative enumerandis: *Id est*, per conjunctionem copulativam copulative sumptam, hoc est, connectentem integras enunciationes. Ita sumitur subjectum hujus propositionis, *Omnis homo est animal*; sic enim explicatur, *Joannes est animal, & Petrus est animal, &c.* ubi conjunctio copulativa *&*, connectit integras enunciationes.
  - 2. *Quotuplex?* R. Suppositio Univers. est
    - 1. vel
      - *UNIVERSALIS ABSOLUTA*, ubi nulla intelligitur exceptio.
      - *Universalis accomoda*, ubi aliqua intelligitur exceptio: ut hic, *Cælum tegit omnia*, sc. præter se.
    - 2. vel
      - *Universalis pro generibus singulorum*, per quam vox accipitur pro omnibus generibus seu speciebus non autem pro omnibus individuis. Hoc modo sumitur Subjectum illius propositionis, *Omne animal fuit in arca Noe.*
      - *Universalis pro singulis Generum*, per quam vox sumitur pro omnibus suis individuis.
  - 3. *Regula*
    - 1. Subjectum enunciationis universalis affirmativæ sumitur universaliter.
    - 2. Utrumque extremum enunciationis universalis negativæ, & prædicatum particularis negativæ sumitur universaliter.
- **Copulatam, de qua not.**
  - 1. *Quid sit? Suppositio Copulata* acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis copulatim enumerandis: *Id est*, per conjunctionem copulativam copulatim sumptam, hoc est, non connectentem integras enunciationes, sed terminos simplices. Ita sumitur subjectum hujus propositionis, *Omnia Elementa sunt quatuor.*
  - 2. *Regula.* Subjectum propositionis, cujus prædicatum est vox numerum significans, sumitur copulatim.
- **Determinatam, de qua not.**
  - 1. *Quid sit?* R. *Suppositio Determinata*, est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis disjunctive enumerandis; *Id est*, per conjunctionem disjunctivam disjunctive sumptam, hoc est, connectentem integras enunciationes.
  - 2. *Regula.* Utrumque extremum propositionis particularis aut indefinitæ affirmativæ, subjectum negativæ, sumitur determinate.
- **Confusam de qua not.**
  - 1. *Quid sit?* R. *Suppositio Confusa* est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis disjunctim enumerandis: *Id est*, per conjunctionem disjunctivam disjunctim sumptam, hoc est, connectentem simplices terminos, non vero integras enunciationes.
  - 2. *Regula*, Prædicatum propositionis universalis affirmativæ sumitur confuse

II. Regula


- 1. In argumentatione non licet mutare genus acceptionis; *Id est*, non licet unam & eandem vocem semel accipere materialiter, & semel simpliciter vel personaliter, *&c.*
- 2. Non licet procedere à non distributo ad distributum; *id est*, non licet aliquem terminum, qui in antecedente non sumitur universaliter, ponere in consequente universaliter sumptum.

PRÆCEPTA
ETHICÆ,
SIVE
PHILOSOPHIÆ
MORALIS

Ex Aristotele, aliisque probatis Autoribus collecta, & adjuvandæ memoriæ causa TABULIS Synopticis inclusa.

à M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



LONDINI,
Typis *J. R.* Impensis *Joh. Williams*, sub Signo Anchoræ Cæruleæ, in Vico Vulgo Voc. *Little Brittaine.*
Anno Dom. 1666.

Perilluſtribus & Generoſiſſimis Comitibus
& Dominis,

Dn. Chriſtiano Gunthero, *juniori,*
Dn. Antonio Gunthero,
Dn. Ludovico Gunthero, *juniori,*
Fratribus Germanis,

Perilluſtris & Generoſiſſimi Comitis ac
Domini,

Dn. Chriſtiani Guntheri, Filiis, Sacri Romani Imperii Quatuorviris, Comitibus in *Schwartzburg* & *Hohenſtem*, Dominis in *Arnſtadt*, *Sonderſhauſen*, *Leutenberg*, *Lohra* & *Klettenberg*, &c. DD.
ſuis clementibus,

Has Tabulas Ethicas
ſubmiſſe ac devote
offert & conſecrat
M. JOANNES STIER.

Proœmium.

De Natura & Constitutione Ethicæ.

De Natura & Constitutione ETHICÆ V. not.

- 1. *Nomen*: circa quod duo observ.
  - 1. Ἐτυμολογία. Ethica dicitur ἀπὸ τοῦ ἔθους, à consuetudine, adsuefactione; propterea quod consuetudine, id est, crebro usu & assiduo exercitio mores induamus & confirmemus: *vel*, dicitur ἀπὸ τῶν ἠθῶν, a moribus; propterea quod circa mores ad honestatem informandos & efformandos tota occupatur.
  - 2. Ὁμωνυμία. Vocabulum ETHICÆ sumitur dupliciter.
    - *Generaliter*, pro tota Philosophia practica, cujus ambitu Ethica specialiter sic dicta, & Politica, & Oeconomica comprehenduntur.
    - *Specialiter*, pro prima Philosophiæ practicæ parte, quæ generalia de Virtute & Summo Bono præcepta explicat. In qua significatione hoc loco accipitur. Dicitur etiam Philosophia moralis, item civilis, & doctrina de moribus.
- 2. *Quid sit? R.* Ethica est prudentia hominem ita virtutibus informans, ut summo fruatur bono. *Prætorius in Proœm. Theatr. Eth. vel*, Ethica est practicæ Philosophiæ pars absoluta de summo hominis civilis bono adsequendo. *Donaldsonus l.* 1. *Synops. Philos. Mor. c.* 1.
- 3. *Subjectum*, sive *Objectum*, quod est homo, quatenus civiliter beandus, *h. e. quatenus homo bono privatus est, & eidem recipiendo aptus.* Idoneus auditor hujus disciplinæ non potest esse quivis, cujus ætas aliarum disciplinarum capax est, sed ille demum, qui præterea etiam recte natus & educatus est; ut non tantum aliquod discrimen honestorum & turpium jam norit, sed & adsuefactus nonnihil sit ad animi affectus refrænandos. *Horneus l.* 1. *civilis doctr. de moribus, cap.* 2. *sect.* 8.
- 4. *Finis*, qui est vel
  - *Primarius*, & est vel
    - *Internus*, est hominem bonis moribus seu virtutibus informare, vel instruere intellectum, quomodo is appetitum possit ac debeat regere.
    - *Externus*, est summa hac in vita felicitas, sive Summum Bonum.
  - *Secundarius* seu *Usus*. Ethica prodest
    - 1. Homini, quoad seipsum, ut homo seipsum cognoscat.
    - 2. Homini, quoad alios, ut cum iis vivat juste, amice, honeste, liberaliter, &c.
    - 3. Aliis scientiis & facultatibus. *Ubi desinit Ethicus, ibi incipit JCtus.*
- 5. *Divisio.* Partes Ethicæ sunt duæ.
  - 1. Ἐυδαιμονολογία, quæ agit de fine, nempe de Beatitudine seu Summo Bono. *Vide pag.* 2.
  - 2. Ἀρετολογία, quæ agit de virtutibus, seu mediis ad Summum Bonum ducentibus. *Vide pag.* 4.

CAP.

Pars I. Philoſophiæ Moralis.

De Summo Bono.

CAP. V.

De appellationibus & proprietatibus Summi Boni.

De SUMMO BONO VII. not.

I. *An ſit?* R. Eſſe ex omnibus bonis, quæ in hac vita obtingere nobis poſſunt, unum aliquod ſummum neceſſe eſt: Cum enim non tantum omnis actio cum ratione ſuſcepta propter certum finem fit, ſed etiam finium illorum unus propter alterum, oportet, ut in uno tandem omnia ſtudia & actiones noſtræ deſinant, quod ſit finis omnium, id eſt, ad quod referantur omnia cætera, ipſum autem alio nuſquam; niſi in infinitum abeatur, fruſtraque nobis natura indidiſſet boni appetitum, nihil enim eſſet, in quo ille acquieſceret. *Horneus lib.* 1. *cap.* 3. *ſect.* 8.

II. *Appellationes:* quæ ſunt vel

- *Græca:* dicitur
  1. εὐδαιμονία, à bono dæmone.
  2. εὐζωΐα, beata vita.
  3. εὐτυχία, bona fortuna, qua commode quis carere nequit.
  4. μακαρισμός, ab abjuncta lætitia.
  5. εὐπραξία, proba actio.
  6. τὸ ἀγαθόν, bonum.
- *Latina:* Dicitur felicitas, beatitudo, ſummum bonum, finis hominis, beata vita, ſcil. civilis.

III. *Proprietates.* Summum bonum eſt

1. Οἰκεῖον ἀγαθόν, Bonum proprium & domeſticum, 1. *Ethic.* 3. quod particeps hujus boni non ab aliis petere cogatur, ſed ſibi habeat, eoque pro lubitu utatur.
2. Δυσαφαίρετον, difficulter mobile. 1. *Ethic.* 3. Natura videlicet bonum eſt & conſtans, quod bonum virum firmiter conſiſtere facit.
3. Κοινωνικόν, ſui communicativum. 1 *Ethic.* 1. Quo enim latius extenditur bonum & communicatur, eo melius eſt.
4. Αὐταρκές, ſe ipſo contentum. 1 *Ethic.* 5. Non enim quærit aliud extra ſe bonum.
5. Δι' αὑτὸ ἀγαπητόν, propter ſe expetibile. 1 *Ethic.* 13. Alterius enim cauſa ſi quæratur, non erit ſummum.
6. Πρακτόν, agibile. 1 *Ethic.* 4. Quia hominis ſtudio & labore comparatur.
7. Non dormientis ac otioſi.
8. Μὴ βίαιον, non violentum. 1 *Ethic.* 3. Per violentiam hic intellinimus vim & fraudes, à quibus ſit alieniſſimum.

IV. *Quid ſit?* vide cap. II.

V. *Cauſa efficiens.* } vide cap. III.
VI. *Subjectum.* }

VII. *Accidentia*, quæ ad exiſtentiam & ornatum S. B. faciunt. vide cap, IV.

CAP.

CAP. IV.

Quid sit Summum Bonum.

Quid sit summum Bonum explicatur tum

- Ἀποφατικῶς. SVMMVM BONVM consistit
  - 1. Neque *in voluptate, scil. corporis*, quia
    - 1. Summum Bonum est homini proprium; Voluptas non est homini propria, sed & brutis competit.
    - 2. Voluptas est violentia, tum ratione originis, tum ratione operationis.
    - 3. Voluptas non est constans & perpetua.
  - 2. Neque *in bonore*, quia
    - 1. Honor non est in ejus potestate cui defertur, sed illius qui eum alteri defert; Felicitas vero in nostrâ potestate esse debet.
    - 2. Summum bonum expetitur propter se; Honor autem non expetitur propter se sed propter virtutem, & ejusdem testimonium.
  - 3. Neque *in divitiis*, quia
    - 1. Divitiæ non per se expetuntur, sed ejus quam in vita præstent, usus gratia.
    - 2. Felicitas est bonum stabile & firmum; Divitiæ vero facile eripiuntur aut auferuntur.
  - 4. Neque *in idearum contemplatione*, quia
    - 1. Quærimus bonum practicum non contemplativum.
    - 2. Etiam mali speculari valent ideas, quod de S. Bono affirmare non possumus.
  - 5. Neque *in virtutis habitu*, quia
    - 1. Bonum est perfectissimum, cui nihil addi potest; sed habitui virtuoso aliquid addi potest, scil. operatio.
    - 2. Habitus virtutis etiam inesse potest otioso & dormienti; quibus tamen non competit felicitas.
- Κατηφατικῶς. SVMMVM BONVM positum est in actione secundum virtutem optimam & perfectam in vita perfecta. ἡ εὐδαιμονία ἐστιν ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην ϗ τελειοτάτην, ἐν βίῳ τελείῳ. Summum Bonum est operatio sive actio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam, in vita perfecta. 1. *Eth. Nicom.* 7.

CAP. III.

De Causa efficiente, & subjecto Summi Boni.

Seq Summi Boni

- *Causa efficiens*, quæ vel
  - *Remota*, est Deus Opt. Max. à quo omnia bona. *Si quod enim aliud Deorum munus est inter homines, multo magis Summum Bonum erit* θεόσδοτον *&* θεόπεμπτον.
  - *Proxima*, est adsuefactio & disciplina; hoc pacto enim virtus paratur. *Hinc summum Bonum* μαθητὸν ϗ ἐθιστὸν *sæpe vocatur.*
- *Subjectum* de quo quatuor not.
  - 1. Beatitudo non est bestiarum, sed hominum, qui secundum virtutem perfecte agunt.
  - 2. Felicitas moralis non est mortuorum, sed viventium. Vnde homo hac in vita potest esse beatus.
  - 3. Animal irrationale & actu & potentia expers est hujus beatitudinis, infans vero actu tantum.
  - 4. Miseria & beatitudo practica in eodem subjecto nequeunt simul consistere.

CAP.

CAP. IV.

De Accidentibus Summi Boni.

Accidentia S. B. sunt
- *Primaria*, quæ vel
  - *Animi*: ut bona conscientia, quæ consistit in tranquillitate animi & lætitia cordis.
  - *Corporis*: ut Sanitas, *Oportet ut & corpus valeat, & alimentum & cætera suppetant, inquit Aristot.* 10. *Ethic.* 8.
- *Secundaria*, quæ in externis bonis consistunt: ut, *bona fama, honor, amici, divitiæ* (Virtutis actio, in qua consistit Summum bonum, non excludit illa quæ instrumenta quasi sunt & materia talium actionum: Nam actio illa perfici nequit sine aliquibus saltem fortunæ bonis, & impeditur sæpe ab adversantibus. *Aliud* itaque est Summum bonum non posse esse sine bonis fortunæ; *Aliud* Summum bonum esse bona fortunæ *Hornius. lib.* 1. *c.* 8. *sect.* 5.

Pars II. Philosophiæ Moralis.

De Virtute.

CAP. II.

De Virtute in Communi.

DE VIRTUTE in communi 3. not.

1. Nomen, cujus not.
   1. Ἐτυμολογία. Virtus non à vi seu violentia, sed à viro nomen habet: *Cic. l.* 1. *Tusc. quæst.* Græcis dicitur ἀρετὴ, vel ἀπὸ τοῦ αἴρειν, à tollendo, *quia homines ad summa & maxima elevat & extollit*; vel ab ἀρέσκω placeo, qs. ἀρεστὸς vel ab ἐράω amo, qs. ἐρετή; vel ab αἱρέομαι eligo, qs. ἀπὸ τοῦ Ἄρεως, à Marte, id est, bello, *quia in Bello virtutis vis præcipue elucet.*
   2. Ὁμωνυμία. Vocabulum *virtutis* varie sumitur.
      1. *Generatim* significat vim, efficaciam, qualitatem, nobilitatem, & operationem cujusque rei: ut, *virtute fœniculi acuuntur oculi.*
      2. *Speciatim* ad hominis anim referturũ, in quo habitus bonos & laudabiles denotat, & ejus partis quæ ratione prædita, & illius quæ per se rationis expers, illi tamen morem gerere potest.
      3. Κατ' ἐξοχὴν fortitudinem, quæ viro maxime digna significat.
      4. *Poetis* significat, per metonymiam, bonã famam, potentiam, res secundas, & alia, quæ virtutem sequuntur, bonorum genera.
      5. *Moris est*, ut virtutem Catonis, aut Scipionis, pro ipso Catone & Scipione dicamus, quod in aliis etiam locum habet. *Heiderus parte* 2. *Phil. Mor. p.* 146.
2. *Quid sit?* R. VIRTUS est habitus animi, quo vir bonus efficitur ad munus suum bene ac laudabiliter obeundum *Donald. l.* 2. *c.* 1. *vel* Virtus est habitus animi laudabilis conveniens ad certam rationem *Heiderus l. d. p.* 148.
3. *Quotuplex sit?* R. Virtus est vel
   - MORALIS ἠθικὴ, quæ appetitum perficit. *Vide cap.* 2. *& seq.*
   - INTELLECTUALIS διανοητικὴ quæ intellectum perficit. *Vide infra cap.* 20. *Virtutes morales & intellectuales si inter se comparantur, morales maxime virtutes dicuntur, intellectuales autem secundum quid tantum.*

CAA. II.

De Virtute Morali in communi.

De VIRTVTE MORALI in communi quinque notanda:

- I. *Quid sit?* R. Ἀρετή ἐστιν ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. VIRTUS est habitus electivus, in mediocritate consistens ea quæ ad nos est, definita ratione, & ut definierit ipse prudens. 2. *Ethic. Nicom. 6.*
- II. *Causæ*; quæ sunt
  - *Efficiens*; estque vel
    - *Remota* seu *Universalis*, scil. Deus Ter. Opt. Max. qui omnis boni fons est atque origo.
    - *Propinqua* sive *Particularis*, scil. crebræ hominum actiones, quæ ut virtuosæ dici mereantur, certa quædam postulant *προηγούμενα*, & requisita seu principia, *de quibus cap. III.*
  - *Materia*; estque vel
    - *In qua* sive *Subjectum*, & est vel
      - *Quod*, scil. ipse homo virtutis capax.
      - *Quo*, scil. anima rationalis, & quidem voluntas non appetitus sensitivus.
    - *Circa quam* seu *Objectum*, quod vel
      - *Internum & propinquum*, scil. affectus, sive animi motus, quos virtus non evellit, sed moderatur. *Vide cap. IV.*
      - *Externum & remotum*, scil. voluptates & dolores, quos affectus plerumque comitari solent.
  - *Forma*; hæc secundũ analogiam & improprie est Mediocritas, quæ duplex;
    - *Rei.* Medium rei est, quod ab utroque extremorum secundum proportionem Arithmeticam æquali distat gradu ac intervallo: ut, *novenarius respectu senarii & duodenarii est medius, & æqualiter distat ab utriusque tribus unitatibus.*
    - *Persona.* Medium personæ est, quod secundum proportionem Geometricam uni extremorum vicinius, ab altero vero remotius est; vel, quod medium est ratione circumstantiarum loci, temporis, personæ, &c. ut, *Ea portio cibi quæ Socrati pro ipsius temperamento sufficit, respectu illius dicitur medium, respectu tamen alterius vel deficit, vel excedit.* Hæc Mediocritas hic intelligitur.
  - *Finis*; est quæ duplex;
    - τὸ *Cujus*, scil. honestas: hujus enim gratia virtutes suscipiuntur.
    - τὸ *Cui*, scil. beatitudo civilis, seu Summum Bonum, quod principium & causa est bonorum.
- III. *Oppositum*; estque VITIUM MORALE. Vitium est habitus eligendi mala, seu sectandi ea in vita, quæ à modo & mediocritate aberrant, sive id excessu fiat, sive defectu. *Horneus. lib. 3. Ethic. cap. 3. sect. 4.* Vitium est habitus cum prælectione conjunctus, in nimium vel parum declinans. *Piccolom. gr. 9. c. 90.*
- IV. *Divisio. Vide cap. V.*
- V. *Cognata & Affinia*, sive fructus & comites virtutum indivisibiles. *Vide cap. XVIII. & seq.*

CAP. III.

De principiis actionum humanarum.

Principia actionum humanarum sunt potissime quatuor:

- **I.**
  - *SPONTANEUM*, τὸ ἑκούσιον ἐστι, οὗ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. Spontaneum est, cujus principium est in ipso agente, sciente singula in quibus est ipse actus. 3. *Ethic. Nicom.* 1.
  - *INVITUM*, quod est vel
    - *Violentum*, quod est vel
      - *Absolute violentum.* Τὸ βίαιον ἐστιν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη οὖσα ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων. Violentum est, cujus principium est extra agentem, adeo ut is qui agit plane nihil adjumenti ad illam actionem conferat, 3. *Ethic.* 1.
      - *Secundum quid violentum*, quod dicitur mixtum, vel actio mixta sive media, quod partim per vim extrinsecus, partim intrinsecus per voluntatem fieri videatur: Ut quando illud quod alias nunquam susciperetur, nunc tamen suscipitur vel ad bonum aliquod insigne consequendum, vel ad majus malum evitandum. *Jac. Mart. disput. Ethic.* 5.
    - *Per ignorantiam*, quæ est duplex:
      - *Ignorantia juris*, seu *universalium*; cum illa ignoramus quæ jure scire tenemur. Exempli gratia, quando latet quid eligendum, quid honestum, quid justum, &c. *Hac ignorantia crassa & adfectata, nec invitam actionem facit, nec veniam meretur.*
      - *Ignorantia facti*, seu *singularium*, cum ignorantur circumstantiæ quædam singulares, quæ ante actionem prævideri aut præcaveri non potuerunt. *Hac ignorantia si caret dolo, & subsequentem habet pœnitentiam ob admissum peccatum, facit actionem invitam & veniam meretur.*
- **II.** *ELECTIO.* Ἡ προαίρεσις ἐστιν ὄρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Electio est præmeditata appetitio eorum quæ in nostra sunt potestate, & per nos fieri possunt. 3. *Ethic. Nicom.* 12.
- **III.** *CONSULTATIO.* Ἡ βούλευσις ἐστι τῆς ψυχῆς λογισμὸς περὶ τῶν πρακτῶν. Consultatio est ratiocinatio de mediis, per quæ ad finem in agendo pervenitur. 3. *Ethic. Nicom.* 3. Sub deliberationem ergo cadunt quæ fieri à nobis possunt, non autem aliena, uti nec necessaria neque fortuita.
- **IV.** *VOLUNTAS.* Ἡ βούλησις ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ ἢ φαινομένου ἀγαθοῦ μετὰ λόγου ὄρεξις. Voluntas est boni, vel veri, vel adparentis, cum ratione appetitio. 3. *Ethic. Nicom.* 4. Vocabulum voluntatis hic non pro ipsa potentia volendi, aut actu voluntatis primo, sed pro secundo accipitur.

CAP. IV.

De Affectibus.

De AFFECTIBUS tria notanda:

I. *Quid sint?* R. Affectus est motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis. *Conimb. disp. Eth. 6. q. 3. a. 1. vel* Passio animæ nihil aliud est, quam motus appetitivæ virtutis in persecutione boni vel in fuga mali. *Tom. 2. Eth. lect. 3.*

II. *Subjectum.* Affectus omnes pertinent ad animam sentientem; nec tamen ad facultatem sive potentiam ejus apprehensivam sed appetitivam.

III. Divisio. Affectus pertinet vel ad

- *Appetitum concupiscibilem*: ut,
  - *Amor*, qui est motio appetitus, qua rem aliquam prosequimur quatenus utilis & delectabilis est.
  - *Odium*, quod est motio appetitus, qua rem aliquam fugimus & repellimus, quatenus inutilis & injucunda est.
  - *Concupiscentia*, quæ est appetitio ejusquod delectat, hoc est, *quod delectationem sensibus creat.*
  - *Gaudium*, quod est appetitio qua bonum amplectimur, fovemus, tenemus.
  - *Dolor & Tristitia*, quæ oriuntur quando appetitus conjungitur cum malo idque percipit.
- *Appetitum irascibilem*: ut,
  - *Spes*, quæ est appetitio boni futuri cum difficultate conjuncti, sed quod consequi tamen possumus.
  - *Timor*, qui est dolor & perturbatio orta ex imaginatione futuri mali, aut ejus quod lædere nos potest.
  - *Audacia*, quæ est motus qui promptos facit ad adgrediendum quod speramus, *id est, ad superandum periculum quod imminet, sive quod ab adeptione boni alicujus nos prohibet.*
  - *Ira*, quæ est appetitio cum dolore conjuncta vindictæ sive ultionis, propter eam quæ adparet parvipensionem, vel in se, vel in suorum quempiam, convenientem.

CAP. V.

De Divisione Virtutis Moralis.

VIRTUS alia est

- *Perfecta*, quæ versatur vel circa
  - *Corpus hominis*, ut,
    - FORTITUDO, *cap.* 5.
    - TEMPERANTIA, *cap.* 7.
  - Bona vel mala externa, utpote vel circa
    - *Pecuniam*, ut,
      - LIBERALITAS, *cap.* 8.
      - MAGNIFICENTIA, *cap.* 9.
    - *Honores*, ut,
      - MAGNANIMITAS, *cap.* 10.
      - MODESTIA, *cap.* 11.
    - *Iram*, ut, MANSUETUDO, *cap.* 12.
  - *Conversationem*, ut tres virtutes homiliticæ: COMITAS, VERITAS, URBANITAS, *cap.* 13
  - *Contractus*, ut, JUSTITIA, *cap.* 14, 15.
- *Imperfecta*, quæ est dispositio ad virtutem perfectam; ut sunt SEMIVIRTUTES, *cap.* 16.
- *Perfectissima*, ut, VIRTUS HEROICA, quæ est virtutum moralium eminentia, *cap.* 17.

CAP. VI.

De Fortitudine.

De FORTITUDINE quinque notanda:

I. 2. Nomen cujus observ.

1. Ἐτυμολογία. Fortitudo nomen habet à ferendo. *Græcis dicitur ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς à viro, non quod in solos viros cadat, sed quod maxime digna sit sexu virili, in eoque frequentior.*
2. Ὁμωνυμία. Vocabulum *Fortitudinis* sumitur
   1. Pro qualibet virtute, quatenus animo firmitatem aliquam ad agendum tribuit.
   2. Pro corporibus & virium naturalium vigore.
   3. Pro quovis contemptu periculorum, & sic audaciæ quoque competit.
   4. Proprie, pro ea virtute quæ circa fiduciam & metum versatur, *id est, confidenti, & qua intrepido animo esse docet.*

II. Quid sit? R. Ἀνδρεία ἐστὶ μεσότης περὶ φόβους καὶ θάρρη. FORTITUDO est mediocritas circa metum & fiduciam. 3. *Ethic. Nicom.* 7. Fortitudo est virtus mediocritatem servans in iis quæ metum aut fiduciam in periculis honestatis causa adeundis, vel perferendis adferre possunt. *Donald. lib.* 3. 1.

III. Objectum estque vel

- *Internum*, quod est timor & fiducia, magis tamen timor.
- *Externū* quod vel
  - *Generale*, hoc sunt formidabilia, & ea quæ fiduciam in periculis adferre homini possunt. *Neq; tamen circa omnia formidabilia vir fortis versatur, sed in iis intrepide se gerit, quæ ita terribilia sunt, & metum incutiunt, ut constantiam hominis non superent. Inter hæc est præcipium vitæ periculum, sive mors ipsa.*
  - *Speciale*, hoc est mors bellica. *Vir fortis mortem odit & fugit:* Fugit, *quatenus non adpetit*; Adit, *quatenus non detrectat mori, sed ita ut morte sua de multis præclare mereatur.*

IV. Actus, estq; duplex:

1. *Sustinere.* Fortitudo timorem reprimit difficultatem sustinendo.
2. *Adgredi.* Fortitudo audaciam moderatur adgrediendo. *Principaliter tamen est actus sustinendi quam adgrediendi.*

V. *Extrema*, quæ sunt

1. *In excessu*, AUDACIA θρασύτης, quæ est nimia fiducia in periculis subeundis ex arrogantia quadam & sine ratione.
2. *In defectu*, TIMIDITAS δειλία quæ ultra modum metuendo progreditur, fidendo modum deserit.

VI *Quotuplex?* R. Fortitudo est vel

- *Vera*, seu *virtuosa*, quando aliquis ex habitu virtutis virum se præstat.
- *Adparens*, cujus quinq; sunt species
  1. *Civilis*, quæ maxime Fortitudini veræ similis videtur, & conspicitur in civibus, qui maxima subeunt pericula ut honores consequantur, aut etiam infamiam pœnasve fugiant.
  2. *Militaris* seu *experimentalis*, quando aliquos experientia rei militaris efficit animosos
  3. *Iracundia*, quando quis ira, dolore, aut alio aliquo animi affectu concitatus, temere adit pericula.
  4. *Fiduciaria*, seu *in spe collocata*, quando spes ceteræ victoriæ audaces efficit milites.
  5. *Inscia* & *stolida*, quæ est eorum qui ideo aliquid audeat, quod periculi magnitudinem sæpe ignorant.

CAP.

CAP. VII.

De Temperantia.

De TEMPERANTIA quinque notanda;

- I. *Nomen*, cujus observ.
  - 1. Ἐτυμολογία. Temperantia nomen habet à temperando, cum voluptates refrænet, moderetur, & temperet. Græcis dicitur σωφροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρένα, *conservans mentem*, aut quasi σῶα φρόνησις, *salva prudentia*.
  - 2. Ὁμωνυμία. Vocabulum *Temperantia* accipitur
    - 1. *Improprie*, quatenus videlicet tribuitur brutis, *v. gr. apibus, aquila*, &c.
    - 2. *Generaliter*, pro omnium actionum humanarum moderatione. *Quô sensu omnes fere virtutes sub se complectitur.*
    - 3. *Specialiter*, pro illa virtutis moralis specie, quæ circa voluptates moderandas est occupata.
- II. *Quid sit?* R. Σωφροσύνη ἐστὶ μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας. TEMPERANTIA est mediocritas circa voluptates & dolores. 3. *Ethic. Nicom.* 10. Temperantia est virtus mediocritatem servans in adpetendis & fugiendis corporis voluptatibus, quæ gustu & tactu percipiuntur. *Donald. lib.* 3. *Ethic. c.* 2.
- III. *Objectum* quod est vel
  - *Primarium*, seu per *se*; ut sunt voluptates corporis, quæ afficiunt gustum & tactum, & percipiuntur ex cibo, potu, & venere.
  - *Secundarium*, seu *per accidens*; ut sunt dolores, quatenus ex nimio desiderio voluptatem, vel illarum privatione oriuntur.
- IV. *Extrema*, quæ sunt
  - 1. *In excessu*, INTEMPERANTIA ἀκολασία. hæc est vitium quo citra delectum quævis voluptates in gustu aut tactu positæ, nulla habita honestatis ratione immoderate expetuntur.
  - 2. *In defectu*, STUPIDITAS ἀναισθησία, hæc est vitium in adspernandis omnibus etiam necessariis & honestis voluptatibus.
- V. *Species*, suntque
  - 1. *Frugalitas*, de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. Frugalitas est temperantia in sumendo nutrimento. *In cibo & potu proportio Geometrica est observanda, homines enim plurimum variant.*
    - 2. *Quotuplex?* R. Frugalitas est vel
      - *Abstinentia*, de qua not.
        - 1. *Quid sit?* R. Abstinentia est frugalitas in moderato cibi usu.
        - 2. *Extrema*;
          - 1. In excessu *voracitas.*
          - 2. In defectu *nimia abstinentia a cibo.*
      - *Sobrietas*, de qua not.
        - 1. *Quid sit?* R. Sobrietas est frugalitas in moderato potus usu.
        - 2. *Extrema*;
          - 1. In excessu *ebrietas*, sive *ebriositas.*
          - 2. In defectu, *nimia abstinentia à potu.*
  - 2. *Castitas*;
    - 1. *Quid sit?* R. Castitas est temperantia in moderato Veneris usu.
    - 2. *Extrema*
      - 1. In excessu *salacitas*, sive *libido*.
      - 2. In defectu, *nimia & contra natura ordinem abstinentia à Venere.*

CAP. VIII.

De Liberalitate.

De LIBERALITATE quatuor notanda:

- **I.** *Quid sit?* R. Ἐλευθεριότης ἐστὶ μεσότης περὶ τὰ χρήματα. LIBERALITAS est mediocritas circa pecunias, 4. *Ethic. Nicom.* 1. Liberalitas est virtus mediocritatem servans in pecuniis modicis dandis accipiendisque. *Donald. l. 3. c. 3.*
- **II.** *Objectum*, & sunt τὰ χρήματα, pecuniæ, divitiæ seu opes. *Per τὰ χρήματα intelliguntur cuncta illa quorum æstimationem nummus metitur.*
- **III.** *Actiones.* Liberalitas consistit tum in
  - *Dando*, ubi not. tum
    - *Modus*, hic not.
      1. *Persona* tum
         - *Dantis.* Liberalis dat libenter, sine molestia & exprobratione.
         - *Accipientis.* Non omnibus est benefaciendum, sed tantum indigentibus, dignis, probis, bene meritis, &c.
      2. *Quantitas.* Pro facultatibus dantis, & pro dignitate ac necessitate accipientis beneficia distribuantur.
      3. *Qualitas.* Beneficia accipienti prosint, noceant nemini.
      4. *Tempus.* Tum dentur beneficia, cum res exigit: absit itaque omnis procrastinatio.
      5. *Locus.* Honoris gratia collata beneficia fiant palam; egestatis sublevandæ causa privatim.
    - *Finis*, qui debet esse sola honestas. Non enim liberales sunt, qui gratia vel ostentationis, vel majoris lucri & remunerationis dant atque erogant.
  - *Accipiendo*; Liberalis cavebit ne aliunde accipiat, quam unde debet utque honestis rationibus facultates suas augeat.
- **IV.** *Extrema* sunt
  1. *In excessu*, PRODIGALITAS, de qua not.
     1. *Quid sit*, R. Prodigalitas ἀσωτία est vitium modum in nimium dando, & parum aut inhoneste accipiendo violans.
     2. *Quotuplex?* R. Prodigalitas est vel
        - *Simplex*, quæ in res quaslibet temere facultates profundit, sine ulla spe receptionis.
        - *Mixta*, quæ cum aliis vitiis est conjuncta; *seu*, quæ ab aliis per injuriam aufert, quod aliis immoderate tribuit.
  2. *In defectu*, AVARITIA de qua not.
     1. *Quid sit?* R. Avaritia ἀνελευθερία est vitium, in nimium accipiendo, retinendoque modum violans.
     2. *Genera avarorum*, ea sunt tria;
        1. *Eorum* qui dando solum deficiunt, interim tamen injuste non accipiunt.
        2. *Eorum* qui injuste accipiunt, & per fas & nefas opes congerunt.
        3. *Eorum* qui in dando deficiunt, & in accipiendo modum excedunt.

CAP.

CAP. IX.

De Magnificentia.

De MAGNIFICENTIA quinque notanda:

- I. *NOMEN* sumitur
  - 1. Pro titulo dignitatis, quo ex Romanorum more salutare consuevimus eos qui magistratus publici, aut nobilitatis dignitate majori alios antecellunt.
  - 2. Pro eo quod authoritatem conciliat; ut, *magnificus incessus, magnifica facies;*
  - 3. Pro virtute, quæ decorum servat in magis sumptibus faciendis.
- II. *Quid sit?* R. ἡ μεγαλοπρέπειά ἐστι δαπάνη ἐν μεγέθει πρέπουσα, MAGNIFICENTIA est sumptus in rebus magnis & amplis decorus. 4. *Ethic.Nicom.* 2. Magnificentia est virtus in magnis sumptibus erogandis mediocritatem servans. *Donald. l.* 3. *c.* 4.
- III. *Objectum*, suntque sumptus magni in quibus erogandis decorum spectatur. Hic tria notanda:
  - 1. *Persona.* Magnificentiam qui vult exercere non debet esse pauper vel plebeius; sed sit dives, & in aliquo dignitatis & honoris gradu constitutus.
  - 2. *Sumptus*, de quibus not.
    - 1. Magnorum sumptuum alii aliis sunt majores, alii minores; prout ergo divitiæ uniuscujusque ferunt, expensæ sunt faciendæ.
    - 2. Qui impendit ea quæ sibi furto, rapinis, fraude, aliisque mediis illicitis adquisivit, magnificus dicendus non est.
    - 3. Sumptus fiant non gloriæ causa sed honestatis, cum voluptate, sine parsimonia.
  - 3. *Opera* in quæ sumptus fiunt, suntq; vel
    - *Sacra*, quæ ad divinum cultum pertinent; ut, *templa, altaria*, &c.
    - *Profana*, quæ vel
      - *Publica*, quæ ad publicum civitatis usum & ornamentum pertinent: ut, *theatra, mœnia, pontes*. &c.
      - *Privata*, quæ ipsum magnificum & suos spectant: ut, *ædes, horti, vestes*, &c.
- IV. *Discrimen* Magnificentiæ & Liberalitatis:
  - 1. Magnificentia versatur circa sumptus magnos, Liberalitas vero circa modicos est occupata.
  - 2. Omnis magnificus est liberalis, non autem omnis liberalis est magnificus.
  - 3. Liberalitatis actiones sunt dare & accipere; magnificentiæ autem sumptus facere.
  - 4 Nemo potest dici liberalis erga se & suos, sed tantum erga alios, potest autem aliquis etiam in se & suos esse magnificus.
- V. *Extrema*, suntque
  - 1. *In Excessu*, LUXUS ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία, quæ est inepta & inutilis magnorum sumptuum in res viles & non necessarias profusio, ostentationis solum gratia, facta.
  - 2. *In defectu*, SORDES μικροπρέπεια, quæ est indecora & intempestiva in magnis & splendidis operibus efficiendis parsimonia.

CAP. X.

De Magnanimitate.

De MAGNANIMITATE quinque notanda:

I. *Nomen*; sumitur
1. Pro fortitudine; *quia in periculis summis magnus requiritur animus.*
2. Pro ornamento quodam virtutum omnium; *quo sensu per omnes virtutes eam deducit Arist.* 4. *Eth.* 3. *& quomodo in singulis se gerat, ostendit.*
3. Pro virtute appetitum in magnis honoribus expetendis regente.

II. *Quid sit?* R. MAGNANIMITAS μεγαλοψυχία est virtus in magnis & debitis honoribus expetendis vel contemnendis mediocritatem servans. *Donald. l.* 3. *c.* 5.

III. *Objectum*, estque
Generale, hoc sunt τὰ μεγάλα res magnæ, uti ipsa Etymologia innuit.
Speciale, hoc sunt honores magni, *quia honor omnium externorum bonorum maximum.* Honor est præmium virtutis, tributum à congruente ejus judice viro bono, ut ejus virtus resulgeat, cæterique ejus exemplo ad virtutem excitentur: *Piccolom. grad.* 8. *cap.* 24.

IV. *Officium magnanimi*, quod est vel
Primarium, estque magnos & meritos honores convenienter & modo decenti expetere, vel contemnere.
Secundarium, estque circa divitias & potentiam, necnon circa fortunam, tam prosperam quam adversam, ita moderate versari, ut nimirum in rebus secundis animum non efferat, nec in adversis despondeat, sed omnem fortunam decenter & moderate ferat.

V. *Extrema*, quæ sunt
1. *In excessu*, SUPERBIA χαυνότης, estque vitium per quod majoribus honoribus quam digni sumus, nos dignos judicamus. *Omnis superbus est stultus & injustus.*
2. *In defectu*, PUSILLANIMITAS μικροψυχία, estque vitium per quod iis honoribus nos indignos judicamus, qui tamen jure nobis debentur. *Qui hoc vitio laborant in se ipsos & in ipsam virtutem quodammodo sunt injusti, spoliantes se honoribus qui propter virtutem iis debentur: Seipsos quoque reddunt suspectos, quod sceleris alicujus sibi conscii honores dignos aversentur.*

CAP. XI.

De Modestia.

De MODESTIA quinq; notanda:

I. *Nomen*; sumitur
1. *Generaliter*, pro quavis animi moderatione, verecundia & pudore in loquendo, stando, incedendo, gaudendo.
2. *Specialiter*, pro virtute circa honores mediocres occupata.

II. *Quid sit?* R. MODESTIA est virtus servans mediocritatem in parvis honoribus eo quo decet modo expetendis. *Prætor. in Theat. Eth. p.* 2. *sect.* 11.

III. *Objectum* sunt honores modici & parvi. *Differt igitur Modestia à Magnanimitate sicut Liberalitas à Magnificentia: Magnanimitas versatur circa magnos, Modestia circa parvos honores.*

IV. *Officium modesti* est
1. Adpetere debitos & justos, *h. e. legitimis mediis adquisitos* honores.
2. Abstinere à nimiis & nobis dignioribus honoribus. *Hinc fuga honorum nec per se laudabilis est, nec culpabilis, sed dum à medio recedit.*

V. *Extrema*, sunt
1. *In excessu*, AMBITIO φιλοτιμία, & est vitium quo honores mediocres nimium & præter rationem expetimus.
2. *In defectu*, HONORUM CONTEMPTUS ἀφιλοτιμία, & est vitium quo honores etiam nobis debitos præter rationem adspernamur.

CAP. XII.

De Mansuetudine.

De MANSUETUDINE quinque not.

I. *Nomen*; sumitur
1. Generaliter, pro eo quod quacunq; ratione est mansuetum, vel cicur factum.
2. Pro lenitudine quæ alias in defectu peccat.
3. Proprie pro virtute quæ inter lenitudinem & iracundiam medium tenet. *Dicitur etiam placabilitas, clementia, lenitas, &c.*

II. *Quid sit?* R. πρᾳότης ἐστὶ μεσότης περὶ ὀργάς MANSUETUDO est mediocritas circa iras. 4. *Ethic. Nicom.* 5. Mansuetudo est virtus quæ mediocritatem servat circa iram in vindicando & puniendo. *Golius l.* 4. *Ethic. c.* 5.

III. *Objectum* est vel
- *Internum*, sc. ira, seu irascendi appetitus.
- *Extremum*, sc. omnia ea quæ iram in animo hominis excitare possunt, ut sunt, *injuria, damna, contemptus, &c.*

IV. *Officium mansueti est* est irammoderari. Habenda itaq; est ratio
1. *Causarum.* Irascendum est non propter leves, sed solum propter graves & justas causas, pertinentes ad vindicationem & desensionem honoris & cultus divini, patriæ, libertatis, legum, conjugum, liberorum, famæ, existimationis, & similium.
2. *Personarum.* Irascendum non imprudenter peccantibus, non mente captis, non superioribus, non bene de nobis meritis, non veniam precantibus; sed improbis & malis.
3. *Modi*, qui consistit in ira frænanda, ne vel honestatis terminos excedat, vel rationibus non cedat, vel primo impetu quidquam fiat, vel ira celicto major sit.
4. *Temporis.* Hic duo not.
   1. *Quando?* R. Cavendum est ne nimis tarde in gravioribus, nec nimis cito in levioribus delictis: ne in seriis consul[...]tionibus, aut tempore gaudii irascamur.
   2. *Quamdiu?* R. Ira non est diu alenda, alias in odium aut furorem vertitur.

V. *Extrema* sunt
1. *In excessu*, IRACUNDIA, cujus not.
   1. *Quid sit?* R. Iracundia ὀργιλότης est vitium quo præter modum absque justis causis iræ indulgemus.
   2. *Species* sunt
      1. *Excandescentia* ἀκροχολία, qua subito & aperte ob levem causam irascimur, subitoque placamur.
      2. *Amarulentia* πικρότης, qua tarde irascimur, sed iracundiam semel conceptã tam diu retinemus donec vel vindictam fuerimus consecuti, vel diuturnitate eam concoxerimus.
      3. *Crudelitas* βαρυθυμία, & est iracundia pertinax & aperta, quæ absque vindicta placari non potest.
2. In *defectu*, LENITUDO ἀοργησία, vitium per quod ne justis quidem de causis ira commovemur. *Qui hoc vitio laborant, videntur stolidi & fatui, sunt servili & abjecto animo, & ad res præclaras gerendas minus apti.*

CAP. XIII.

De Virtutibus Homiliticis.

VIRTUTES HOMILITICÆ sunt tres:

- **I. COMITAS; de qua not.**
  - 1. *Quid sit?* R. COMITAS (*alias dicta humanitas, affabilitas, &c.*) est virtus in conversatione quotidiana mediocritatem servans, ne quis juste offendatur. *Prætor.p.2. Theat.Eth. sect.* 13.
  - 2. *Objectum* sunt hominum congressus seu quotidiana conversatio.
  - 3. *Officium VirComis*
    - 1. Quantum per honestatem & utilitatem fieri potest, neminem debet offendere sed potius delectare.
    - 2. Si non potest omnia aliorum dicta & facta adprobare, eos amice & modeste admoneat, neque hac in parte eorum offensionem metuat, sed magis honestatem & utilitatem spectet.
    - 3. Debet rationem habere personarum. *Præstantioribus auscultare & obtemperare convenit: Inferioribus modeste persuadere: Æqualibus consentire.*
  - 4. *Extrema sunt*
    - 1. *In excessu,* ADSENTATIO ἀρέσκεια, vitium quo præter modum & rationem honestatis, in omnibus dictis & factis placere studemus iis cum quibus conversamur.
    - 2. *In defectu,* MOROSITAS δυσκολία, vitium, quo præter modum & rationem nemini, ne inhonestis quidem rebus & actionibus placere volumus, sed omnia improbamus.
- **II. VERITAS, de qua IV. not.**
  - 1. *Quid sit?* R. VERITAS, seu Veracitas est virtus, per quam id quod in qualibet re verum est, solius veritatis amore simpliciter & aperte fatemur, nihil addendo vel detrahendo. *Golius l.* 4.
  - 2. *Objectum* est *verum* tum in verbis, tum in factis.
  - 3. *Officium: Vir verax est*
    - 1. ἁπλοϊκὸς, Justus ac bonus, nihil propter commodum privatum dicens vel faciens quod revera non sit.
    - 2. αὐθέκαστος, in dictis & factis per omnia sibi similis, nihil in alterius gratiam fingens.
    - 3. ἐλαττωτικὸς, sua non jactans, sed extenuans potius.
  - 4. *Extrema sunt*
    - 1. *In excessu,* ARROGANTIA ἀλαζονεία quæ est mendacium quo ea, quæ non habemus, nobis arrogamus.
    - 2. *In defectu,* DISSIMULATIO εἰρωνεία, quæ est mendacium quo ea, quæ nobis adsunt negamus, fingimusq; contraria.
- **III: URBANITAS, de qua IV. not.**
  - 1. *Quid sit?* R. URBANITAS εὐτραπελία, est virtus in ludis & jocis mediocritatem servans. Donald. *l.* 3. *c.* 10.
  - 2. *Objectum* sunt ludi & joci omniaque delectabilia.
  - 3. *Officium Urbani*; Ludi & joci sint liberales & honesti, & non tantum oblectationis & sapientiæ sale conditi, sed & personis, loco, atque temporibus accomodati.
  - 4. *Extrema sunt*
    - 1. *In excessu,* SCURRILITAS βωμολοχία, vitium, quo in jocando & modum & decorum excedimus, non habita ratione honestatis cæterarumque circumstantiarum.
    - 2. *In defectu,* RUSTICITAS ἀγροικία, vitium, quo neque jucunda proferre, neque aliorum jocos ferre possumus.

CAP.

CAP. XIV.

De Justitia.

De JUSTITIA tria not.

1. *Quid sit?* R. δικαιοσύνη ἐστιν ἕξις ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι καὶ βούλονται τὰ δίκαια. JUSTITIA est habitus quo homines idonei sunt ad agendum ea quæ justa sunt, eademque etiam agunt & volunt. *lib.* 5. *Ethic*, *c.* 1.

2. *Quotuplex?* R. Justitia est vel
   - *Universalis*, de qua not.
     1. *Quid sit?* R. JUSTITIA UNIVERSALIS est qua omnibus legibus ad publicam societatis conversationem obedientia præstatur. *Hæc justitia omnes in se virtutes complectitur, & tam late patet quam virtus ipsa, nec ab hac differt, nisi quod non tam est virtus nuda & in se spectata, quam eadem in usu & exercitio posita. Horn. l.* 3. *c.* 11.
     2. *Objectum* sunt omnium legum & virtutum actiones sive omnia legitima; unde etiam *Justitia legalis dicitur.*
   - *Particularis*, de qua not.
     1. *Quid sit?* R. JUSTITIA PARTICULARIS est virtus quæ tam in rerum distributione, quam commutatione ac contractibus, & omnibus in quibus injuria cuiquam fieri potest, ita hominem se gerere docet, ut nec de externis bonis plus sibi vindicet & minus alteri relinquat, nec rursus de malis minus sibi & plus alteri quam par est, & jure illi debetur, Hornius *l. d. Hac proprie est Justitia quæ specialem virtutem constituit, quæque hic consideranda venit.*
     2. *Quotuplex sit?* R. est vel
        - *Distributiva*, de qua not.
          1. *Quid sit?* R. JUSTITIA DISTRIBUTIVA διανεμητικὴ est, quæ in distributione rerum externarum, pro ratione dignitatis personarum & æqualitatis rerum singulis suum tribuit.
          2. *Objectum* sunt res externæ inter plures dividendæ: ut, *honores, præmia, pœnæ &c.*
          3. *Proportio* sit Geometrica, ubi personarum dignitas, & pretium rerum distribuendarum spectatur.
        - *Commutativa*, de qua not.
          1. *Quid sit?* R. JUSTITIA COMMUTATIVA συναλλακτικὴ est, quæ in contractibus & rerum comutatione, nullo habito personarum respectu, eam servat æqualitatem, ut suum quisque consequatur, & nulla pars defraudetur.
          2. *Objectum* sunt res commutandæ, seu ipsi contractus & permutationes rerum.
          3. *Proportio* sit Arithmetica, nam hic non personarum respectus sed simplex rerum æqualitas attenditur.

3. *Effectus est* JUS, de quo *cap. seq.* XV.

CAP. XV.

De Jure.

De JURE tria not.

- I. *Quid sit?* R. JUS est Justitiæ effectum, quod in mutuæ societatis usu hominibus recta præscribit ratio. *Donald.l. 3.c.7.*
- II. *Quotuplex?* R. Jus est vel
  - *Civile:* de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. JUS CIVILE δίκαιον πολιτικὸν est, quod in societate inter homines liberos & æquales, vel proportione, vel numero, ad sufficientem rerum necessariarum copiam colitur.
    - 2. *Quotuplex sit?* R.
      - *Naturale φυσικὸν*, quod natura omnibus hominibus indidit. *Sub hoc comprehenditur etiam illud, quod ICti vocant Jus gentium.*
      - *Legitimum*, de quo not.
        - 1. *Quid sit?* R. JUS LEGITIMUM νομικὸν, est, quod hominum decreto in societate ad civium salutem est sancitum. *Dicitur etiam Jus positivum, item Lex, & à ICtis Jus civile.* LEX HUMANA est decretum factum & promulgatum ab eo, qui publicam authoritatem in civitate aliqua habet, præscribens quidpiam à subditis servandum, quod ad Reip. tranquillitatem & utilitatem facere probabiliter putatur. *H. l. 4. c. 3.*
        - 2. *Ajunctum* est *Æquitas.* ubi not.
          - 1. *Quid sit?* R. Æquitas ἐπιείκεια est correctio juris legitimi sive legis ea parte, qua deficit ob suam generalitatem.
          - 2. *Opposita*
            - 1. ἀκριβοδίκαιον, summum jus, seu jus strictum.
            - 2. ἡ συκοφαντία, & malitiosa juris interpretatio.
  - *Oeconomicum.* de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. *Jus Oeconomicum* est communio & societas vitæ eorum qui ejusdem sunt domus, instituta ad generis propagationem, & domesticorum sustentationem.
    - 2. *Quotuplex sit?* R. est vel
      - *Paternum πατρικὸν*, quod est inter parentes & liberos.
      - *Herile δεσποτικὸν*, quod est inter dominum & servum.
      - *Matrimoniale γαμικὸν* quod est inter maritum & uxorem.
- III. *Oppositum* est INJURIA ἀδίκημα, juris violatio; cum à sciente ac volente invito alicui præter meritum damnum infertur. *Dicitur* invito, *nam Volenti non fit injuria; vel volens non patitur injustum.*

CAP. XVI.

De Semivirtutibus.

SEMIVIRTUTES versantur vel circa

- *Voluptates*, ut CONTINENTIA, de qua not.
  - I. *Quid sit?* R. CONTINENTIA ἐγκράτεια est virtus imperfecta, qua inordinati affectus omnes, inprimisque alimenti & veneris, rectæ rationi reluctantes, inviti subjiciuntur. *Donald. l. 3. c. 12. vel*, Continentia est dispositio proba, sequens rationem rectam, qua homo se abstinet à voluptatibus cupiditate repugnante.
  - II. *Objectum* est vel
    - *Primarium*, scil. voluptates corporis, quæ percipiuntur ex gustu & tactu.
    - *Secundarium*, scil. voluptates quæ percipiuntur ex divitiis, honoribus, cupiditate vindictæ.
  - III. *Extrema* sunt
    - 1. *In excessu* INCONTINENTIA, de qua n.
      - 1. *Quid sit?* R. Incontinentia ἀκρασία est, qua nonnulli contra judicium rectæ rationis, à pravis cupiditatibus quodammodo inviti ad peccandum abripiuntur. *Incontinens partim sciens, partim nolens peccat; eo quod licet universale teneat, tamen in specie singularibus actionibus non adplicat.*
      - 2. *Quotuplex sit?* R. Incontinentia
        - *Præcipitantia*, qua subito per imprudentiam à vehementiori affectu abripimur.
        - *Infirmitas*, qua aliquamdiu pravis cupiditatibus resistentes tandem subcumbimus.
    - 2. *In defectu*, cum quis voluptates adeo aversatur, ut ne propter honestam voluptatem aliquid laude dignum suscipiat.
- *Dolores*, ut TOLERANTIA, de qua not.
  - I. *Quid sit?* TOLERANTIA καρτερία est virtus imperfecta, qua res adversas & laboriosas, cum quodam dolore conjunctas, honestatis gratia magno animo præferimus. *Prætor. vel*, Tolerantia est affectus rationem rectam sequens, qua homo perfert dolores repugnante irascendi appetitu. *Piccolom.*
  - II. *Objectum* sunt res adversæ seu dolores, non vero quivis, sed ii præsertim, in quibus plerique subcumbunt ex imbecillitate animi & indulgentia.
  - III. *Extrema* sunt
    - 1. *In excessu*, PERTINACIA, vitium quo quævis molesta & adversa sine honestatis ratione tantum ex obstinatione animi perferuntur.
    - 2. *In defectu*, MOLLITIES μαλακία, vitium quo nullas plane molestias aut dolores honestatis gratia perferre volumus. *Hæc si oriatur ex vitio naturæ, sive generis, & morbo, excusationem meretur.*

CAP. XVII.

De Virtute Heroica.

De VIRTUTE HEROICA tria not.

I. *Nomen.* VIRTUS HEROICA, ἀρετὴ ἡρωικὴ ἀπὸ τοῦ ἥρωος, ab Aristotele dicitur *divina* non quod Deorum sit propria, verum quod homo hac virtute præditus ultra communem hominum sortem se quasi elevans, diis se, quantum humana fert conditio, similem præstat.

II. *Quid sit?* R. VIRTUS HEROICA est habitus animi, non tam humana industria adquisitus, quam divinitus quibusdam concessus, ad ejusmodi actiones acerrimo impetu & felicissimo successu abeundas, quæ alioquin à communis sortis hominibus præstari non possent. *Gutkius. disp. Eth.* 3. *th.* 21. *vel,* Virtus heroica est virtutis excellentia hominem supra communem seu humanam conditionem elevans. *Piccolom. gr.* 6.

III. *Extrema sunt*
- *In excessu,* FERITAS θηριότης, vitium, quo homo excusso rectæ rationis judicio, omniq; humanitate projecta, ferarum more, ea amplectitur & perpetrat à quibus alioquin humanus animus naturaliter abhorret: *vel,* Feritas est vitium humanam adpetitionem in ferinam commutans, omnem rationis usum excludens, ex perversione veri amoris ortum, per quod infra hominis conditionem deprimitur. *Piccolom.*
- *In defectu,* Ignavia summa & ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

CAP. XVIII.

De Voluptate.

Cognata seu affinia virtutum sunt

- VOLUPTAS de qua not.
  - I. *Quid sit?* R. ἡδονή ἐστιν ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος. VOLUPTAS est operatio non impedita, promanans ab habitu qui est secundum naturam. *Eth.* 7. *Nicom.* 12. ἡδονή ἐστι τελείας ἐνεργείας ἐπιγενόμενον τέλος. Voluptas est perfectæ operationis subsequens signum. 10. *Eth.* 4.
  - II. *Quotuplex sit?* R. Voluptas est
    - 1. vel
      - *Animi,* quæ ex perfectorum animi habituum actionibus profecta, per se absque dolore est jucunda.
      - *Corporis,* quam naturæ necessitati satisfaciens ex rectæ rationis præscripto corpus percipit. *Donald.*
    - 2. vel
      - *Honesta,* quæ ex honestis actionibus percipitur: ut, *tranquillitas & lætitia bonæ conscientiæ.*
      - *Turpis,* quæ ex inhonestis actionibus percipitur: ut, *si quis furtis, homicidiis, &c. gaudeat.*
      - *Indifferens,* quæ ex neutris actionibus percipitur: ut, *si quis esu piscium, si hortorum cultura delectatur.*
    - 3. vel
      - *Pura & sincera,* quæ nihil habet admixtum turpitudinis aut doloris.
      - *Impura & mixta,* quæ aliquid turpitudinis aut molestiæ sibi junctum habet.
    - 4. vel
      - *Humana,* quæ hominis naturæ convenit.
      - *Belluina,* quæ belluis convenit: *Quot igitur bellua-rum species, tot sunt voluptatum belluinarum differentiæ.*
- AMICITIA, *de qua cap.* 19.

CAP.

CAP. XIX.

De Amicitia.

De AMICITIA V. not.

- I. *Nomen*, quod sumitur
  - 1. Pro rerum naturalium συμπάθεια inter se, quo modo rebus omnibus creatis quædam inest amicitia.
  - 2. Pro amabili affectu inter belluas, ut etiam inter hominem & belluas.
  - 3. Pro mutuo amore in societate civili: *In qua significatione hic accipitur.*
- II. *Quid sit?* R. φιλία ἐστὶν εὔνοια ἐν ἀντιπεπονθόσι μὴ λανθάνουσα, AMICITIA est benevolentia mutua non latens: 8. *Ethic. Nicom.* 2.
- III. *Quotuplex sit?* Resp.
  - 1. vel
    - *Honesta*, quæ propter solam honestatem seu virtutis amorem initur. *Hac dicitur amicitia per se, perfecta, firma, stabilis, & rara, quæ nullis patet calumniis, injuriis, suspicionibus, & non nisi inter viros bonos, locum habet.*
    - *Jucunda*, qua propter voluptatem & jucunditatem quandam plures inter se amore & benevolentia conjunguntur. *Hanc amicitiam maxime sectantur juvenes voluptatibus dediti.*
    - *Utilis*, qua propter lucrum plures inter se amore conjunguntur. *Hac amicitia plerumque cadit in senes lucro inhiantes.*
  - 2. vel
    - *Æqualis*, qua plures dignitate, moribus, & ætate, æquales, ob boni alicujus amorem se mutuo amore prosequuntur. *Talis est amicitia sodalium, condiscipulorum, collegarum, &c.*
    - *Inæqualis*, qua plures bonis externis dignitate, virtute, aut ætate inter se differentes, amore conjunguntur. *Talis est amicitia mariti & uxoris, patris & liberorum, &c.*
  - 3. vel
    - *Naturalis* φυσική, quam ipsa naturalis inclinatio hominibus conciliat. Estque
      - *Cognata* συγγενική, quæ ex sanguinis cognatione oritur. *Talis est amicitia paterna, fraterna, & cognata specialiter sic dicta.*
      - *Conjugalis* γαμική, quam natura per matrimonium inter aliquos conciliat. *Talis est amicitia conjugum, item affinium.*
    - *Communicativa* κοινωνική & πολιτική, quæ ex societate orta, propter civilem rerum communionem inter magistratum & subditum, dominum & servum, & similes colitur.
- IV. *Adjuncta* sunt.
  - 1. *Benevolentia* ἡ εὔνοια, & est habitus occultus hominẽ ad bene volendum inclinans, qui accedente consuetudine, in amicitiam transire potest.
  - 2. *Concordia* ἡ ὁμόνοια, & est civilis inter notos consensus, de rebus gravibus quæ per nos effici possunt.
  - 3. *Beneficentia* ἡ εὐεργεσία, qua erga amicos voluntatem nostram re ipsa ac factis palam facimus, eosque nobis charos ostendimus.
- V. *Extrema* sunt
  - 1. *In excessu.* ὑπερφιλία insanus amor, quo in gratiam amici quis nihil non tentare audet, etsi honestatem violat.
  - 2. *In defectu* μισανθρωπία fuga hominum & conversationis aversatio.

CAP.

CAP. XX.

De Virtutibus intellectualibus in communi.

De Virtute intellectuali IV. not.

- I. *Quid sit?* R. ἡ ἀρετὴ διανοητικὴ ἐστιν ἕξις τῆς ψυχῆς, ᾗ ψυχὴ καταφάναι ἢ ἀποφάναι ἀληθεύει. Virtus intellectualis est habitus animæ rationalis quo mens nostra vel affirmando vel negando verum enunciat. *6. Eth. c. Nicom.* 13.
- II. *Subjectum* est ea animi pars quæ rationalis adpellatur. *6. Ethic. Nicom.* 1.
- III. *Finis* est veritas, quam mens investigat
  - 1. *Contemplando*, quod munus est partis ἐπιστημονικῆς atque talis veritas contemplativa inde nominatur.
  - 2. *Transeundo* ad actionem seu usum, & veritas πρακτικὴ dicitur, λογιστικὴ investigat.
- IV. *Quotuplex sit?* R. Virtus intellectualis est vel
  - *Theoretica* seu *Speculativa*, quæ res necessarias cognitionis gratia investigat: *vel*, quæ in nuda subjecti consistit contemplatione. *Vide cap.* 22.
  - *Practica*, quæ res contingentes propter usum aliquem practicum inquirit: *vel*, quæ operando se prodit, inque illo adquiescit *Vide c.* 23.

CAP. XXI.

VIRT. INTEL. THEOR. sunt III.

- I. *INTELLIGENTIA*, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* R. ὁ νοῦς ἐστιν ἕξις ᾗ τὰς ἀρχὰς γνωρίζομεν INTELLIGENTIA est habitus mentis, quo principia scientiarum cognoscimus. *6. Ethic. Nicom.* 7.
  - 2. *Objectum* sunt ipsa principia & axiomata artium & scientiarum; cujusmodi sunt, *Omne totum est majus sua parte: Æqualia æqualibus addita efficiuntur æqualia: Honeste est vivendum. &c.*
- II. *SCIENTIA*, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* R: ἐπιστήμη ἐστιν ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαίων. SCIENTIA est habitus demonstrativus ex necessariis *6. Ethic.* 3.
  - 2. *Objectum* est τὸ ἐπιστητὸν scibile est quod rerum tantum necessariarum, æternarum, & quæ aliter sese habere non possunt.
- III. *SAPIENTIA*, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* R. ἡ σοφία ἐστὶ νοῦς καὶ ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων. SAPIENTIA est intelligentia & scientia rerum præstantissimarum. *Ethic. Nicom.* 7.
  - 2. *Objectum* sunt omnes res earumque causæ, quæ quidem sub hominis cognitionem cadere possunt; cujusmodi sunt rerum principia & causæ, & ipsæ conclusiones quæ ex illis efficiuntur.
  - 3. *Conditiones*
    - 1. Omnia scire, non quidem singulatim & quoad individua, sed quoad primos fontes *h. e. quoad primarum causarum & principiorum cognitionem.*
    - 2. Versari circa difficilia & à sensibus remotissima.
    - 3. Habere cognitionem certissimam.
    - 4. Maximam ad docendum habere aptitudinem.
    - 5. Non propter aliud, sed propter se adpeti.
    - 6. Aliis præesse, iisque dominari.

CAP.

CAP. XXII.

De Prudentia & Arte.

VIRTUTES INTELL. PRACTICÆ sunt

- **I. PRUDENTIA, de qua notanda.**
  - I. *Quid sit?* R. φρόνησίς ἐστιν ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ, περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. PRUDENTIA est habitus verus agendi cum ratione circa ea quæ homini bona aut mala sunt. 6. *Ethic. Nic.* 5.
  - II. *Objectum* sunt τὰ πρακτὰ *hoc est*, ea omnia quæ homini ad bene agendum sunt necessaria.
  - III. *Actus* sunt
    - 1. *Consultare & inquirere media.* Constituto enim fine, movet voluntas intellectum ut investiget media idonea.
    - 2. *Judicare*, quænam è mediis inventis ad finem adipiscendum magis conducant.
    - 3. *Præcipere sive imperare*, ut ea quæ judicata sunt perficiantur, qui est actus voluntatis dirigentis moventisque voluntatem ad executionem; & in hoc actu prudentiæ vis maxime elucet.
  - IV. *Quotuplex?* R. Est vel
    - *Communis*, quæ vel
      - *Politica*, quæ vel
        - *Legislatoria*, de recte ferendis, & explicandis legibus.
        - *Practica*, de recte administrandis Reipub negotiis: *Estq;*
          - *Senatoria*, quæ de futuris Reipublicam negotiis deliberat.
          - *Judiciaria*, quæ in foro de rebus præteritis judicat.
      - *Oeconomica*, quæ est prudentia communis recte consulendi & prospiciendi de iis quæ familiæ sunt necessaria.
    - *Privata*, qua nobis ipsis, nostrisque commodis & utilitatibus recte prospicimus.
  - V. *Cognatæ* sunt
    - 1. *Bona consultatio*, εὐβουλία, quæ est rectitudo consilii, qua bonum finem nobis propositum honestis mediis consequimur.
    - 2. *Perspicacitas*, σύνεσις, quæ est habitus recte judicandi de iis rebus circa quas prudentia versatur.
    - 3. *Sententia*, γνώμη, quæ est viri æqui & boni de dictis & factis aliorum rectum judicium.
- **II. ARS, de qua notanda.**
  - I. *Quid sit?* R. Τέχνη ἐστὶν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. ARS est habitus cum recta ratione effectivus. 6. *Ethic. Nicom.* 4.
  - II. *Objectum* sunt τὰ ποιητὰ, *h. e.* illa ex quibus tanquam materia aliquid effici, vel opus aliquod produci potest.
  - III. *Officium Artificis*, quod consistit
    - 1. Ἐν τῷ θεωρεῖν, ut consideret, quomodo debeat ex materia subjecta opus artificiosum producere.
    - 2. Ἐν τῷ τεχνάζειν, ut ex præscripto artis operetur.
    - 3. Ἐν τῷ γεννᾷν, ut opus ipsum producat.

PRÆ-


BRITISH MUSEUM
30
64
JAN

PRÆCEPTA PHYSICÆ


TABULIS INCLUSA.

Quibus adnexæ sunt

QUÆSTIONES CONTROVERSÆ:

à M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



LONDINI,

Typis *J. R.* Impensis *Joh. Williams*, sub Signo Anchoræ Cæruleæ, in Vico Vulgo Voc. *Little Brittaine.*

Anno Dom. 1666.

Perillustribus, & Generosissimis Comitibus ac Dominis,

Dn. *Alberto Friderico,*
Dn. *Jost. Gunthero,* } Fratribus Germanis,

Comitibus Dominis in Barbi *&* Milingen, *&c.* Dominis meis clementissimis.

Qui animum ad studia Philosophica adjungere volunt, iis & quid discendum, & quo discendum sit ordine sedulo videndum est: De his enim nisi mature consilium ceperimus, omnem ludemus operam, & nil domum decimo nisi dedecus anno, *ut cum ovidio loquamur. Inter ea autem, quibus opera danda merito refertur Philosophia Naturalis, quam vulgo vocant* Physicam: *Hujus enim disciplinæ tanta est dignitas, tanta jucunditas, tanta utilitas, ut ab omnibus expeti, imo, si fieri possit, manibus gestari debeat. Ordinem in addiscenda philosophia naturali quod adtinet, optime studiis suis consulere videntur illi, qui antequam in ventilandis controversiis operam collocant, præcepta h.e. definitiones, divisiones & axiomata memoriæ infigunt; tantum enim scimus, quantum memoria tenemus. Quemadmodum ædificiorum fundamenta prius fideliter locanda sunt, antequam parietes & tecta superstruantur: ita prius præceptis imbui nos oportet, quam ad altiora provolemus, ne primordia capiamus à posterioribus. Quæ cum ita sint, ante annos aliquot, in gratiam fidei meæ commissorum, præcepta Physices ex fontibus Aristotelis, (nam,* Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.) *necnon ex saniorum interpretum commentariis collegi, &, ut teneræ discentium memoriæ inservirem, Tabulis synopticis inclusi; ita enim uno fere intuitu ostenditur, quo ordine unum sequatur alterum, & quot membra in quolibet capite sint notanda. Istis Tabulis præcipuarum controversiarum decisiones per selectiores observationes & distinctiones adnectere placuit, ut studiosa juventus pleniorem præceptorum explicationem & materiam disputandi, judiciumque acuendi haberet, atque sic ad doctissimorum Commentariorum lectionem præpararetur.*

Hunc meum qualemcunque laborem, ex consensu & adprobatione Amplissimæ Facultatis Philosophicæ *in inclyta* JENENSI *Academia, cujus censuræ hasce pagellas non ita pridem subjeci, jam publici juris facio, &* V.V.G.G. Perillustres & Generosissimi Comites, *Domini mei Clementissimi, eas, quâ decet, animi submissione & humilitate inscribo & dedico, ut publico testimonio manifestū faciam, me* V. V. G. G. *ob insignem pietatem, admirandam eruditionem, benevolum erga literarum studia affectum, & heroicas virtutes quibus V. V. G. G. præfulgent, humillime venerari. Quanti enim V.V.G.G. Musas faciunt, quanta gratia, & quanto amore, favore, ac honore eas, earumque cultores prosequantur, ex colloquiis, quibus ante triennium V. G. Perillustris & Generosissime Dn.* Alberte Frederice, *me dignata est, satis superque cognovi. Ut igitur V. V. G. G. huc exiguum libellum tanquam debitæ gratitudinis & humillimi studii tesseram ac symbolum vultu adspiciant, & fronte serena suscipiant, submisse oro atque obsecro.*

DEUS Ter Opt. Max. Vestras illustres Generositates salvas florentesque conservet. Dab. ex Musæo die 12. April. Anno Christi 1632.

Vestras Perillustres Generositates

humillime colens,

M. *Joannes Stier.*



Procemium.

De Natura & Constitutione Physices.

De NAURA & CONSTITUTIONE Physices quatuor not.

I. Nomen, circa quod observ.

1. Ἐτυμολογία. Physica nomen habet ἀπὸ τῆς φύσεως id est à Natura, cujus est indagatrix. φύσις vero deducitur ἀπὸ τοῦ φύειν, quod inter alia nasci significat. Illis enim proprie naturam tribuimus, quæ ex præexistente materia orta & nata sunt, quorum quidem omnium tum principia, tum affectiones Physica explicat. Vnde hæc ipsa modo *Naturæ ratio*, modo *Naturæ descriptio*, modo *Naturæ explicatio* à Cicerone dicitur.

2. Ὁμωνυμία. Vox *Physica* sumitur

1. *Generaliter & improprie* apud Stoicos, pro tota Philosophia Theorica; id est, pro tribus illis scientiis, *Metaphysica*, *Physica* proprie sic dicta, & *Mathematica* simul.
2. *Specialiter & proprie* in schola Peripatetica, pro illa tantum Philosophiæ contemplatricis parte quæ corporis naturalis principia & affectiones considerat.

II. *Quid sit*? R: PHYSICA est Scientia corporis naturalis, quatenus naturale est.

III. *Subjectum*, sive *Objectum* est corpus naturale, quatenus naturale est; *h.e. corpus ex Materia & forma substantiali compositum, quod naturam, quæ prin pium & causa motus & quietis est, in se continet.* Res considerata est *corpus naturale*: Modus vero considerandi est, *quatenus est naturale.*

IV. *Divisio.* Partes Physicæ sunt duæ;

Generalis, sive *Communis*, quæ principia & affectiones omni corpori naturali competentes exponit, & subdividitur in duos Tractatus.

1. De principiis corporum naturalium communissimis. *Vide pag.* 2.
2. De affectionibus corporum naturalium generalibus. *V. pag.* 6. *& seqq.*

Specialis, sive *Propria*, quæ agit de singulis corporum naturalium speciebus, & subdividitur in sex Tractatus;

1. De Mundo & corporibus simplicibus Cœlo & Elementis absolute consideratis. *vide pag.* 12. *& seqq.*
2. Elementis, prout sunt causa mixtionis & mutationum physicarum. *vid. pag.* 1. *& seqq.*
3. De Corporibus imperfecte mixtis sive de Meteoris. *vide pag.* 23. *& seqq.*
4. De corporibus perfecte mixtis inanimatis & animatis. *vide pag.* 33. *& seqq.*
5. De partibus humani corporis. *vide pag.* 40[?] *& seqq.*
6. De anima. *vide pag.* 47. *& seqq.*

Tractatus I. Partis Generalis.

De Principiis corporum naturalium.

CAP. I.

De Principiis Internis in Communi.

Corporis Naturalis not. tum

- PRINCIPIA, quæ vel
  - *Interna, de quibus not.*
    - I. *Quid sint ?* R. *αἱ ἀρχαὶ εἰσιν, αἳ μήτε ἐξ ἀλλήλων εἰσὶ, μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα.* PRINCIPIA sunt, quæ nec ex sese, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt. *Arist. l.* 1. *Phys. c.* 5.
    - II. *Conditiones.*
      1. Principia non fiant ex se mutuo, *sc. tanquam ex partibus componentibus.*
      2. Principia non sint ex aliis. *Nam si essent ex aliis, essent ex prioribus, atque ita non essent prima, nec principia, sed principiata.*
      3. Ex principiis res naturales omnes fiant. *Cum enim principiata ex semetipsis esse nequeant, utique erunt ex aliis, non ex principiatis. Ergo ex principiis.*
      4. Principia quædam sunt primo contraria; *sc. Privatio formæ quia in generatione proceditur à non esse ad esse.*
      5. Principia cum sint contraria, ideo habent aliquod commune subjectum, *ex quo unum contrarium pellitur, & in quod alterum introducitur.*
    - III. *Quot ?* R. Tria; quia ad generationē requiritur
      1. Subjectum, quod generationi substat, & in quod forma ab agente externo introducitur, id quod est MATERIA. Vide cap. 2.
      2. Aliquid quod generatione producitur, id quod est nova FORMA. Vide cap. 3.
      3. Absentia formæ introducendæ, cum potentia tamen seu aptitudine subjecti ad novam formam recipiendam, id quod est PRIVATIO. Vide cap. 4.
    - IV. *Quotuplicia ?* R.
      - *Constitutionis, ut Materia & Forma*; quæ considerantur
        1. Prout essentiam rei naturalis constituunt.
        2. Prout sunt causæ certarum mutationum, & appellantur NATURA Vide cap. 5.
      - *Transmutationis*, quod ad transmutationem unius rei in aliam concurrit; ut, *Privatio.*
  - *Externa*, quæ extra essentiam rerum naturalium consistunt, ipsamque movent, & nominantur CAUSÆ EXTERNÆ. Vide cap. 6.
- AFFECTIONES, de quibus Tract. 2.

CAP.



CAA. II.

De Materia prima.

De MATERIA PRIMA 3. not.

I. *An sit?* R. Affir. quia
1. In omni mutatione subjectum esse oportet omnis mutationis expers, quod est Materia prima, alias foret progressus in infinitum.
2. Quidquid fit, fit ex aliquo quod prius extiterat. Id autem non est Forma, quæ de novo introducitur. Ergo erit Materia.

II. *Quid sit?* R. Ἔστι τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, μὴ κατὰ συμβεβηκός, εἴ τι φθείρεταί τι, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον. MATERIA PRIMA est primum cujusque Subjectum, è quo in existente fit aliquid non secundum accidens, & si quid corrumpitur, in hoc id ultimo resolvitur. *Arist. l. 1. Phys. c. 9.*

III. *Theoremata.*
1. Materia prima est pura potentia; *quia est indeterminata, & apta recipere omnes formas, nec unquam sine forma existat.*
2. Materia prima est pure passiva.
3. Materia prima adpetit omnes formas.
4. Materia prima est informis, ad omnes autem formas recipiendas habilis, & idonea, *sc. successive.*
5. Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.

CAP. III.

De Forma.

De FORMA quatuor not.

I. *An præter Materiam detur Forma substantialis?* R. Affir. quia
1. Singulis rebus naturalibus propriæ & peculiares operationes conveniunt, quæ oriuntur non à Materia, sed à Forma.
2. Res naturales sunt substantiæ compositæ. Ergo præter Materiam alia erit pars substantialis componens.
3. Si non esset forma substantialis, cum materia sit una, & communis omnium rerum, omnes quoque res essent eædem, nec differrent aut genere aut specie.

II. *Quid sit?* R. FORMA est actus simplex substantialis unum per se cum materia constituens. *Conimb. l. 1. Phys. cap. 9. q. 10. a. 1.* FORMA est substantia quædam simplex incompleta, quæ ut actus materiæ constituit cum ea essentiam compositæ substantiæ. *Suarez. 1. Tom. Metaph. Disp. 15. sect. 5. n. 1.*

III. *Gradus Formarum.*
1. Quædam formæ substantiales dant solum esse: ut sunt *forma omnium inanimatorum corporum.*
2. Quædam formæ dant esse, vivere, & sentire: ut, *forma animalium brutorum.*
3. Quædam formæ dant esse, & vivere, & sentire, & intelligere. *Et hic ultimus & supremus formarum gradus, qui non nisi anima rationali competit.*

IV. *Theoremata.*
1. Posita forma tria ponuntur; *Esse rei, Distinctio rei,* & *Operatio rei.*
2. Forma educitur è potentia materiæ: *excepta anima rationali.*
3. Forma per se non est extensa & divisibilis.
4. Forma è potentia materiæ educta est in toto formato.

CAP. IV.

De Privatione.

De PRIVATIONE 4. not.

I. *An sit Principium?* R. Affir. quia Generatio est progressio à non esse tanquam à termino à quo: Hic autem cum non sit Materia, (*siquidem terminus à quo res oritur, utpote forma geniti contrarius, non manet; Materia autem semper manet*) consequens sit, ut sit ipsa formæ privatio. *Conimb. l.* 1. *Phys. c.* 9. *q.* 8. *a.* 2.

II. *Quid sit?* R. ἔςιν ἀπυσία τῶ εἴδυς ἐν τῷ πεφυκότι. PRIVATIO est absentia formæ in subjecto habili ad recipiendam eam. *Arist. l.* 5. *Metaph. c.* 22.

III. *Quotuplex?* Resp. est vel
- *Universalis*, seu *Remota*, quæ improprie dicitur privatio, estque sine discrimine omnium formarum absentia in materia.
- *Particularis*, sive *Proxima*, estque absentia certæ alicujus, & specificæ formæ, oriturque per prævias alterationes in materia. *Et hac generationibus est accomoda, adeoque fit principium transmutativum mutationum Physicarum.*

IV. *Theoremata.*
1. Privatio non est de essentia materiæ.
2. Materia & Privatio unum quidem sunt numero, sive subjecto, diversa tamen sunt specie, seu definitione.
3. Privatio (*sc. particularis*) ortui & interitui est obnoxia.

CAP. V.

De Natura.

De NATURA tria not.

I. *Nomen*, quod sumitur
1. Pro mente divina, rerum omnium opifice & parente; *h. e. pro Deo, qui dicitur Natura naturans.*
2. Pro cujusque rei quidditate seu essentia, in quantum ordinatur vel adtenditur ad operationes.
3. Pro tota universitate rerum creatarum: *Quo sensu dicitur, Natura pendet à primo principio, h. e. Deo.*
4. Pro ordine causarum naturalium, quatenus secundum insitas inclinationes & virtutes operantur: *Sic dicimus, Natura nihil facit frustra: facit optimum quod est.*
5. Pro interno operationis seu mutationis principio. *Quæ acceptio hujus est loci.*

II. *Quid sit?* R. Φύσις ἐςὶν ἀρχή τις καὶ αἰτία τῶ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως, καθ' αὑτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. NATURA est principium quoddam & causa motus & quietis ejus in quo inest, primo, per se, & non secundum accidens. *Arist.* 2. *Phys. c.* 1.

III. *Quotuplex sit?* R. Natura est principium tum
- *Activum.* Principium activum nihil aliud est quam Forma, prout hæc in corpore naturali causat intrinsecus varias mutationes & actiones. *Unde Forma magis est natura quā Materia, quia per illam ens naturale est in actu, per hanc vero tantum potentia.*
- *Passivum.* Principium passivum nihil aliud est quam Materia, prout hæc est determinata ad hunc vel illum motū recipiendum; per se enim libera est, & æque apta ad omnes etiā contrarios motus suscipiendos. *Zabar. fol.* 220

CAP.

CAP. VI.

De Causa Efficiente, & Fine.

- **Principia externa sive Causæ sunt, vel**
  - *Per se*; ut,
    - **EFFICIENS**; de quo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη ἢ τῆς ἠρεμήσεως. CAUSA EFFICIENS est, unde mutationis aut quietis primum est principium. *Arist. l. 2. Phys. c. 3.*
        CAUSA EFFICIENS est, principium per se influens esse in aliud, sine mutatione sui, ex præcisa ratione influxus. *Mendoza disp. Phys. 9. sect. 1.*
      - 2. *Quotuplex?* R. est
        - 1. vel
          - *Universalis*, quæ plura & fere omnia indeterminate producit effecta: *cujusmodi sunt Deus & Cœlum.*
          - *Particularis*, quæ ad certum effectum est determinata: ut, *ignis ad calefaciendum.*
        - 2. vel
          - *Univoca*, quæ producit effectum sibi in specie similem: ut, *homo generans hominem.*
          - *Æquivoca*, quæ producit effectum sibi in specie dissimilem: ut, *Sol producit aurum.*
    - **FINIS**, de quo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα. FINIS, est cujus gratia aliquid fit. *Arist. ibid.*
      - 2. *Quotuplex?* R. est
        - 1. vel
          - *Cujus*, & est id cujus obtinendi gratia aliquid fit: ut, *valetudo respectu medicamentorum.*
          - *Cui*, & est in cujus gratiam aliquid fit: ut, *ægrotus respectu medicamentorum.*
        - 2. vel
          - *Generationis*, & est forma, quæ per generationẽ inducitur, & generante intenditur.
          - *Rei genitæ*, & est operatio cujus gratia unumquodque dicitur esse.
    - 3. *Theorema.* Natura agit propter certum finem.
  - *Per accidens.* Vide cap. seq. 7.

CAP. VII.

De Fortuna & Casu, itemque de Monstro.

- **De caus. per Acc. not.**
  - I. *Quot?* R. Duæ:
    - **FORTUNA**; de qua not.
      - 1. *Quid sit?* R. Ἔστιν αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του. FORTUNA est causa per accidens, in iis quæ cum electione finis alicujus gratia agunt.
      - 2. *Theoremata.*
        - 1. Circa idem versantur mens & fortuna.
        - 2. Fortuna est indefinita & immanifesta homini.
        - 3. Fortuna est aliquid præter rationem.
    - **CASUS.** Ἔστιν αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς μὴ κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του. CASUS est causa per accidens, in iis quæ sine deliberatione finis alicujus gratia fiunt. *Arist. l. 2. Phys. c. 5.*
  - II. *Effectus* dicitur **MONSTRUM**, de quo not
    - 1. *Quid sit?* R. MONSTRUM est effectus naturalis à recta & solita secundum speciem dispositione degenerans.
    - 2. *Theorema.* Monstrum non intenditur à natura.

De

Tractatus II. Partis Generalis.

De Affectionibus corporum naturalium.


CAP. I.

De Motu in communi.

- **Affectiones corp. nat. sunt vel**
  - *Interna*: ut,
    - MOTUS, de quo VI. not.
      - I. *Nomen*, quod varie sumitur;
        - 1. Pro quavis mutatione: *Sic per affectus, dolorem, iram, &c. animus dicitur moveri.*
        - 2. Pro motu locali tantum.
        - 3. Pro illa mutatione corporum, quæ etiam generationem & corruptionem includit.
        - 4. Pro mutatione successiva sensibili de subjecto in subjectum; *qua fit vel circa quantitatem, vel circa qualitatem, vel circa locum.*
      - II. *Quid sit?* R. Ἡ κίνησίς ἐστιν ἐντελέχεια τοῦ δυνάμει ὄντος ᾗ τοιοῦτον. MOTUS est actus ejus quod in potentia est, quatenus tale. *Arist: l. 3. Phys. c. 1.*
      - III. *Requisita.*
        - 1. *Movens*: estque
          - 1. vel
            - *Internum*, cujusmodi est forma substantialis omnium motionũ effectrix.
            - *Externum*, quod extra mobile existit: ut, *si ignis aquam calefacit.*
          - 2. vel
            - *Remotum*, quod virtute & potentia tantum agit, & hoc motiones excitando nihil vicissim patitur.
            - *Propinquum*, quod proxime agit in aliud, & à quo immediate efficitur motus contactu corporeo.
        - 2. *Mobile sive patiens*, quod motum à movente excitatum sustinet: *In hoc tanquam in subjecto est motus.*
        - 3. *Terminus à quo*, estq; initiũ à quo incipit motus
        - 4. *Terminus ad quem*, in quo terminatur & quiescit motus.
        - 5. *Tempus*, nam omnis motus fit in tempore.
      - IV. *Theoremata.*
        - 1. Quidquid movetur ab alio movetur.
        - 2. Movens est simul cum mobili.
        - 3. Omnis motus est successivus & continuus: *Nam successio est formalis ratio motus, secundum quam mobile partim est actu, partim est potentia.*
        - 4. Motus suam specificationem & distinctionem accipit à Termino ad quem.
        - 5. Termini motus sunt oppositi.
      - V. *Divisio.* Vide cap. 2. & 3.
      - VI. *Oppositum*, & est QUIES. Vide cap. 4.
    - FINITUM. Vide cap. 5.
  - *Externa.* Vide cap. 6.

CAP. II.

De Divisione Motus ratione Principii, & ratione mobilis.



MOTUS DIVIDITUR ratione

- I. *Principii* & est
  - NATURALIS, qui ab intrinseco oritur principio. *Estq;* vel
    - *Pure naturalis*; de quo not.
      1. *Quid sit?* R. MOTUS PURE NATURALIS provenit à principio naturali ad unum motum determinato: ut *quando ignis adscendit.*
      2. *Theorema.* Motus naturalis ab initio est tardior, in fine velocior.
    - Animalis; de quo not.
      1. *Quid sit?* R. MOTUS ANIMALIS fit in animalibus à facultate loco motiva, mediantibus musculis & spiritibus animalibus: *Sic motus hominis est animalis.*
      2. *Theorema.* Motus animalis in principio est tardior, in medio concitatior, in fine languidior.
  - VIOLENTUS; de quo dot.
    1. *Quid sit?* R. MOTUS VIOLENTUS fit ab externo agente, ita quidem ut repugnet passo sive mobili, quod per vim truditur: *Sic lapis violento motu projicitur in altum.*
    2. *Theoremata*
       1. Motus violentus ab initio est velocior in fine tardior.
       2. Motus violentus non est diuturnus.
    3. *Species.* Motus violenti, *quatenus est localis*, quatuor sunt species.
       1. *Pulsio*, cum movens à se dispellit mobile: ut, *percussio, jaculatio, protrusio.*
       2. *Tractio*, cum movens ad se trahit mobile; ut *inspiratio* id est, *aeris adtractio.*
       3. *Vectio*, cum mobile vehitur non per se sed per aliud; ut, *sedens in curru movetur ad motum currus.*
       4. *Vertigo*, cum mobile in gyrum vertitur: ut, *rota.*
- II. *Mobilis.* Dicitur aliquid ita moveri
  1. *Per accidens*, quod accidentaliter conjungitur mobili per se; ut, *album dicitur moveri per accidens, quia albedo accidentaliter conjungitur corpori, quod per se movetur.*
  2. *Secundum partem* cujus aliqua pars movetur; ut, *homo dicitur sanari, quia oculus vel manus ejus sanatur.*
  3. *Per se primo*, cui per se ac primo convenit motus; ut, *totum corpus movetur per se primo localiter.*
- III. *Termini ad quem.* Vide caput seq.

CAP. III.

De Divisione Motus ratione Termini ad Quem.

MOTUS tendit, vel ad

- *Substantiam*, ut,
  - GENERATIO est motus sive mutatio à non esse ad esse: ut, *ex non homine generatur homo.*
  - CORRUPTIO est mutatio ab esse ad non esse: ut, *cum homo moritur & à vermibus corrumpitur.* (Proprie loquendo *Generatio & Corruptio* non sunt veri motus, cum fiant in instanti, & non cum successione, nisi forte conjunguntur cum alterationibus quæ præcedere solent generationem & corruptionem.)
- *Quantitatem*, ut,
  - AUGMENTATIO *sive* ADCRETIO est motus à minore quantitate ad majorem, donec perveniatur ad terminum à natura præfinitum: ut, *quando puer crescit.*
  - DIMINUTIO est mutatio de majore quantitate ad minorem: ut, *quando stirpes marcescunt, & paulatim diminuuntur.*
- *Qualitatem*, ut ALTERATIO est motus sive mutatio, in qua eodem sensili subjecto manente alia qualitas aquiritur, vel abjicitur: ut, *calefactio.*
- *Ubi seu locum*, ut MOTUS LOCALIS; de quo tria not.
  - 1. *Quid sit?* R. MOTUS LOCALIS sive LATIO est, subjecti loci mutatio, qua subinde aliud atque aliud spacium adquiritur: ut, *deambulatio.*
  - 2. *Quotuplex?* R.
    - *Simplex* qui vel
      - *Rectus*, qui fit per lineā rectam vel
        - *Sursum*, qui à medio fertur: ut, *motus naturalis ignis.*
        - *Deorsum* qui in medium fertur: ut, *motus naturalis terræ.*
      - *Circularis*, qui perpetuo æqualem à centro distantiam retinet: ut. *motus cœli.*
    - *Mixtus* sive *Compositus*, qui ex recto & circulari motu simul constat. *Hic competit corporibus mixtis.*
  - 3. *Theoremata*
    - 1. Motus localis est primus motuum.
    - 2. Motus circularis est natura prior recto.
    - 3. Motus circularis est perfectior recto.

CAP. IV.

De Quiete.

De QUIETE not.

- 1. *Quid sit?* R. QUIES est privatio motus in subjecto ad eum recipiendum idoneo. *Arist. l.* 5. *Phys. c.* 6.
- 2. *Quotuplex?* Resp. est vel
  - *Naturalis*, cujus principium est intrinsecum, & ad quietem mobile naturali inclinatione fertur: *Sic lapis quiescit in terra.*
  - *Violenta*, cujus principium non est intrinsecum: ut, cum corpus in alieno loco vi externa detinetur, *v. g. lapis in superiori parte aeris.*
- 3. *Theorema.* Quies respectu motus præcedentis est perfectio & complementum motus; respectu vero motus subsequentis est privatio.

CAP.

CAP. V.

De Finito, & Infinito.

De FINITO duo notanda:

I. *Quid sit?* R. FINITUM proprie inest corpori quanto, id est, quantitati, & est, cujus aliquis est finis & terminus. *Arist. l. 3. Phys. cap. 7.*

II. *Oppositum*, scil. INFINITUM, de quo not.

1. *Num infiniti consideratio ad Physicum pertineat?* R. Affirm. quia Philosophus naturalis per se considerat magnitudines, motum & tempus, cum sint accidentia corporis naturalis, ut naturale est; sed his accidentibus conveniunt finitum & infinitum: ergo necesse est ut rationem infiniti exponat, ut perfectam notitiam eorum tradere possit.

2. *Quot modis vox infiniti accipiatur?* R. Infinitum dicitur,
   1. Quod divisionem & transitum non admittit, cum omni careat quantitate: ut, *Punctum*.
   2. Quod transitum quidem concedit, sed ad ejus finem propter immensitatem nemo pervenire potest: *Ejusmodi molem termino fineque carentem aliquis mente sibi potest percipere, atque hoc in loco quaritur, sitne talis in rerum natura.*
   3. Quod & transitum, & finem habet, sed vix & non nisi magna cum difficultate ad eum pervenitur; ut, *rem infiniti laboris dicimus.*
   4. Cujus finis aliquis est, sed ad quem perveniri propter impedimentum non potest: ut *Maris abyssus.*
   5. Cui in infinitum addi & demi quidquam potest: ut, *numerus, & magnitudo.*

3. *Quid sit?* R. Ἄπειρον ἐστιν, οὗ κατὰ τὸ πόσον λαμβάνουσιν, αἰεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστιν. INFINITUM est id, cujus qui ratione magnitudinis aliquid sumunt, iis aliquid semper licet extra accipere. *Arist. lib. 3. Phys. cap. 7.*

4. *An sit aliquod infinitum?* R. Disting. inter Infinitum
   - *Actu*, quod non datur, *quia*
     1. O. corpus superficie & extremitate terminatur.
     2. O. corpus sensibile certo continetur loco.
     3. O. numerus numerari potest.
   - *Potestate*, quod datur, estque infinitum *vel*
     - *Divisione*; Sic magnitudo potest dici infinita quia semper in minores particulas potest dividi.
     - *Additione*: Sic numerus potest dici infinitus, quia semper unitatis additione fit major.

CAP. II.

De Loco.

Affectiones externæ corporis naturalis sunt

- LOCUS, de quo not.
  - I. *An sit?* R. Affir. quia
    - 1. Unus idemque locus diversa corpora recipit, & ubi modo aer est, ibi post aqua, vel terra vel aliud corpus.
    - 2. Gravia corpora quasi naturali impetu tendunt deorsum, ut ibidem conserventur, & levia sursum.
  - II. *Quid sit?* R. Ὁ τόπος ἐστὶ τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον. LOCUS est superficies corporis continentis immobilis primo. *Arist. lib.* 4. *Phys. cap.* 4.
  - III. *Quotuplex?* R. Locus est
    - 1. vel
      - *Communis*, qui plura simul corpora, sed non primo & immediate complectitur: ut, *Musæum*.
      - *Proprius*, qui unum tantum corpus primo & immediate ambit: ut *superficies concava vasis respectu vini eo contenti*.
    - 2. vel
      - *Naturalis*, quo locatum suapte natura fertur, atque in eodem quiescit nec conservatur: ut, *superior aeris regio respectu ignis*.
      - *Violentus*, in quem locatum & vi detruditur, & propterea in eodem quiescit & conservatur: ut, *si lapis projicitur in sublime*.
  - IV. *Theoremata*.
    - 1. Locus cotinet locatum & undique ambit, nec tamen est pars, vel aliquid de essentia locati.
    - 2. Locus proprius nec major, nec minor est locato.
    - 3. Etsi locus ab hoc vel illo locato est separabilis, tamen omni plane locato non caret.
    - 4. Omne corpus natura ad locum suæ naturæ adcommodatum fertur, in eoque quiescit.
    - 5. In omni loco est supra & infra.
    - 6. Locus est immobilis, *h. e. non movetur ad motum localem, nisi per accidens*.
  - V. *Quot modis aliquid dicatur esse in loco?* Resp.
    - 1. vel
      - *Actu*, quod actu est divisum ab alio corpore à quo circumscribitur. *Ruvio l.* 4. *Phys. cap.* 5.
      - *Potestate*, quod non actu divisum est ab alio, à quo per continuationem cum eo dicitur contineri, sed dividi potest, & sic divisum potest ab eodem circumscribi. *Ibid.*
    - 2. vel
      - *Per se*, quod per se potest moveri motu locali, vel motu augmentationis.
      - *Per accidens*, quod est in alio existente per se in loco, actu, vel potestate: ut, *accidentia*.
    - 3. vel
      - *Circumscriptive*: sic corpora sunt in loco.
      - *Definitive*: sic Angeli dicuntur esse in loco.
      - *Repletive*: ut Deus.
  - VI. *Oppositum* & est VACUUM, de quo cap. seq. 7.
- TEMPUS, de quo cap. 8.

CAP.

CAP. VII.

De Vacuo.

De VACUO tria notanda:

- I. *Nomen*, quod sumitur *vel*
  - *Negative.* Vacuum negativum est pura negatio, adeoque omnino nihil. *Tale vacuum ante mundum conditum, etiam extra cœlum imaginamur.*
  - *Privative.* Vacuum privativũ est quod quidem in se non habet corpus, dicit tamen respectum ad id recipiendũ. *De hoc vacuo disputant Physici.*
- II. *Quid sit?* R. Τὸ κενὸν τόπον ἀνάγκη εἶναι εἰ ἔστιν, ἐστερημένον σώματος. VACUUM locum necesse est esse, si sit, privatum corpore *Arist. l. 4. Phys. c. 7.* VACUUM est locus non repletus corpore, sed aptus repleri. *Ruvio tr. de Vacuo q. 1. n. 9.*
- III. *An detur Vacuum in rerum natura?* R. Neg. Nam res naturales à Vacuo penitus abhorrent: exempl. gr. *Si aer ex fistula adtrahatur, confestim aqua contra suum naturalem impetum adscendit, ne scil. si nihil aeri extracto succederet, vacuum daretur.* Causa propter quam natura abhorret à Vacuo est, quia Vacuum dissolvit illam rerum conservatricem unionem, impeditque ne sublunaris mundus dilapsam è cœlo vim hauriat, cum fieri nequeat ut per inane interstitium vis illa trajiciatur. *Conimbr. l. 4. Phys. c. 9. q. 1. a. 3.*

CAP. VIII.

De Tempore.

De TEMPORE tria notanda:

- I. *Quid sit?* Resp. Hoc explicatur
  - *Negative.* Tempus non est
    - 1. *Motus circularis: quia*
      - 1. Pars temporis est tempus. At pars motus circularis non est motus circularis.
      - 2. Tempus est unum. At motus circularis non est unus, quia plures dantur Sphæræ.
    - 2. *Cœlum ipsum.* Nam cœlum omnia continet ut locus. Tempus vero omnia continet ut mensura.
    - 3. *Motus particularis: quia*
      - 1. Motus est in certo & determinato mobili, & certo quoque fit in loco. Tempus autem ubique est idem.
      - 2. Omnis motus altero est velocior & tardior. At tempus non dicitur velocius aut tardius.
  - *Affirmative.* Ὁ χρόνος ἐστὶν ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. TEMPUS est numerus motus secundum prius & posterius. *Arist. lib. 4. Phys. cap. 11.*
- II. *Theoremata,*
  - 1. Datur minimum in tempore, multitudine, sed non magnitudine.
  - 2. Tempus non dicitur velox aut tardum, sed multum & paucum, longum & breve.
  - 3. Tempus quodammodo est idem, & quodammodo diversum.
  - 4. Ut motus non numero sed specie unus idemq; redit: sic & idem tempus.
  - 5. Non solum motum tempore metimur, sed etiam tempus motu.
- III. *Cognata*, quæ sunt,
  - 1. *Ævum*, quod est duratio indivisibilis tota simul & invariabilis ex propria natura, non omnino perpetua, sed aliquam habens perpetuitatem à parte post. *Ruvio l. 4. Phys.*
  - 2. *Æternitas*, quæ est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio. *Boetius l. 5. de consol.*

Tractatus I. Partis Specialis.

De Mundo, & Corporibus simplicibus

CAP. I.

De Mundo.

CORPORA NATURALIA considerantur vel

- *Adgregate*, in quantum constituunt Mundum, de quo quatuor not.
  - I. *Nomen*; circa quod not.
    - 1. Ἐτυμολογία. Mundus, Græce κόσμος, ab ornatu seu munditie nomen habet, quia non solum ex pulcherrimis rebus constat, sed etiam illæ pulcherrimo ordine sunt inter se connexæ.
    - 2. Ὁμωνυμία. Vox *Mundi* accipitur;
      - 1. Pro ideis in mente divina: *Hoc sensu dicitur Mundus Archetypus, sive intelligibilis.*
      - 2. Pro Angelis; & vocatur *Mundus Angelicus.*
      - 3. Pro cælo & elementis simul; & adpellatur *Mundus elementaris.*
      - 4. Pro homine; & dicitur *parvus Mundus.*
      - 5. Pro universo, sive tota creaturarum collectione; & vocatur *Mundus magnus.*
  - II. *Quid sit? R.* Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, MUNDUS est compages è cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur. *Arist. lib. de Mundo, cap. 2.*
  - III. *Causæ*; quæ sunt,
    - *Efficiens*, fabricator & creator omnium.
    - *Materia*, corpora naturalia & sensibilia, nempe cœlum, elementa, & ex his mista.
    - *Forma*, ordo & dispositio illa mirabilis rerum.
    - *Finis, qui*
      - *Primarius* est gloria Dei. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Pro. 16. 4.
      - *Secundarius* est homo. *Mundus propter hominem, homo vero propter Deum.*
  - IV. *Affectiones*, quæ sunt,
    - 1. *Unitas.* Mundus est unus, *scilicet ordine & harmonia partium, quæ omnes ad commune bonum totius universi conspirant.*
    - 2. *Perfectio.* Mundus est perfectus, *scil. in suo genere & gradu.*
    - 3. *Quantitas.* Quæ est capacissima, finita tamen, ita ut certis constet terminis, & circulo quasi claudatur.
    - 4. *Figura.* Mundus est rotundus, quia præcipuæ ejus partes integrales, nempe *cœlum*, *aer*, *aqua*, *terra*, sensibus dijudicantur esse Sphæricæ.
- *Segregate & seorsim.* Vide cap. seq.

CAP. II.

De Cælo.

CORPUS naturale est vel

- **SIMPLEX; quod vel**
  - *Incorruptibile*, COELUM de quo not.
    - I. *Nomen*, quod sumitur
      1. Pro aere: ut *Psal.* 8. *volucres cœli.*
      2. Pro toto mundo seu universo.
      3. Pro cœlo sidereo sive firmamento.
      4. Pro universa ætherea regione opposita elementari: *Quæ significatio hujus est loci.*
    - II. *Quid sit?* R. COELUM est corpus naturale simplicissimum, sphæricum, perlucidum, & in orbem mobile.
    - III. *Principia*, ut,
      - *Materia*; de qua not.
        1. *An sit?* R. Cœlum constare ex materia, patet ex quantitate, raritate, densitate, quæ materiam consequuntur.
        2. *Qualis?* R. Materia cœli est eadē cum materia elementari, quia entia præter necessitatem non sunt multiplicanda.
      - *Forma.* O. corpus constat ex materia & forma, quæ dat esse rei. Cœlum est corpus. E. &c. Hæc tamen forma non est anima, quia nullæ operationes animæ adparent.
    - IV. *Affectiones*: ut,
      1. *Motus.* Circularis motus est cœlo naturalis, quia omne corpus naturale aliquem motum naturalem habet.
      2. *Figura.* Cœlum est rotundum, quia perfectissimo corpori simplici, & quod rerum universitatem concludit, debetur figura perfectissima & capacissima.
      3. *Positionum differentia*; & sunt sex: Dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, retro, ante.
      4. *Operatio.* Cœlum agit
         1. *Motu.*
         2. *Lumine.*
         3. *Influentia* Nam multa generantur à cœlo neque per lumen, neque per motum: ut, *metalla.*
    - V. *Theoremata.*
      1. Cœlum est quinta substantia, hoc est, *Natura simplex ab elementis distincta*
      2. Cœlum neque est grave neque leve.
      3. Cœlum est ingenerabile & incorruptibile.
    - VI. *Partes.* Vide cap. seq.
  - *Corruptibile*, ut ELEMENTA, de quibus cap. 4, 5, 6. & Tract. 2.
- **MIXTUM.** Vide Tract. 3.

CAP. III.

De Sphæris Cælestibus, Stellis, & Galaxia.

PARTES COELI *juxta vulgarem opinionem sunt vel*

- *Perspicua*; ut SPHÆRÆ COELESTES, seu ORBES, qui non reales, sed ex hypothesi Astronomica ponuntur: ut,
  1. Sphæra Lunæ.
  2. Sphæra Mercurii.
  3. Sphæra Veneris.
  4. Sphæra Solis.
  5. Sphæra Martis.
  6. Sphæra Jovis.
  7. Sphæra Saturni.
  8. Firmamentum.
  9. Cœlum Chrystallinum sive aqueum.
  10. Primum mobile, sive ultimum cœlum.
- *Lucida*, ut,
  - STELLÆ, de quibus not.
    - I. *Quid sint?* R. STELLÆ sunt corpora cœlestia, lucida, globosa, mobilia, & ad inferiorum salutem condita.
    - II. *Quotuplices?* R.
      - *Fixæ*, quæ in cœli parte superiori tardissime moventur, eamdemque inter se perpetuo servant distantiam. *Hæ sunt innumerabiles, notabiliores tamen numerantur* 1022.
      - *Errantes*, seu *Planetæ*, de quibus not.
        1. *Quid sint?* Planetæ sunt qui in inferioribus cœli partibus moventur, diversumque situm tum à se invicem tum à stellis fixis obtinent.
        2. *Quot sint?* R. Septem;
           1. Saturnus.
           2. Jupiter.
           3. Mars.
           4. Sol.
           5. Venus.
           6. Mercurius.
           7. Luna.
    - III. *Affectiones.*
      1. *Motus.* Stellæ revera moventur in cœlo.
      2. *Lux.* Stellæ lumen à Sole mutuantur, ita tamen ut etiam aliquid ex se lucis possideant.
      3. *Figura.* Stellæ sunt rotundæ, licet ob nimiam distantiam planæ adpareant.
      4. *Vis agendi in hac inferiora.* Hinc influentiæ & actiones siderum sunt variæ.
    - IV. *Theoremata.*
      1. Stellæ sunt ejusdem naturæ cum cœlo.
      2. Stellarum motus nullum edit sonum.
      3. Lumen stellarum non est substantia.
  - GALAXIA *seu* VIA LACTEA, quæ est maxima frequentia minimarum Stellarum, quæ præ exiguitate ad nostrum adspectum distincte pervenire nequeunt, ut cæteræ Stellæ, atque ita inter se lumen commiscent & confundunt. *Conimbr. de Met. tr.4. c.2.*

CAP.

CAP. IV.

De Elementis in communi.

ELEMENTA considerantur dupliciter:

- *Absolute*, prout sunt partes mundi. De *Elementis in communi* not.
  - I. *Nomen*; quod sumitur,
    1. Pro primis cujusque rei principiis, quæcunque illa sunt; *Sic dicimus literas esse orationis Elementa.*
    2. Pro principiis generationis, *Materia forma, & privatione.*
    3. Pro solis principiis compositionis, *Materia & Forma.*
    4. Pro quatuor illis corporibus simplicibus, *Igne, aere, aqua, & terra.*
  - II. *Quid sint?* R. Ἔστι δὴ τὸ στοιχεῖον τῶν σωμάτων, εἰς ὃ τὰ ἄλλα σώματα διαιρεῖται, ἐνυπάρχον δυνάμει, ἢ ἐνεργείᾳ, αὐτὸ δ' ἐστὶν ἀδιαίρετον εἰς ἕτερα τῷ εἴδει. ELEMENTUM est id in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest potentia aut actu, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem. *Arist, l.* 3. *de cæl. c.* 5. ELEMENTUM est corpus simplex, in quod alia corpora resolvuntur. *Conim. l.* 2. *de gen. c.* 3 *q.* 1, *q.* 1. *d.* 1.
  - III. *Principia.*
    - *Materia.* Est prima illa ex qua omne corpus componitur, eaque indifferenter se habet ad quodlibet elementum.
    - *Forma.* Cum elementa sunt corpora, ideo habent suas formas substantiales, nobis tamen incognitas.
  - IV. *Affectiones.*
    1. *Figura.* Elementa ex se & sua natura non habent certam figuram; quatenus vero sunt partes hujus universi, quod est rotundum, habent figuram rotundam.
    2. *Impuritas.* Elementa, prout existunt in rerum natura, impura sunt, & aliquo modo mixta.
    3. *Duratio.* Elementa non sunt æterna, sed ex se invicem generantur & corrumpuntur, itaq; in se mutuo transmutantur.
    4. *Motus* Elementa moventur motu simplici recto, qui est vel à medio sursum, fitque per levitatem; vel ad medium deorsum, fitque per gravitatem.
    5. *Qualitates*, tum
       - *Motrices*, ut sunt
         - *Gravitas*, qua elementum movetur deorsum.
         - *Levitas*, qua elementum fertur sursum.
       - *Alteratrices*, per quas elementa alterant, mixtionemque absolvunt. *Vid. Tr. seq. c.* 1.
  - V. *Quot sunt?* R. Quatuor; IGNIS, AER, AQUA, TERRA. *vid cap. seq.*
  - VI *Theoremata.*
    1. Elementa sunt indivisibilia, *scil. in alia corpora.*
    2. Elementa extrema magis pura sunt quam intermedia.
    3. Elementum quodvis in quodvis aliud converti potest.
    4. Elementa in suis locis nec gravitant nec levitant.
- *Respective*, prout causa sunt mixtionis, & mutationum Physicarum. *Vide Tract. seq.*

CAP.

CAP. V.

De Igne, & Aere.

Elementa sunt vel

- *Levia*, quæ sursum tendunt, suntque *duo*:
  - I. *Simpliciter leve*, ut IGNIS, de quo not.
    - I. *An detur elementum ignis?* R. Affirm. Quia summus calor alicui corpori simplici debetur. At non convenit aeri, qui humiditatem summam cum aliquo calore sibi vendicat, nec aquæ, nec terræ. Ergo, igni.
    - II. *Quid sit?* R. IGNIS est elementum calidissimum, siccum, & levissimum, existens sub concavo Lunæ.
    - III. *Locus.* Ignis sub concavo Lunæ existit, quia levissimo elemento debetur locus supremus in regione elementari, qui est infra sphæram Lunæ. *Unde & flamma ignis, apud nos excitati, confestim supra aerem adscendit.*
    - IV. *Usus.* Ignis
      1. Adgregat ea quæ sunt ejusdem generis, & quæ sint diversi generis disjungit.
      2. Aquæ & Terræ frigiditatem temperat.
  - II. *Secundum quid leve*, ut AER, de quo not.
    - I. *Quid sit?* R. AER est elementum humidissimum, calidum & leve, terram & aquam undique ambiens, omnemque locum replens, nullo alio corpore repletum.
    - II. *Divisio* in tres *Regiones*, quarum
      - *Suprema*, incipiens à superficie ignis, & extendens se usque ad medium aerem, ubi vapores condensantur, est ultra quam ejus natura postulat calida, ob ignis vicinitatem & cœli motum.
      - *Media*, quæ inter supremam & infimam interjacet, & æstivo tempore minor quam hyeme, est respective frigida, propter defectum reflexorum radiorum, qui ad illam non pertingunt, & propter vapores, qui cum eo perveniunt, sublatis jam impedimentis, ultro sese ad nativum frigus revocant, aeremque refrigerant.
      - *Infima*, quæ sumit initium à superficie terræ, & eo protenditur quousque radii Solis reflectuntur, est pro vario Solis adcessu & recessu modo calida, modo frigida, & æstate major quam hyeme.
    - III. *Usus.* Aer
      1. Mixti substantiam penetrans eam subigit, & generationem habilem reddit.
      2. Inspirationi & vocis formationi inservit.
      3. Meteoris generandis præbet locum, & volucribus spacium volandi.
- *Gravia*, quæ deorsum tendunt. Vide cap. seq.

CAP.

CAP. VI.

De Aqua, & Terra.

Elementa gravia sunt duo:

I. *Secundum quid grave;* ut, AQUA de qua not.

1. *Quid sit?* R. AQUA est elementum frigidum, humidum, & grave, terram undique ambiens & interfluens.
2. *Figura.* Aquæ figura est rotunda. Talis enim totus terræ & aquæ globus; ac guttæ, pariter aquæ homogeneæ, imitantur naturam totius. *Hinc navigantes paulatim terræ prospectum amittunt, ob interjectum maris tumorem.*
3. *Usus.* Aqua
   1. Mollificat concreta corpora ad formam mixti facilius introducendam.
   2. Natura sua frigida temperat calorem ignis.
   3. Irrigat terram, ut producat omnis generis plantas.
   4. Piscibus domicilium præbet, terrestribus & volatilibus potum suppeditat, &c.

II *Simpliciter grave;* ut TERRA de qua not.


1. *Quid sit?* R. TERRA est elementum siccissimum, frigidum, & gravissimum, secundum se totum immobile & mundi centrum.
2. *Affectiones.*
   1. *Figura.* Terra est rotunda: quod constat partim ex umbra terræ, quæ in Eclipsibus rotunda, seu conoidadalis; partim ex ortu & occasu stellarum nam citius oriuntur orientalibus sidera.
   2. *Situs.* Terra in medio mundi constituta est: Si enim medium universi non obtineret, non fierent Eclipses; cum Sol & Luna per diametrum opponuntur.
   3. *Quies.* Terra non movetur, sed in medio mundi perpetuo quiescit; quia naturaliter alio ferri non potest, ferretur enim sursum, siquidem a centro dimoveretur. *Causa immobilitatis terræ est nativa ejus gravitas.*
   4. *Magnitudo.* Globus terrenus consideratur.
      - *Respective:* Globus terræ in respectu ad cœlum est instar puncti; *h. e. quoad nostrum adspectum insensibilem habet magnitudinem: Sic enim centrum est minutissimum.*
      - *Absolute:* Terra magnam habet quantitatem, adeo ut totius terræ ambitus fere 5625. miliaria Germanica comprehendat.
3. *Usus.* Terra
   1. Reddit corpora durabilia ad retinendas inscriptas figuras.
   2. Temperat sua siccitate humiditatem aquæ.
   3. Est sedes & domicilium mineralium & metallorum, plantarum, animalium, & hominum.

Tractatus II. Partis Specialis.

De elementis prout sunt causa mixtionis & mutationum Physicarum.

CAP. I.

De Qualitatibus Primis,



De Elem. prout mixta const. not.
- 1. *Qualitates*
  - *manifestæ, quæ*
    - *Primæ*, de quibus not.
      - I. *Quid sint?* R. QUALITATES PRIMAS vocamus, quæ per se primo insunt corporibus sublunaribus, suntque radices cæterarum qualitatum materialium : *Mendoza. Disp. 6. sect. 5.*
      - II. *Quot.* R. 4.
        - *Calor.* Θερμὸν ἐϛι τὸ συγκρῖνον τὰ ὁμογενῆ. CALIDUM est, quod ea congregat quæ sunt ejusdem generis. *L. 2. de gen. cap. 2.*
        - *Frigus.* Ψυχρὸν ἐϛι τὸ συνάγον καὶ συγκρῖνον ὁμοίως τά τε συγγενῆ καὶ τὰ μὴ ὁμόφυλα. FRIGIDUM est, quod ex æquo cogit ac congregat, tam quæ ejusdem sunt generis, quam quæ diversi. *ibid.*
        - *Humiditas.* Ὑγρὸν ἐϛι τὸ ἀόριϛον οἰκείῳ ὅρῳ, εὐόριϛον ὂν ἀλλοτείῳ HUMIDUM est, quod difficulter continetur termino proprio, facile vero alieno. *ibid.*
        - *Siccitas.* Ξηρὸν ἐϛι τὸ εὐόριϛον μὲν οἰκείῳ ὅρῳ, δυσόριϛον δὲ ἀλλοτείῳ. SICCUM est, quod facile termino proprio continetur, difficulter vero alieno. *ibid.*
      - III. *Theoremata.*
        1. Cuilibet elemento conveniunt duæ qualitates primæ, una in gradu summo, altera in gradu remisso.
        2. Elementa symbolica facilius ac celerius in se invicem transmutantur.
        3. E duobus elementis asymbolicis facilius tertium generatur, quam unum ex altero.
        4. Qualitates elementorum symbolicæ sunt ejusdem speciei.
        5. Qualitates primæ non sunt formæ elementorum, quia sunt accidentia.
    - *Secundæ*, vide cap. 2.
  - *Occultæ*, vide cap. 3
- 2. *Actio* & *Passio*, vide cap. 5.
- 3. *Alteratio*, vide cap. 5.
- 4. *Generatio* vide cap. 6.
- 5. *Mixtio*, vide cap. 7.

CAP. II.

De Qualitutibus Secundis.

De Qualitatibus secundis duo not.

I. *Quid sint?* R. QUALITATES SECUNDÆ dicuntur, quæ ex primis qualitatibus oriuntur. *Vocantur alias qualitates tactiles.*

II. *Quot?* R. Vulgo quatuordecem putantur.

1. *Densitas*, est qualitas à frigore, secundum quam partes subjecti immediate cohærent & constringuntur.
2. *Raritas*, est qualitas à calore ut plurimum orta, habens partes extenuatas, nec inter se probe compactas.
3. *Gravitas*, est qualitas orta à frigore, qua corpora quædam naturalia ad centrum tendunt.
4. *Levitas*, est qualitas plerumq; orta à calore, sursum omnia evehens.
5. *Durities*, est qualitas orta à siccitate, partes densas & bene compactas habens.
6. *Mollities*, est qualitas orta ab humiditate, facile tactui cedens.
7. *Crassities*, est qualitas orta à siccitate, partes habens solidas.
8. *Subtilitas* vel *Tenuitas*, est qualitas orta ab humore potissimum, partes tenues habens.
9. *Ariditas*, est qualitas orta à siccitate, partes habens humoris fere expertes.
10. *Lubricitas*, est qualitas ab humiditate producta, quæ tactum facile effugit & elabitur.
11. *Lentor*, est qualitas ab humiditate exorta, habens partes tenaces & glutinosas.
12. *Friabilitas*, est qualitas ex siccitate orta, habens partes non cohærentes, ideoque facile adteritur.
13. *Asperitas*, est qualitas ex siccitate orta, habens partes non cohærentes, ideoque facile adteritur.
13. *Asperitas*, est qualitas ex siccitate orta, habens partes prominentes, ideo tactum, dum contrectatur, offendit.
14. *Lenitas*, est qualitas orta ab humiditate, superficiem habens æqualem, & tactum, dum contingitur, oblectans.

CAP. III.

De Qualitatibus Occultis.

De Qualit. Occultis tria not.

I. *An dentur Occulta Qualitates?* R. Affirm. quia dantur actiones, quarum ratio ex manifestis qualitatibus reddi nequit.

II. *Quid sint?* R. QUALITATES OCULTÆ sunt potentiæ naturales absconditæ latentes, quibus res naturales aliquid agunt vel patiuntur, cujus causa vera certe non potest dari; ut, *cum magnes trahit ferrum.*

III. *Divisio.* Dividuntur in

- Συμπάθειαν, quæ est mutua naturalis quædam conspiratio inter res physicas. ex peculiari occulta cognatione proveniens, ob quam res naturales amico affectu & occulto amore ad se invicem trahuntur: *Sic, Ruta juxta ficum sata latissime crescit.*
- Αντιπάθειαν, quæ est naturalis rerum Physicarum inimicitia, & repugnantia, qua, secundum aliqua sibi ipsis infesta simultate dissentiunt: *Sic, Leo ad cantum Galli expavescit.*

CAP. IV.

De Actione, & Passione Elementorum, ut & de Contactu.

De ACTIONE & PASSIONE sex not.

I. *Quid præsupponat?* R. CONTACTUM, qui est duplex:
- *Corporalis.* & est verus & proprie dictus contactus, quando duorum corporum superficies simul sunt, & ita conjunguntur, ut mutuo se movere & à se moveri queant: *Sic ignis agit in lignum per contactum corporalem comburendo illud.*
- *Virtualis,* cum non superficies, sed virtus unius corporis ad superficiem alterius corporis pervenit: *Sic Sol calefacit terram, & Magnes adtrahit ferrum.*

II. *Quid sit?* R. ACTIO est similatio qualitatis sensibilis agentis ad qualitatem patientem, transmutans corpus motum forma accidentaria. PASSIO est adsimulatio qualitatis patientis ad qualitatem agentem sensibilem. Et *hæc iis tantum, quæ materiam habent, inest.*

III. *Divisio* tum
- *Agentis,* quod
  - *Primum,* in quo motionis principium consistit, *Hoc nihil patitur ab eo in quod agit.*
  - *Ultimum* vel *Postremum,* quod cum re, quæ fit, conjungitur. *Hoc proprie repatitur.*
- *Actionis,* quæ vel
  - *Imperfecta & Inchoata,* qua agens patiens non totum immutat, sed saltem labefactat, atque aliquem qualitatis gradum ipsi inprimit. *Dicitur actio absque agentis victoria.*
  - *Perfecta & completa,* qua agens omnino sibi simile reddit patiens. D*icitur actio cum victoria agentis.*

IV. *Modus Actionis & Passionis.* Hic not. Conditiones,
1. Ut Agens, in *quantum tale,* sit in actu, & patiens in potentia.
2. Ut agens & patiens sese mutuo tangant.
3. Ut non sint continua, alias participarent natura.
4. Ut patiens aut magis aut minus patiatur, secundum quod dispositum est ad actum agentis.

V. *Connexum, sc. Reactio.* de qua not.
1. *Quid sit?* R. Reactio est retributa quædam mutatio qua patiens renititur adversus agens, & illud commutat dum ab illo mutatur, adeo ut agens pati patiens agere aliquo modo dicatur. *Zabarell. de React. cap.* I.
2. *Conditiones*
   1. Ut agens & patiens eandem habeant materiam: *sc. specie.*
   2. Ut agens sit ultimum, non vero primum.
   3. Ut agens contineatur intra Sphæram passi.
   4. Ut agant actione inchoata vel imperfecta.

VI. *Theoremata*
1. Generationes & corruptiones elementorum non possunt fieri sine actione & passione.
2. Agens & Patiens debent esse quodammodo similia, quodammodo dissimilia, *Similia secundum genus, dissimilia secundum formas specificas; qualia sunt contraria, aut inter ea media.*
3. Idem non agit in seipsum: *sc. per se, & secundum eandem partem, actione sc. directa, & proprie dicta.*
4. Omne agens nititur sibi adsimilare patiens.

CAP.

CAP. V.

De Alteratione.

De Alteratione not.

- I. *Nomen*, quod sumitur
  - 1. *Late*, ut non germanas tantum alterationes, sed etiam improprias complectatur. *Sic elementa dicuntur alterari, non modo quando qualitatibus contrariis imbuuntur, verum etiam dum cœlesti luce pefunduntur.*
  - 2. *Stricte*, pro motu ad qualitatem contrariam in subjecto habentem. *Sic cœlum alteratione vacat, eaque sola alterantur quæ possunt interire.*
- *II. Quid sit*? R. ALTERATIO est motus ad qualitatem sensibilem mediam aut extremam. *Conimbr. l.* 1. *de gen. & corr. c.* 4. *a.* 1.
- III. *Quid differat à Generatione*? R.
  - 1. *Alterationis* Terminus à quo est positivus; *Generationis* privativus.
  - 2. *Alterationis* Terminus ad quem est Qualitas; *Generationis* Substantia.
  - 3. *Alteratio*. cum sit motus, fit successive; *Generatio* in instanti.
- IV. *Theoremata.*
  - 1. Alteratio est nobilissima motus species, *quia ejus terminus est qualitas.*
  - 2. Alteratio est motus continuus & successivus, nec fit in instanti.
  - 3. Alteratio est comes & via generationis.

CAP. VI.

De Generatione & Corruptione.

De GENERATIONE sex not.

- I. *Nomen*, quod sumitur
  - 1. *Late*, pro omni generatione, tam substantiali quam accidentali.
  - 2. *Stricte*, pro sola viventium generatione, *de qua in libr. de anima.*
  - 3. *Medio modo*, prout omnem solamque generationem substantialem complectitur, *Quæ significatio hujus est loci.*
- II. *An detur Substantialis Generatio*? R. Affir. quia dantur formæ substantiales, circa quas accidit mutatio ab una ad aliam sub eadem communi materia.
- III. *Quid sit*? R. Γένεσίς ἐστιν ὅταν ὅλον μεταβάλλῃ μὴ ὑπομένοντος αἰσθητοῦ τινος, ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ, GENERATIO est mutatio totius, non remanente sensibili quodam, ut subjecto eodem. *Arist. l. de gen. c.* 4. GENERATIO est mutatio à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia. *Conim. l.* 1. *de gen. c.* 4. *q.* 9. *a.* 1.
- IV. *Causæ*, quæ sunt
  - *Efficiens*, quæ vel
    - *Remota*, & sunt corpora cœlestia, quæ motu suo lumine, aliave peculiari influentia movent hæc inferiora.
    - *Propinqua*, & est extremum generans, quod aliud quoad speciem sibi similem producere studet.
  - *Materia*, quæ vel
    - *Remota*, & est materia prima, quæ conjunctam semper habet privationem, & capax est omnium formarum.
    - *Propinqua*, quæ quidem in misto sunt quatuor elementa,
  - *Forma*, quæ est ipsa mutatio substantialis.
  - *Finis*, qui est conservatio Specierum, nam natura abhorret ab interitu.
- V. *Oppositum est* CORRUPTIO, quæ est mutatio totius, id est, ex toto sub eadem communi materia. *Conimbr. ibid. q.* 16. *a.* 1.
- VI. *Theoremata.*
  - 1. Terminus ad quem corruptionis est terminus à quo generationis.
  - 2. Unius generatio est alterius corruptio, & contra.
  - 3. Generatio formaliter est actio ea qua forma cum materia unitur.

CAP. VII.

De Mixtione.

De MIXTIONE quinque not.

- I. *Nomen* quod sumitur
  - *Late*, pro quacunque quarumcunque rerum adcumulatione: *Sicut in tritici cum hordeo confusione videre est.*
  - *Presse & proprie*, pro unione mistilium, *id est, elementorum, sub una substantiali forma alicujus misti, corruptis mistilium propriis formis.*
- II. *Quid sit?* R. Μίξις ἐστὶν ἕνωσις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων. MIXTIO est miscibilium alteratorum unio. *Arist. l.* 1. *de gen: c.* 10. MIXTIO est generatio misti ex mistilibus alteratis. *Conimb. l.* 1. *de gen. c.* 10. *q.* 2. *a.* 2.
- III. *Conditiones* tum
  - *Miscibilium* : requiritur
    - 1. Ut sint invicem agentia & patientia.
    - 2. Ut facile dividi ac componi queant.
    - 3. Ut certam habeant proportionem & quantitatem.
  - *Mixtionis*; ubi requiritur
    - 1. Elementorum in unum locum concursus.
    - 2. Elementorum reactio.
    - 3. Elementorum divisio in minutas partes, quod sine humiditate fieri nequit.
- IV. *Consequens* seu *Effectum*. & est TEMPERAMENTUM, de quo cap. seq.
- V. *Theoremata*
  - 1. Sola elementa proprie misceri dicuntur.
  - 2. Mistio differt ab aliis mutationibus.
  - 3. Elementa non sunt in misto secundum suas formas, sed iis pereuntibus succedit forma misti, sub cujus imperio primæ qualitates pristinum naturæ rigorem deponunt, & ad quandam mediocritatem ac temperiem revocantur. *Conimb. ib. q.* 3. *a.* 2.

CAP. VIII.

De Temperamento.

De TEMPERAMENTO tria not.

- I. *Quid sit?* R. TEMPERAMENTUM est complexio quædam quatuor primarum qualitatum, debite & ad naturam mixti ad commodate adtemperatarum. *Fr. de Raconis disp. de Mixtis sect.* 13.
- II. *Quotuplex?* R. est vel
  - *Uniforme*, quod medium & temperatissimum dicitur, in quo omnes quatuor qualitates æqua graduum proportione coeunt.
  - *Difforme*, estq; vel
    - *Simplex*, in quo una tantum qualitas vincit, denominatque, & duæ aliæ æqualitatem servant.
    - *Compositum*, in quo duæ qualitates reliquas excedunt; Estque
      - 1. Calidum & humidum. *Dicitur aereum & sanguineum.*
      - 2. Calidum & siccum. *Vocatur igneum & cholericum.*
      - 3. Frigidum & humidum. *Adpellatur aqueum & phlegmaticum.*
      - 4. Frigidum & siccum. *Vocatur terreum & melancholicum.*
- II. *Theoremata.*
  - 1. Temperamentum est proportio primarum qualitatum, *sc. connotative.*
  - 2. Temperamentum non est relatio; *quia unum temperamentum dicitur alteri contrarium; at relationi nihil est contrarium.*
  - 3. Temperamentum non est quinta qualitas diversa à primis, sed ipsæ quatuor primæ qualitates ad temperiem reductæ.

CAP.

Tractatus III. Partis Specialis.

De Corporibus imperfecte mixtis, seu de Meteoris.

CAP. I.

De Meteoris in communi.

Corpus mixtum est vel

- Imperfecte mixtum, ut METEORA, de quibus quinque not.
  - I. *Nomen*. Meteora nomen habent à *μετὰ* & *αἴρω*, *quod est tollo, elevo, suspendo,* quia meteora ut plurimum in sublimi generantur.
  - II. *Quid sint* ? R. METEORA sunt corpora imperfecte mixta, quæ ex halitibus è terra vel aqua excitatis, & calore Solis Stellarumque virtute elevatis, generantur. *Scharff. l. 4. Phys. c. 1.*
  - III. *Causæ sunt*
    - *Efficiens*, quæ vel
      - *Remota*, & sunt corpora cœlestia, quæ sua vi & influxu materiam ab elementis evocant & in sublime tollunt.
      - *Propinqua seu instrumentaria*, estque
        - *Calor*, qui aquam & terram pervadens & adtenuans in halitus solvit, & interventu levitatis effert in altum.
        - *Frigus*, quod exhalationes sursum evectas constringit, condensat, & coarctat.
    - *Materia*, estq; vel
      - *Remota*, & sunt elementa, cum primis terra & aqua :
      - *Propinqua*, estque
        - *Vapor*, qui est halitus, sive spiratio calida & humida, quæ ex humore aqueo prodit.
        - *Exhalatio*, quæ est anhelitus terræ calidus & siccus, *Continet duas species.*
          - 1. Quæ facile ignem concipit, ex qua ignita meteora fiunt.
          - 2. Quæ non ita facile incenditur, ex qua proxime venti existunt.
    - *Forma*, quæ est tam multiplex, quam variè subjecta materia afficitur : Ob hujus enim varias dispositiones, variæ & diversæ species Meteororum generantur.
    - *Finis*, qui est multiplex :
      - 1. Totius universi perfectio, & mutua elementorum adæquatio.
      - 2. Aeris purgatio, *sc. venenatis vaporibus absumtis.*
      - 3. Futurorum prænotio & præsagium.
      - 4. Dei hæc omnia mirabiliter ordinantis agnitio.
  - IV. *Locus*, estque aer præcipue. *Nam etiam ea meteora quæ in terra generari dicuntur, proprie in aere in terra cavernis contento generantur.*
  - V. *Quotuplicia?* R. Meteora sunt vel
    - *Hypostatica* quæ vel
      - *Ignita*, quæ ex exhalationibus facile inflammabilibus fiunt: *vide cap.* 2, 3, *&* 4.
      - *Aquea*, quæ ex vapore producuntur ; *vide cap.* 5, 6, *&* 7.
      - *Aerea*, quæ ex vapore & exhalatione simul fiunt; *vide cap.* 8, *&* 9.
    - *Emphatica* seu *adparentia*, quæ phasmata dicuntur, quod specie & figura videantur ; *vide cap,* 10, *&* 11.
- *Perfecte mixtum.* Vide Tract, 4.

CAP. II.

De Meteoris Ignitis puris

IGNITUM METEORUM est vel

- *Simplex*, cujus materia est simplex & pura & gignitur vel in *aeris regione*,
  - *Suprema*, ut sunt
    - FAX seu CANDELA ACCENSA; ea est fumus continuus, rarus & tenuis, in longum & latum æque distensus, qui superiori parte accensus instar facis inflammatæ ardet, *Magirus l.* 4. *Phys. c.* 2.
    - IGNIS PERPENDICULARIS; is est fumus longus, & arctius concretus, qui æquabiliter accensus perpendiculi vel pyramidis speciem refert.
    - BOLIS sive JACULUM; id est fumus crassioribus partibus æqualiter cum subtilioribus commixtis constans, qui accensus sursumque evolans teli ardentis formam refert.
    - CAPRÆ SALTANTES; eæ sunt fumi disjuncti, in longum magis quam in latum porrecti, & neutiquam interrupti, qui accensi motu & scintillatione in morem caprarum saltare videntur.
    - SCINTILLÆ VOLANTES; eæ sunt fumi in multas minutasque partes sparsi, quorum singuli instar stipularum inflammantur.
  - *Media*, ut sunt
    - STELLA CADENS; ea est fumus globatus, qui accensus à nube deorsum repellitur, & ita stellæ è cœlo decidentis imaginem exhibet.
    - LANCEA ARDENS; ea est fumus oblongus, bene compactus, qui accensus è medio aere in mare vel terram instar titionis detruditur.
  - *Infima*, ut sunt
    - DRACO VOLANS; is est fumus crassior, qui in sublime evectus, & accensus impulsu frigidæ nubis curvatur & flectitur.
    - IGNIS FATUUS; is est fumus crassior, & tenacior, in imo aere per antiperistasin nocturni frigoris accensus, qui vento agitatus decliviora loca petit, & viatores à recta via in præcipitia plerumque ducere solet.
    - IGNIS LAMBENS; is est fumus rarus, subtilis & pinguis, qui accensus aliquando hominum vestimentis, eorumque & equorum capillis sine ulla læsione inhærescit.
- *Mixtum*, cujus exhalatio ob admixtionem vaporis est impurior, crassior, & viscosior. *Vide cap. seq.*

CAP.

CAP. III.

De Cometis.

Ignitum Meteorum mixtum est vel

- *Diutius durans*, ut COMETA, de quo not.
  - I. *Quid sit?* R. Hoc explicatur
    - *Negative.* Cometa non est
      - 1. *Coalitus plurium Planetarum*, quia
        - 1. Quo tempore Planetæ universi ab se disjuncti sunt, interdum Cometa adparet.
        - 2. Planetæ non digrediuntur à Zodiaco; non raro autem Cometæ.
      - 2. *Unus ex Planetis*, quia
        - 1. Planetæ vel semper vel frequenter cœlo sereno noctu conspiciuntur: minime vero Cometæ.
        - 2. Nullus Planeta, uti & nulla stella fixa augetur & diminuitur: at Cometæ augentur & diminuuntur.
    - *Affirmative.* COMETA est meteorum ignitum ortum ex exhalatione sicca, viscosa, copiosa, ampla, arcte compacta, inque supremum aerem evecta, ibidemque inflammata, magnæ stellæ speciem referens.
  - II. *Causa*, tum
    - *Efficiens*: Cometæ incenduntur vel
      - *Motu*, quo ignis supremaque aeris regio movetur.
      - *Flammmulis*, ab elementari igni in subjectam exhalationem decidentibus.
    - *Materia*, estq; exhalatio pinguis, crassa, & partibus bene coagmentatis constans in magna copia. *Unde existentibus Cometis, turbulenti ventorum flatus & immodica siccitates existunt; quia tunc magna terrena exhalationis copia aerem occupavit.*
  - III. *Affectiones.*
    - 1. *Locus* est suprema aeris regio, nam quod nec in infima, nec media gignantur, testatur inprimis eorum motus ab oriente in occasum, quo una cum aere volvuntur.
    - 2. *Tempus* est vel
      - *Adparitionis*, quod certum non est potissimum vero autumno gignuntur, quia tum plurimum viscosarum exhalationum adtollitur.
      - *Durationis*, quod definitum non est, sed pro copia & tenacitate materiæ pabulique variat. *Summa ejus duratio ad 6 menses, minima ad 7 dies protrahitur.*
    - 3. *Colores* (non quidem veri, quia hos non habet sed adparentes) sunt varii, quæ diversitas oritur ex materiæ diversitate, quatenus nempe illa rarior est, aut densior.
  - IV. *Divisio.* Cometa dividitur in
    - *Crinitum*, cum exhalatio in medio est crassior, in extremis autem partibus rarior & subtillior, ita ut lumen circumquaque veluti crines in orbem fundat.
    - *Barbatum*, cum exhalatio modice porrigitur.
    - *Caudatum*, si exhalatio versus unam partẽ longe protendatur.
- *Evanescens*, quod ob paucitatem materiæ citius dissipatur: ut, FULMEN. *Vide cap. seq.*

CAP. IV.

De Fulmine, Tonitru, & Fulgor.

De FULMINE quinque notanda;

I. *Quid sit?* R. FULMEN est exhalatio ignita è nube magno impetu excussa, *Conimbr. de Meteor, tr. 2. t. 5.*

II. *Quando generatur?* R. Fulmen generatur, quando exhalatio cum calida & sicca tum calida & humida, eaque copiosa incidit in nubem, & ab ea circumdatur ac ceu cute obducitur, & vel per motum, vel per antiperistasin incenditur: & quia accensa rarefit, magnoque conatu exitum è nube quærit, dum eandem tandem rumpit horren dum edit fragorem.

III. *Motus.* Fulmen descendit valde irregulari motu, plerumque oblique fertur quia natura ignis sursum vocat, vis qua è nube ejicitur deorsum premit.

IV. *Quotuplex?*
- *Terebrans* est subtile & flammeum, cui perangustissima fuga est ob sinceram & puram flammæ tenuitatem.
- *Discutiens* quod conglobatum est & spiritus coacti commixtam vim habens dissipat, & ictu rumpit. *Cum hoc interdum conjungitur, lapis fulmineus.*
- *Urens* igneum magis est quam flammeum, ideoque ob materiæ spissitudinem non penetrat, sed tantum infuscat, & amburit.

V. *Accidentia sunt,*

Tonitru, de quo duo not.

1. *Quid sit?* R. TONITRU est sonus proveniens ex collisione exhalationis nubi inclusæ cum lateribus nubis, vel ex nubis effractione.
2. *Quotuplex?* R. Exhalatio vel
   1. Nubem uno ictu rumpit, & tunc fit crepitus similis ei quem membrana edit, quæ spiritu plena rumpitur.
   2. Nubem diversis ictibus rumpit, tuncq; multiplex auditur sonus.
   3. Nubem omnino non effringit, sed intus rixatur, & ad latus declinat, & tunc oritur tumultuosus & obscurior sonus.

Fulgur, de quo tria not.

1. *Quid sit?* R. FULGUR seu coruscatio est exhalatio in nube accensa, & igneo colore cincta. *Con. c. 4.*
2. *Quid differat à Fulmine?* R.
   1. *Spiritus fulguris* est rarior & minus compactus, sparsim & per intervalla; *Fulminis* vero uno ictu totus inceditur.
   2. *Fulmen* est ignis è nube vibratus; *Fulgur ignis* in nube inclusus.
3. *Quando fiat?* R. Hic not.
   1. Coruscatio interdum fit absque Tonitru, (*cum nubes exhalationi non valde obsistit*, (& Tonitru interdum fit sine coruscatione (*quanda materia ad inflammmationem non est idonea.*)
   2. Quando Coruscatio & Tonitru conjunguntur, Tonitru prius est Fulgure. *Prius autem conspicitur* Fulgur, *quam tonitru auditur, quia adspectus est celerior quam auditus.*

CAP.

CAP. V.

De Nube, Pluvia, & Nive.

Aquea meteora fiunt vel in

- *Media aeris regione*, ut
  - **NUBES**, de qua not.
    - I. *Quid sit?* R. NUBES est vapor in magna copia ad mediam aeris regionem elatus, ibique loci frigiditate condensatus. *Fr. de Baconis in comp. Phys. c.* 5. NUBES est addensatus vapor. *Conimb. de Meteor. tr.* 7. *c.* 7.
    - II. *Causæ* tum
      - *Efficiens* estque tum
        - *Sol & reliqua astra* vaporem calore suo è locis humentibus ad mediam aeris regionem evocantia.
        - *Frigus circumstans*, quod vapores cogit & densat ut in nubis consistentiam abeant.
      - *Materia*, estq; vapor vi Solis ad mediam aeris regionem elevatus ibique adventitio calore deposito, à circumstante frigore constipatus.
    - III. *Quotuplex?* sit? R. est vel
      - *Sterilis*, ea est tenuis & lucida, ideoque ob raritatem suam vel evanescit, vel ventorum impulsu & calore solis dissipatur.
      - *Fœcunda*, ea est nigra, densa, & irriguo humore scatens ideoque ad pariendam pluviam idonea.
  - **PLUVIA**, de qua tria not.
    - I. *Quid sit?* R. PLUVIA est nubes in aquam soluta. *Conimbr. tr:* 7. *de Meteor. c.* 7.
    - II. *Materia*, quæ vel
      - *Remota* est vapor crassus, qui adhuc magis condensatur, atque in aquam mutatur.
      - *Propinqua* est nubes virtute frigoris in guttulas soluta.
    - III *Quotuplex?* R. Pluvia est vel
      - *Naturalis*, quæ vel
        - *Imber*, cum guttæ crebriores & minutiores ob vaporis tenuitatem jugi tenore defluunt.
        - *Nimbus*, cum guttæ paulo grandiores cadunt.
      - *Prodigiosa*, quando cum aquis ranæ, pisciculi, sanguis, lac, lapides, ferrum, &c. decidunt.
  - **NIX**, de qua not.
    - I. *Quid sit?* R. NIX est nubes friabili densitate conglaciata, *Conimbr. de Meteor. tr.* 7. *c.* 5.
    - II. *Quomodo generetur?* R. Frigus mediæ regionis intensum, nubem antequam in pluviam solvitur constringit; & candore imbuit; (*Candor enim sequitur partes aereas à frigore varie affectas*) & quia nivis materia est siccior quam pluviæ, ideo continuitatem habet, quia vero humidior quam pruinæ extenditur eo modo quo flocci lanæ.
- *Infima aeris regione*. Vide cap. 6.
- *Terra concavitatibus*. Vide cap. 7.

CAP.

CAP. VI.

De Grandine, Rore, Pruina, Nebula, & Glacie.

Meteora Aquea, quæ in infima aeris regione fiunt, sunt:

- **GRANDO, de qua not.**
  - I. *Quid sit?* R. GRANDO est pluvia in aere conglaciata. *Con:t.7.c.6.*
  - II. *Quomodo generetur?* R. Nubes in pluviam resolvitur, descenditq; & inter descendendum vi frigoris intensioris in globulos congelatur.
  - III. *Affectiones.*
    - 1. *Locus* est tam infima, quam media aeris regio.
    - 2. *Tempus*; Grando indiscriminatim quocunque tempore provenit, quamquam vere & autumno major decidat.
- **ROS, de quo not.**
  - I. *Quid sit?* R. ROS est vapor subtilis & tenuis, non procul à terra sublevatus, qui noctis temperatæ frigore densatus, & in aquæ guttas tenuissimas resolutus, in terram sparsim decidit. *Magir. l. 4. Phys. c. 5.*
  - II. *Causa*
    - *Efficiens* quæ
      - *Remota* est calor cœlestis vaporem evocans, qui tamen est imbecillis; *alioqui si vehemens foret, vaporem altius eveheret, vel omnino absumeret.*
      - *Propinqua* est frigus serenæ noctis temperatum; *si enim vehemens, cogit vaporem non in rorem, sed congelat in pruinam.*
    - *Materia*, eaque est vapor exiguus & subtilis.
  - III. *Tempus.* Quoniam Ros moderatum calorem requirit, vere & autumno maxime oritur, cum tranquillum & serenum tempus est; quia turbato & infestato pluviis aut ventis cœlo, concrescere vapor non potest.
  - IV. *Species*, quæ sunt
    - *Mel*, quod est vapor quidam dulcis floribus & frugibus insidens, quem apes inde colligunt, non autem ipsæ mel faciunt.
    - *Manna*, quæ est ros temperatissimi tum cœli, tum loci, ex purissimo & præpingui terræ vapore, in aere convenienter ad modum percocto & frigore noctis densato, genitus.
- **PRUINA, de qua not.**
  - I. *Quid sit?* R. PRUINA est vapor tenuis à terra in proximum aerem Sole evectus, & à frigore in salis quasi formam constrictus.
  - II. *Quid differat à Rore?* R.
    - 1. Ros est temperate calidus & humidus; *Pruina vero* frigida.
    - 2. *Vapor roris* non congelatur, sed convertitur in aquam; *Vapor pruinæ* congelatur, & instar salis constringitur.
- **NEBULA, de qua not.**
  - I. *Quid sit?* R. NEBULA est vapor densus, & infimo aere oriente potissimum vel occidente Sole excitatus, frigoreque paulatim condensatus, aerem proximum obscurans. *Magir. ibid.*
  - II. *Materia*, quæ sunt vapores crassi, qui ob suam spissitudinem & crassitiem in sublime efferri nequeunt.
- **GLACIES, de qua not.**
  - I. *Quid sit?* GLACIES est aqua in stagnis, paludibus, fluminibus, aliisve ejusmodi locis congelata. *Conimb. de Met. tr. 7. c. 8.*
  - II. *Quomodo generatur?* R. Congelatur aqua non solum hyberni frigoris efficientia, sed concurrit etiam admistio quædam terrenæ concretionis, quæ congelationem magnopere juvat. *Conimb. ibid.*

CAP.

CAP. VII.

De Fontibus, Fluminibus, & Mari.

In Terræ concavitatibus generantur


- **FONTES & FLUMINA, de quibus not.**
  - I. *Quid sint?* R. FONS, ex mente Aristotelis, est scaturigo aquarum ex terra continuo provenientium, propter perpetuam vaporum & aeris à frigore intra illius cavernas condensatorum conversionem. FLUMEN est fluxus aquarum ex plurium fontium concursu in certo terræ loco congregatarum.
  - II. *Eorundem origo.* Aqua fontana & fluvialis gignitur intra sinus terræ ex aere & vaporibus in aquam solutis. *Hæc est Aristotelis sententia, quæ si de omnium fontium & fluviorum ortu intelligatur, probabilis non est; ideo restringatur ad aliquorum fontium & fluviorum generationem: Nam non solum amplissima flumina, sed etiam minores fluvii & fontes e subterraneis aquis e mari oriundis ordinarie seu majori ex parte derivantur. Conimb. tr. 9. c. 4.*
- **MARE, quatenus salsum, de quo not.**
  - I. *Quid sit?* R. MARE est aquarum salsarum maxima multitudine congregatarum receptaculum, complectens undique terram non tamen totam illam comperiens, perpetuo æstu fluens ac refluens, neque tamen suos terminos unquam egrediens.
  - II. *Ejus origo.* Mare in ipso mundi nascentis exordio fuit à Deo productum, ejusque divino imperio in eum locum, quem nunc habet, cecessit.
  - III. *Affectiones*, suntque
    - 1. *Salsedo*, quæ juxta Aristotelis sententiam, ab exhalationibus adustis gignitur: Quidquid enim aduritur in eo generatur Sal. *Unde Mare tempore æstivo, quo calor Solis fervet, salsius est quam hyberno, & in ipso fundo ejus aqua dulcis hauritur ab urinatoribus.*
    - 2. *Æstus*, de quo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Æstus marinus est, quo maris aquæ reciproca agitatione nunc ad litus accedunt, nunc in se redeunt subsiduntque *Conimb.*
      - 2. *Ejus varietas.* In quibusdam maris tractibus nullus aut perexiguus visitur: In aliis vero magnus: Aliquibus in locis senis quibusq; horis mare recedit, & tot horarum spatio rursum accedit: In aliis locis alia recessus & accessus sunt intervalla.
      - 3. *Causæ* ejusq; tum
        - *Effectrix:* Æstus marini causa est Luna humorum domina, quæ occulta influentia aquas huc illuc absq; rarefactione impellit. Nam pro diversis Lunæ ad Solem adspectibus nunc majores (*ut plenilunio*) fiunt æstus, nunc minores.
        - *Finalis*, estque aquæ marinæ à putredinis noxa conservatio.

CAP.

CAP. VIII.

De Ventis.

- I. *Quid sit?* R. VENTUS est magna exhalationis copia confestim in sublime elata usque ad mediam aeris regionem, ibique ab aere frigido & denso portrusa,&dissultanti impetu resiliens. *Fr. de Raconis cap.* 4.
- II. *Causa* tum
  - *Efficiens* quæ vel
    - *Remota* est sol,& reliqua sidera exhalationē elevantia.
    - *Proxima* est tum
      - Mediæ aeris regionis frigiditas halitus adscendentes repellens,& deorsum trudens.
      - Interna exhalationis levitas,&aliæ exhalationes priorem subsequentes & agitantes.
  - *Materia*,quæ est exhalatio calida & sicca,*quia quibus temporibus magna hujusmodi exhalationū suppetit copia crebriores fiunt venti)* non tamen sola, sed & interdum vapores admiscentur : (*quia sæpe per integros menses venti spirant è mari, qui humidi sunt.*)
- III. *Motus*,estque obliquus.Nam halitus multi in sublime rapti,cum ad mediam aeris regionem pervenerunt, ab illius frigore protruduntur, & quia deorsum pulsi cum suapte natura sursum ferantur,dum neutra pars vincit, quasi partita contentione neq; sursum, neq; deorsum, sed oblique fluunt.



- Aerea Meteora sunt
  - VENTUS,de quo not.
    - IV. *Quotuplex?* R. venti sunt
      - *Regulares*, qui vel
        - *Indefiniti*, qui vel
          - *Cardinales*, ut
            - *Subsolanus*,qui spirat ab ortu æquinoctiali, estq; frigidus & siccus.
            - *Zephyrus* seu *Favonius*, qui flat ab occasu æquinoctiali, estq; frigidus & humidus.
            - *Aquilo*, qui à Septentrione progreditur, estque frigidus & siccus.
            - *Auster*,qui à meridie procedit,estq;calidus& humidus.
          - *Collaterales*, qui cardinalibus interjecti,& quidem singulis bini. *Nautæ* 32. *numerant.*
        - *Definiti*, qui certis temporibus spirant, ut
          - *Etesiæ* sunt aquilonares, qui circa caniculæ ortum 40 dies perflant.
          - *Ornithiæ* seu *chelidoniæ* sunt venti septentrionales, qui circa hirundinū adventum spirant.
      - *Irregulares sive Tempestates*, ut
        - *Ecnephias* est copiosa & crassa exhalatio nube inclusa,quæ ipsam disrumpens summa vi ad terram fertur sine inflammatione.
        - *Typhon* seu Turbo est tenuior & subtilior exhalatio. quæ per angustum nubis foramen erumpens deorsum in gyrum rotata fertur.
        - *Prester* est typhon propter viscositatē vel impetum motus accensus. *Differt à fulmine,quod fulmen plus habet flammæ, & minus flatuum.*
  - TERRÆ MOTUS, vide cap. 9.

CAP. IX.

De Terra Motu.

De TERRÆ MOTU quatuor not.

I. *Quid sit*? R. TERRÆ MOTUS est concussio & liberatio terræ, orta ex quibusdam exhalationibus calidis & siccis intra terræ viscera inclusis & exire nitentibus. *Fr. de Raconis in comp. Phys. c.* 4,

II. *Quomodo oriatur?* R. Commotio terræ fit ab halitu seu Spiritu terræ visceribus incluso, & foras exire contendente. Etenim cum is viam, qua prodeat, non invenit retrofertur, atque in se revolvitur: & exitu frustra quæsito, omnes angustias dimovet, dumque effringere claustra & convellere nititur, motum & tumultum facit. *Conimb. tr.* 11. *c.* 2.

III. *Affectiones*
- 1. *Sonus.* Comitantur terræ motum soni multiplices ac varii, qui ex Spiritus intus inclusi repercussu & conflictatione nascuntur.
- 2. *Locus.* Terræ motus frequenter sentiunt loca cava, fungosa, montosa, item insulæ, raro vero arenosa & ex limo concreta.
- 3. *Tempus*, tum
  - *Generationis.* Terræ motus accidunt, cum magna exhalationum copia terræ sinu inclusa est: ut, *vere & autumno.*
  - *Durationis.* Terræ motus plus & minus durant, prout major vel minor est exhalationum copia, spiritusque tardius aut citius consumitur.

IV. *Species*
- *Tremor*, cum Spiritus præ multitudine terram longe lateque pervadit, & eam non in profundum, sed ad latera ciet, ac modo ad hanc, modo ad illam partem vibrante motu agitat. *Conimb. tr.* 11. *c.* 8.
- *Pulsus*, quo ex imo terra concutitur, & sursum deorsumque jactatur, spiritu recta adscendere contendente. *Conimb. ibid.*

CAP. X.

De Voragine, & Halone.

Meteora] Adparentia sunt

VORAGO, de qua not.
- I. *Quid sit*? R. VORAGO est exhalatio sursum rapta, ibique lumine perfusa speciem voraginis referens. *Si parva est dicitur Hiatus.*
- II. *Quomodo fiat?* R. Cum serena nocte multæ spirationes in sublimi constipatæ, medio quidem densiores, reliqua facie rariores, inter astrorum lumen nostrumque adspectum constituuntur, exhibent similitudinem foveæ, quia in medio, quod propter densitatem minus illustratur, profunditas quædam adparet. *Conimb. tr.* 4, *c.* 4.

HALO de qua not.
- I. *Quid sit*? R. HALO est circulus albus sub astro aliquo in nube seu vapore adparens. *Dicitur etiam area & corona.*
- II. *Quomodo fiat?* R. Si multa spiratio vel nubes, æquabili densitate in orbem sparsa, sub Sole vel Luna, aliove è splendidioribus astris constituta, ita ut radius corporis luminosi propter spirationis densitatem recta progredi nequeat, sed resiliat, ac per omnes extremitates diffundatur, adparet tunc sub astro splendens circulus more lucidæ coronæ. *Conimb.*
- III. *Locus.* Halo frequentius conspicitur sub Luna, quam sub Sole, quia Solis fervor coagmentari halitus non sinit, sed eos absumit.

VIRGÆ, PARELIUS, IRIS, } *Vide caput seq.*

CAP.

C P. XI.

De Virgis, Pareliis, & Iride.

Sequuntur reliquæ Meteora Adparentia, ut.

- **VIRGÆ, de quibus not.**
  - 1. *Quid sint?* R. VIRGÆ sunt lineæ rectæ, quas Solis radii directe in nubem aquosam, dissimiliter tamen raram, incidentes & refracti, efficiunt. *Magir. l. 4. Phys. c. 5.*
  - 2. *Quomodo fiant?* R. Quando ad Solis latera, mediocri tamen intervallo, nubes inæquabili concretione, alias videlicet partes densiores habens, alias rariores, radiis solaribus penetratur, & ob diversitatem partium variis imbuitur coloribus, qui quoniam ad nubis cavitatem se adcommodantes, perpendiculariter versus terræ superficiem protenduntur, virgarum speciem ita exhibent. *Conimb. tr. 4. c. 5.*
- **PARELIUS, de quo not.**
  - 1. *Quid sit?* R. PARELIUS est imago Solis à latere ejus in nube densa, plana, quiescente, & aquosa, per radiorum Solis refractionem expressa. *Imago Lunæ dicitur*, PARSELENE.
  - 2. *Causæ*, tum
    - *Efficiens*, & sunt radii Solis in nube refracti.
    - *Materia* sive *Subjectum*, estq; Nubes
      - 1. Soli ad latus posita. *In hoc Parelius differt ab Halone & Iride.*
      - 2. Consistens seu quiescens.
      - 3. Plana & æquabilis.
      - 4. Densa, *ut imaginem retineat.*
  - 3. *Nnmerus.* Contingit nonnunquam plures nubes ad Solis imaginem recipiendam aptas collocari, ut imago Solis ad unam perducta aliam imaginem in alteram nubem inprimat, & hæc rursus in aliam, sicque plures Soles simul videbuntur.
- **IRIS, de qua not.**
  - 2. *Quid sit?* R. IRIS est arcus multicolor in nube rorida, opaca & concava, ex radiorum Solis oppositi reflectione adparens oculis spectantium. *Cinimb. tr. 5. c. 2.*
  - 2. *Causa*
    - *Efficiens*, estque Sol vel Luna. *Nam etiam Luna arcum efficit, quamquam non tot colorum varietate distinctum, sed album.*
    - *Materia* sive *Subjectum*, estq; Nubes
      - 1. Rorida, ac talis, ut in aquam proxime solvi possit.
      - 2. Translucida, sc. *externa facie, qua nos respicit.*
      - 3. Opaca, sc *à tergo ut lumen repercutiat.*
      - 4. Solis è regione opposita. *Nam Iris nobis non adparet, nisi simus inter nubem, qua Iris splendet, & Solem ipsum constituti.*
  - 3. *Affectiones.*
    - 1. *Numerus.* Possunt simul effici plures Irides, ita ut posterior vel inferior sit ex resplendentia prioris ideoque obscurior.
    - 2. *Figura.* Iris habet figuram semicirculi. Quo autem propinquior Sol est Horizonti, eo major Iris adparet.
    - 3. *Colores*, qui sunt tres
      - 1. *Puniceus* est primus & altissimus.
      - 2. *Viridis* est medius.
      - 3. *Purpureus* est infimus.

Tractatus

Tractatus IV. Partis Specialis.

De Corporibus perfecte mixtis.

CAP. I.

De Perfecte misti generatione & putredine.

De Corpore perfecte mixto in communi quatuor not:

- I. *Quid sit?* MIXTUM PERFECTUM dicitur quod habet perfectam formam substantialem mixti, distinctam à forma substantiali elementorum. *Fr. de Raconis disp. 1. de mixtis imperf. sect.* 1.
- II. *Generatio Misti, de quo ttia not,*
  - 1. *Quid sit?* R. Ἔστι δ' ἡ ἁπλῆ γένεσις, μεταβολὴ ὑπὸ τῶν ποιητικῶν δυνάμεων, ὅταν ἔχωσι λόγον ἐκ τῆς ὑποκειμένης ὕλης ἑκάστῃ φύσει. GENERATIO SIMPLEX est mutatio à virtutibus activis, cum habuerint rationem ex subjecta materia unicuique naturæ. *Arist. l. 4. Met. c. 1.*
  - II. *Quomodo differat à Mistione?* R. Generatio misti & Mistio non differunt realiter sed tantum ratione. Cum enim & in mistione, & in misti Generatione elementa sint terminus à quo, mistum vero terminus ad quem, vox *Mistionis* magis elementa respicit, nomen vero *Generationis* ipsum mixtum.
  - III. *Oppositum*, estque PUTREDO, de qua not.
    - I. *Quid sit?* R. Σῆψις δ' ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος. Αὕτη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. PUTREFACTIO est proprii naturalisque caloris in unoquoque humido existentis ab extranea caliditate corruptio: hæc autem est quæ in ambiente existit. *Arist. ibid.*
    - 2. *Subjectum proprium* est humidum: ideoque omnia mista putrescunt, quatenus humida.
    - 3. *Causa proxima positiva* est calor ambientis (*non solum aeris & aquæ, sed cujuscunque continentis*) qui calorem interdum evocat & corrumpit.
    - 4. *Quotuplex?* R.
      - *Totalis*, quando penitus abjungitur humidum à sicco, ut nihil reliquum nisi terra adpareat. *Hoc modo putrescunt quæ plurimum terræ obtinent.*
      - *Partialis*, quando non penitus humidum à sicco adjungitur. *Hoc modo putrescunt quæ plus humidi obtinent*
    - 5. *Theoremata.*
      - 1. Difficillime putrescunt res tum frigidissimæ, tum calidissimæ.
      - 2. Putrescentia initio sunt humida in superficie, tandē vero fiunt sicca.
- III. *Affectiones perfecte misti Similaris*, vide cap. 2.
- IV. *Quotuplex sit?* vide cap. 3.

CAP. II.

De Affectionibus perfecte mixti similaris.


- **Affectiones perfecte mixti oriuntur vel à *Qualit.***
  - **Activis**, nimirum *vel à*
    - *Calore*, ut **COCTIO**, de qua not.
      - 1. *Quid sit?* R. Πέψις ἐστὶ τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ, ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν, ταῦτα δ' ἐστὶν οἰκεία ἑκάστῳ ὕλη. COCTIO est perfectio, quæ à naturali & proprio fit calore ex oppositis passivis, quæ propria cuique materia existunt. *Arist. l.* 4. *Meteor. cap.* 2.
      - 2. *Causa*, suntque
        - *Efficiens*, calor internus proprius & naturalis, qui interdum externi alicujus auxilio adjuvatur.
        - *Materia* seu *Subjectum*, humidum & siccum, præsertim tamen humidum.
        - *Forma*, perfectio, quæ nihil aliud est, quam ultima proprii temperamenti absolutio.
        - *Finis* estque vel
          - Ipsa natura, sive forma rei substantialis.
          - Forma accidentalis, *id est, ut humidum hoc vel illo modo tantum dispositum sit.*
      - 3. *Species*, suntque
        - 1. Πέπανσις *Maturatio*, quæ est alimenti, quod in arborum fructibus inest, concoctio.
        - 2. Ἕψησις *Elixatio*, quæ est indefiniti in humore existentis coctio facta à calore humido.
        - 3. Ὄπτησις *Assatio*, quæ est coctio, quæ fit à calore sicco & alieno sive externo.
      - 4. *Theoremata.*
        - 1. Omnis res concoctione fit calidor.
        - 2. Cocta evadunt crassiora, solidiora, & compactiora.
    - *Frigore*, ut **INCOCTIO**, de qua not.
      - 1. *Quid sit?* R. ἡ Ἀπεψία, ἐστὶν ἀτέλεια δι' ἔνδειαν τῆς οἰκείας θερμότητος. INCOCTIO est imperfectio propter indigentiam proprii caloris. *Arist. ibid.*
      - 2. *Species sunt*
        - 1. Ὠμότης *Cruditas.*
        - 2. Μόλυνσις *Non plena elixatio.*
        - 3. Στάτευσις *Non plena Assatio.*
  - *Passivis*, quæ mistis insunt vel
    - *Actu*, ut
      - *Durities.* Σκληρὸν ἐστι, τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὑτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον. DURUM est quod non cedit in seipsum secundum superficiem. *ibid. c.* 4.
      - *Mollities.* Μαλακὸν δέ, τὸ ὑπεῖκον τῷ μὴ ἀντιπεριίστασθαι. MOLLE est, quod cedit in seipsum non circumstando. *ibid.*
    - *Potentia*, ut Affectiones, quæ mixtis propter passivas qualitates insunt potentia, suntque eæ, per quas corpora sunt *concretilia, liquabilia, emollibilia, flexibilia, ruptibilia, fragilia, formabilia, ductilia, fissibilia, lenta, friabilia, subactioni idonea, & quæ his omnibus sunt contraria.*

CAP. III.

De Metallis.

Corpora perfecte mixta sunt vel

- *Inanimata*, ut sunt
  - METALLA, de quibus quatuor not.
    - *I. Quid sint?* R. METALLUM est corpus perfecte mixtum & inanimatum, ex sulphure & argento vivo mixtis & temperatis in terræ venis natũ *Mag.l.5.Phys.c.1.*



    - II. *Causa*, tum
      - *Efficiens*, estq; vel
        - *Principalis*, & est virtus siderum, præsertim vero Solis.
        - *Instrumentalis*, & est
          - *Calor*, qui humidam experationem attenuat & coquit.
          - *Frigus*, quatenus eandem exhalationẽ condensat.
      - *Materia*, estq; vel
        - *Remota*, & est halitus ex vapore & exalatione compositus. in quo tamen prævalet humiditas vaporis.
        - *Propinqua*, & sunt
          - *Sulphur*, materia metallaris ex subtiliore exhalatione pingui & unctuosa.
          - *Argentum vivum* sive *Mercurius*, materia metallaris constans ex vapore subtiliore aqueo qui cum terra conglutinatur, & per calorem sulphuris decoquitur.
    - III. *Affectiones.*
      - 1. O. Metalla igne liquescunt, ea tamen difficilius quæ plus de terrena concretione obtinent;
      - 2. O Metalla ductilia sunt& percũssa dilatantur; sed ea magis quæ simul compacta, & molliora.
      - 3. O Metalla ponderosa sunt, ob materiæ spissitudinem & compactionem.
    - IV. *Species*, Metalla sunt vel
      - *Pura*, ut
        - *Aurum*, metallum purissimum, constans ex claro argento vivo, & sulphure mũdissime;
        - *Argentum*, metallum ex argento vivo, claro, albicante, & ex sulphure fere fixo, puro, genitum.
      - *Impura*, ut
        - *Plumbum*, metallum ex mercurio multo impuro, crudo, ac sulphure pauco itidem impuro ac fœtido genitum.
        - *Stannum*, quod constat ex argento vivo magis excocto, & sulphure albo, acri, minus maturo.
        - *Æs*, metallum ex pauco mercurio, & sulphure plurimo rubeo, impuro, constans.
        - *Ferrum*, metallum ex pauco mercurio, plurimo sulphure fixo constans.
  - LAPIDES, vide cap. 4.
  - MEDIA MINERALIA, vide cap. 5.
- *Animata*, vide cap. 6.

CAP. IV.

De Lapidibus.

De LAPIDIBUS duo nota.

I. *Quid sint?* R. LAPIDES sunt corpora perfecte mixta, inanimata, dura, ex sicca terrestri exhalatione unctuositate quadam aquosa permixta, per temporis diuturnitatem vi caloris & frigoris, atque virtute minerali conglutinata. *Magirus l. 5. Phys. c. 2.*

II. *Quotuplices?* R. Lapides sunt vel

- *Vulgares*, qui vel
  - *Porosi*, ut sunt *Pumex* & *Tophus*.
  - *Solidi*, qui vel
    - *Nitent*, ut sunt *Marmor*, cujus species sunt *Alabastrites*, *Ophites*, & *Porphyrites*.
    - *Nitore carent*, ut sunt *Silex*, *Cos*, *Saxum*, *Smiris*, *Pyrites*.
- *Pretiosi*, qui dicuntur GEMMÆ, suntq; vel
  - *Nobiliores*, ut
    - *Adamas*, gemma translucida, inenarrabilis duritiei, & pretii, colore ferro candenti non absimilis.
    - *Sapphirus*, gemma transparens, magna duritie, & cœruleo colore prædita.
    - *Smaragdus*, viridis coloris, ejusque lucidi, quamquam quodammodo terreni.
    - *Hyacinthus*, violacei coloris, & qui propter congenitam lucem scintillare videtur.
    - *Amethystus*, qui eundem fere cum Hyacintho obtinet colorem, nisi quod in hoc emicat fulgor purpureus.
    - *Carbunculus*, qui lucidissimi ignis flammam repræsentat.
    - *Chalcedoneus*, gemma lucida & pulchra, instar stellæ refulgens.
    - *Rubinus*, gemma rubea, per tenebras in speciem scintillæ alicujus micans.
    - *Chrysolithus*, gemma lucida, aurei coloris, varietate & nitore lucis nitens.
    - *Asterites*, gemma dura, splendida, quæ, cum convertitur, Solem aut etiam Lunam intus lucentem ostendit.
    - *Achates*, gemma coloris varietate præstantissima.
    - *Sardius*, gemma fulva, seu corneo colore rubens.
    - *Jaspis*, gemma viridis, maculis aut guttis sanguineis interpuncta.
    - *Onyx*, gemma perlucida, colorem unguium in digitis humanis referens.
    - *Turcois*, gemma obscurior, coloris cærulei ex viridi relucentis.
  - *Minus nobiles*, ut sunt *Chrystallus*, *Corallium*, *Hæmatites*, *Magnes*.

CAP.

CAP. V.

De Mediis Mineralibus.


De MEDIIIS MINERALIBUS duo not.

- I. *Quid sint*? R. MEDIA MINERALIA vocantur omnia illa perfecte mixta inanimata, quæ mediam quasi naturam habent inter metalla & lapides: adeoque ambiunt inter ea, ita ut quadamtenus naturam eorum participent, quadamtenus vero rursus ab eadem decedant. *Scarff. l. 5. Phys. cap.* 4.
- II. *Quotuplicia*? R. Media Mineralia
  - *Alia* emolliri quidem, non tamen liquari possunt; ut TERRÆ QUÆDAM, *v. g.*
    - *Calx*, terra siccior lapide, cocta, quæ postquam arserit, aqua incenditur, oleo extinguitur. *Viva dicitur, quia intus occultum ignem continet.*
    - *Gypsum*, terra candida, tenax, & levis, calci cognata, sed non ita calida, quæ ex summa tellure effoditur.
    - *Creta*, terra candida in Insula Creta potissimum fossilis.
    - *Ochra*, terra levissima, & lutea, è qua exusta in ollis novis luto circumlitis fit rubrica fabrilis, quæ tamen etiam est nativa.
    - *Argilla*, terra pinguis, & lenta, è qua fiunt figulina vasa.
    - *Terra Lemnia*, quæ dicitur *Terra Sigillata* ob sigillum illi impressum, & est portio terræ in Insula Lemno effossa, habens virtutem resistendi venenis. *Effoditur hodie etiam in Silesia terra, Lemnia non deterior.*
    - *Terra Armenia*, portio terræ in Armenia effossa, colore pallido, egregie siccans.
  - *Alia* liquari possunt; ut, SUCCI QUIDAM, *v. g.*
    - *Sal*, corpus metallicum friabile, ex succo humido aqueo, & crasso terreo, mixtis & decoctis genitum. *Ejus genera sunt Sal fossilis, Sal coctus, Sal ammoniacus, Sal Gemma, Sal Petra, &c.*
    - *Alumen*, salsugo, vel salsus sudor terræ, ex aqua limoque concrescens.
    - *Bitumen*, succus terræ pinguis, lentus, tenax, pici similis, facillime ignem concipiens. *Hujus genera sunt Asphaltus, Succinum, Naphta, Ambra, &c.*
    - *Sulphur*, succus mineralis, constans parte altera inflammabili & gravem odorem de se præbente, altera terrea, crassa, fixa, succum chalcanthosum admissum habente.
    - *Vitriolum*, succus concretus, perspicuitatem vitream obtinens. *Latinis atramentum sutorium adpellatur; dicitur & Chalcanthum.*

CAP. VI.

De Plantis.

I. *Quid sit?* R. PLANTA est corpus animatum vegetans seu nutriendi generandique facultate præditum. *Sennertus l. 6. Phys. cap. 3.*



Corpus animatum est vel
- *Sensus expers*, ut PLANTA, de qua not.
  - I. *Quid sit?* (vide supra)
  - II. *Partes*
    - *Principales* sunt, vel
      - *Similares*, ut
        - *Succus*, qui quasi sanguis plantarum conservat vitam.
        - *Lacrymæ*, quæ sunt humores, qui ex plantis sua sponte exsudant.
        - *Caro*, quæ est crassior stirpis substantia, musculis animalium respondens.
        - *Fibræ*, quæ sunt partes prælongæ & fissiles, quæ in totam plantam derivantur, sicuti venæ & nervi in animalibus.
        - *Cortex*, estque veluti tunica ex fibris contexta, qua plantæ obducuntur.
      - *Dissimilares*, ut
        - *Radix*, quæ quasi os in terra defixa alimentum adtrahit.
        - *Caudex* vel *Caulis*, quæ à radice proxime super terram adsurgens, alimentum à radice delatum excipit, & ad reliquas partes defert.
        - *Matrix* seu *Medulla*, quæ est pars interna constans ex carne & humore.
        - *Rami*, qui tanquam brachia à caule vel caudice in multitudinem diffunduntur.
    - *Minus principales*, quæ ad plantam nec in individuo, nec in specie conservandam multum faciunt; ut, *folia*.
  - III. *Corruptio*, estque vel
    - *Naturalis*, quæ dicitur *αὔανσις ariditas*, quando in plantis humidum nativum cum calore tandem absumitur.
    - *Violenta*, quæ vocatur *μάρανσις marcor* vel *tabes*, quando plantæ corrumpuntur à principio externo nimirum vel à vehementi frigore, vel à vehementi calore vel ab aliis hostibus.
  - IV. *Species*. Planta est vel
    - *Arbor*, scil. planta è cujus radice stipes nascitur, quæ sese in multos effundit ramos; ut, *pomus*, *pyrus*, *&c.*
    - *Frutex*, scil. planta, quæ ramos habet absque stipite tantum è radice progenitos; ut *avellana*, *sambucus*, *&c.*
    - *Herba*, scil. planta minor, de se emittens caulem, vel solum folia; ut, *absynthium*, *artemisia*, *&c.*
    - *Olus*, scil. planta sativa esui apta; ut, *lactuca*, *brassica*, *&c.*
- *Sentiens*, ut ANIMAL, vide cap. 7.

CAP. VII.

De Animalibus.

De ANIMALI duo notanda;

- I. *Quid sit?* ANIMAL est corpus animatum sentiens, & loco se movens.
- II. *Quotuplex sit?* R. Animal est vel
  - *Irrationale*, ut BESTIÆ, sive BRUTA, quæ vel
    - *Imperfecta*, ut *Insecta*, de quibus not.
      - 1. *Quid sint?* R. INSECTA sunt animalia sanguine carentia, quæ habent corpus incisuris distinctum, ideoque non respirant.
      - 2. *Quotuplicia?* R.
        - *Alia* sunt pennata: ut, *musca, culices, vespæ, cicada, crabrones,* &c.
        - *Alia* pennis carentur, *formica, aranei, locustæ, pulices,* &c.
    - *Perfecta*, suntque vel
      - Ἀμφίβια, quæ in utroque elemento, aqua & aere, vivunt: ut, *ranæ, testudo, mus aquatilis, natrix, mergus, anas.*
      - ἑτερόβια, quæ in uno saltem elemento vivunt; suntque vel
        - *Aquatilia* quæ in aqua degunt, & dicuntur PISCES; ut, *cete, halec, carpio, anguilla, perca, tinca,* &c.
        - *Volatilia*, pennata & rostrata, quæ in aere volitant, & dicuntur AVES & VOLUCRES; ut, *hirundines, passeres, pici, luscinia, alauda, corvi, anseres, gallina,* &c.
        - *Terestria*, quæ in terris gradiuntur, & vocantur BESTIÆ QUADRUPEDES; ut, *equus, bos, leo, canis, cervus,* &c.
  - *Rationale*, ut HOMO, de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. HOMO est animal rationale, *Homo ut omnium creaturarum nobilissimus est, ad cujus utilitatem cætera omnia sunt facta; ita corporis & omnium partium structuram præ aliis animalibus elegantissimam & pulcherrimam habet.*
    - 2. *Partes:* suntque
      - *Corpus*, quod variis constat partibus, & organis seu membris; de quibus Tract. seq. 5.
      - *Anima*, de qua Tract. 6.

Tractatus V. Partis Specialis.

De Partibus Humani Corporis.

CAP. I.

De Humoribus & Spiritibus.

Humani Corporis PARTES sunt vel

- **Contenta, ut**
  - **HUMOR de quo not.**
    - I. *Quid sit?* R. HUMOR est pars corporis liquida, in vasis certis contenta, ad conservationem animalis faciens.
    - 2. *Quotuplex?* Resp. Humor est vel
      - *Insitus & Congenitus*, qui una cum semine, ex quo infans nascitur, corpori communicatus, est nativi caloris pabulum & vehiculum. *Dicitur humidum radicale.*
      - *Adquisitus*, qui est vel
        - *Utilis*, ut
          - *Sanguis*, qui est humor calidus, dulcis, rubicundus, in venis mesaraicis præparatus, & in hepate ex partibus chyli temperatioribus confectus.
          - *Pituita*, quæ est humor frigidus, humidus, albus, & insipidus, ex frigidiore portione chyli in hepate genitus, ut per ulteriorem præparationem in sanguinem redigatur.
          - *Bilis flava* seu *Cholera*, quæ est humor calidior & crassior, qui è calidioribus chyli partibus in vesicam felleam colligitur.
          - *Bilis Atra* seu *Melancholia*, quæ est humor frigidus & crassior ad nigredinem vergens, è frigidioribus chyli partibus in splene collectus.
        - *Inutilis*, & *Excrementitius*; ut, Serum, urina, sudores, lacrymæ, mucus, stercus, *&c.*
  - **SPIRITUS, de quo not.**
    - I. *Quid sit?* R. SPIRITUS est substantia pertenuis & aerea, primum animæ instrumentum ad obeundas actiones.
    - 2. *Quotuplex?* R. est vel
      - *Complantatus* sive *Insitus*, qui singulis membris solidus innascitur, & ex semine genitali procreatur, prima caloris nativi sedes.
      - *Influens*; qui vel
        - *Naturalis*, qui in hepate generatur ex puriore sanguine, ad naturales operationes perficiendas.
        - *Vitalis*, qui in corde gignitur ex naturali spiritu, & per arterias diffunditur in totum corpus.
        - *Animalis*, qui in cerebro ex vitali spiritu gignitur, ad operationes sensuum perficiendas.
- *Continentes*, quæ ob suam solidam naturam per se consistunt & alias sustentant. Vid. c. seq. 2.

CAP.

CAP. II.

De Partibus Similaribus.

Partes Continentes sunt vel

- *Similares*, ut
  - OSSA, partes duriores, & ficciores, ad totius ftabilitatem factæ.
  - CARTILAGO, pars flexilis, locomotivæ inferviens.
  - LIGAMENTUM, offa inftar funiculi colligans, ne fiat luxatio.
  - MEMBRANA, pars tenera alias partes tegens,
  - FIBRÆ, tum
    - *Rectæ*, quæ inferviunt adtractioni alimentorum.
    - *Transverfæ*, quæ retinent alimentum.
    - *Obliquæ*, quæ vim expellendi habent.
  - NERVI, de quibus not.
    - 1. *Quid fint*? R. NERVI funt, qui fpiritum animalem deferunt ad fenfum, & motum.
    - 2. *Quotuplices*? R.
      - *Molliores*, qui ex priori cerebri parte oriuntur, & in fenfuum organa propagantur: ut, *nervi viforii & auditorii*.
      - *Duriores*, qui è fpinali medulla prodeunt, & internis partibus cerebri inferviunt.
  - VENÆ, de quibus not.
    - I. *Quid fint*? R. VENA eft pars ex hepate orta, una tunica conftans, fpiritum naturalem & fanguinem pro nutrimento ad fingulas partes deferens.
    - 2. *Quotuplices*? R.
      - *Principales*, ut
        - *Vena porta*, quæ ex concava hepatis parte prodit, omnesque venas mafaraicas excipit.
        - *Vena cava*, feu *magna*, quæ ex gibba hepatis parte nafcitur, & fanguinem defert omnibus membris.
      - *Minus principales*, quæ à duabus principalibus oriuntur, quarum numerus ingens eft.
  - ARTERIÆ, de quibus not.
    - I. *Quid fint*? R. ARTERIÆ funt vafa duplici tunica conftantia, & fpiritum vitalem, & arterialem fanguinem deferentia.
    - 2. *Quotuplices*? R.
      - *Principales*, ut
        - *Arteria aorta* feu *magna*, quæ ex finiftro cordis finu prodiens in univerfum corpus diffunditur, vitalem fpiritum diftribuens.
        - *Arteria venofa*, quæ ex eodem finiftro finu prodiens, pulmoni per multos ramos inferitur, ut inde petat aerem.
      - *Minus principales*, & funt rami ab arteria magna per univerfum corpus ducti.
  - CARO, eft pars mollis & rubicunda, ex fanguinis coagulo nata.
  - CUTIS, eft pars extima, omnes partes, circumque, tegens.
- *Diffimilares* feu heterogeneæ, de quibus cap. feq.

CAP.

CAP. III.

De Capite.


PARTES DISSIMILARES sunt vel

- *Externa*, ut
  - **CAPUT**, de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. CAPUT est summa corporis pars prima vertebra colli & cervice terminata, facultatis animalis sedes.
    - 2. *Partes*; suntque
      - *Cranium*, quod constat tum
        - *Ossibus*. Veteres 20 ossa numerant: Recentiores vero distinguunt ossa maxillæ à cranio, & sic saltem 8 vel 6 erunt ossa cranii.
        - *Suturis*, quæ sunt tres; *Coronalis*, *Sagittalis*, & Λαμβδοειδής.
      - Facies, in qua not.
        - *Frons*, inter capillos & aures interjecta.
        - *Oculi*, in quibus not.
          - *Palpebræ*, quæ oculum tegunt.
          - *Humores* tres; *Aqueus*, *Crystallinus*, & *Vitreus*.
          - *Tunicæ*, quæ vulgo sunt quatuor; *Cornea*, *uvea*, *retina*, & *aranea*.
          - *Glandulæ*, quæ sunt exiguæ caruncula per quas exprimuntur humores & lacrymæ.
          - *Musculi* sex, qui motibus oculorum inserviunt.
        - *Aures*, auditus instrumenta, quarum ossa dicuntur, *malleus*, *incus*, *stapes*.
        - *Nasus*, olfactus & respirationis instrumentum & dividitur intus per septum in duo foramina seu sinus, quos vocant *nares*.
        - *Gena*, maxillam superiorem & inferiorem complectens.
        - *Os*, in quo
          - *Dentes*, sunt ossa durissima, intus cava, nervis, venis, & arteriis prædita, præparandis ventriculo cibis à natura instituta.
          - *Lingua*, est pars carnea, rara, & laxa, gustatus & sermocinationis instrumentum.
          - *Palatum*, est pars oris superior concava, foraminulis constans, per quæ pituita in os fluit.
          - *Gurgulio*, est caro fungosa, oblonga, à palato in os propendens, ad vocis modulationem conferens.
  - **TRUNCUS**, vide cap. seq. 4.
  - **ARTUS**, vide cap. 5.
- *Interna*, vide cap. 6, 7, & 8.

CAP. IV.

De Trunco.

I. *Quid sit?* R. THORAX est pars trunci, quæ claviculis & costis undique circumscribitur, & diaphragmate ab infimo ventre separatur, ut vitalium partium sit domicilium; nec ossibus tota constans ut moveri possit; nec cornea tota, ne omnia concidant & misceantur.



Partes TRUNCI sunt

THORAX, de quo not.

II. Partes, quæ sunt vel

Molles, seu *carnosæ*, ut

Mammæ, partes carnosæ in mulieribus, destinatæ ut lac infantibus præparent, in viris vero ad cordis tutelam.

Musculi, partes carnosæ ad motum thoracis perficiendum ordinatæ.

Duræ, seu *Ossa*, quæ vel partis,

Anterioris, ut

Sternum, os pectoris anticam ejus partem constituens, in qua costæ conveniunt.

Claviculæ, gemina ossa collo proxime subjecta, quæ humerum & verticem efformant.

Costæ, quæ sunt vel

Veræ, quæ sterno coarticulantur, & sunt septem superiores.

Nothæ, quæ ad sternum non pertingunt, & sunt quinque inferiores.

Posterioris, ut

Scapulæ, duo ossa in dorso sita, claviculis & brachio inarticulata, ad costarum robur, & musculorum implantationem.

Spina dorsi, pars dorsi 34 vertebris varie inter se articulatis constans, spinalem medullam intra cavitatem suam continens, ad corporis sustentationem efformata.

Coxæ, sive *Coxendices*, duo ossa robustissima sacro ossi insita, ac desinentia in nates, quæ sunt musculosæ.

VENTER, de quo not.

I. *Quid sit?* R. VENTER est pars trunci inferior infra diaphragma, quod cartilagine ensiformi, costis & ossibus circumscribitur.

II. *Partes*, suntque

- *Hypochondria*, quæ superiorem partem obtinent.
- *Regio Umbilici*, quæ media est.
- *Hypogastrium*, quod infima sede collocatur.

CAP.

CAP. V.

De Artubus.

ARTUS sunt

- **MANUS, de quibus not.**
  - I. *Quid sint?* R. MANUS est pars corporis, quæ à scapulis ad digitos usque protenditur, brachio, cubito, & manu specialiter ita dicta, constans, ad res adprehendendas ordinata.
  - 2. *Partes*; Dividitur in
    - *Brachium*, id nuncupatur, quod ab humero ad cubitum permeat; & constat uno osse magno, & musculis multiplicibus, quorum septem regunt motum brachii, quaterni vero, qui dicuntur lacerti, regunt cubiti motum: & venis etiam constat tribus insignibus, *humeraria, axillari, & mediana.*
    - *Cubitum*, qui est tota illa pars, quæ inter brachiale, cubitique articulum est, constans duobus ossibus, quorum majus & inferius dicitur *Ulna*, minus & superius *Radius.* Constat etiam musculis 33, ad brachialis & manus motum comparatis.
    - *Summam, seu extremam manum*, cujus partes sunt
      - *Brachiale*, seu [illegible], id est, pars manus ubi cubitus desinit, & cum summa manu coarctatur; constat 8. ossibus, ligamento tranverso, & insigni arteria in brachio sinistro.
      - *Post brachiale*, seu [illegible], id est, pars summa manus, inter carpum & digitos sita; constans 4. ossibus, quorum posteriora cum carpo, anteriora cum digitis articulantur.
      - *Digiti* quinque, quorum singuli ternis officulis constant; *Primus dicitur Pollex*: *Secundus index*: *Tertius medius*: *Quartus annularis*; *Quintus auricularis.*
- **PEDES, de quibus not.**
  - I. *Quid sint?* R. PES est pars corporis coxæ inserta, quæ à natibus ad plantas usque porrigitur, ambulandi & standi organum.
  - *Partes*; suntque
    - *Femur*, à coxa usque ad genu porrectum, constans osse omnium maximo, musculis, & carne glandulosa ad inguina consistente, ubi bubones generantur.
    - *Crus*, pars à genu ad pedem parvum protensa, constans duobus ossibus longis, quorum interius & majus *Tibia*, exterius & minus *Fibula* vocatur.
    - *Pes parvus*, qui sub ipso talo incipit, & ad extremitatem digitorum excurrit; constat ossibus 28. & musculis vicenis binis, quibus digiti extenduntur & flectuntur. *Dividitur pes minor in pedium, metapedium, & digitos.*

CAP.

CAP. VI.

De Partibus Naturalibus.

Partes INTERNÆ sunt vel in ventre

- *Infimo*, quæ vel dicuntur *Naturales*, & inserviunt
  - *Nutritioni*, suntque destinatæ *concoctioni* vel
    - *Prima*, ut
      - OESOPHAGUS, qui à faucibus ad os ventriculi superius descendit, cibumque & potum defert in ventriculum.
      - VENTRICULUS, qui cibum & potum ad se delatum convertit in chylum, eundemque ad intestina per inferius orificium transfert.
      - INTESTINA, suntq;
        - *Gracilia*, chylo distribuendo dicata, ut
          - *Duodenum*, proxime adhærens ventriculo.
          - *Jejunum*, duodeno continuum, multis venis mesaraicis constans.
          - *Ileon*, chylum retinens, ut succus inde eliciatur melior.
        - *Crassa*, excrementorum receptacula, ut
          - *Cæcum*, excipiens excrementa.
          - *Colon*, fæces excipiens, & in angustiores meatus transmittens.
          - *Rectum*, quod se extendens ad anum usque excrementa evehit.
      - MESENTERIUM, quod in medio Intestinorum consistit, illaque invicem colligat, & connectit.
    - *Secunda*. ut sunt
      - HEPAR, in dextro hypochondrio situm, & est sanguinis officina.
      - LIEN, in dextro hypochondrio situm ex adverso jecoris, bilem atram adtrahens.
      - VESICULA FELLEA, in qua bilis flava excrementitia recipitur, & expellitur.
      - RENES, qui sub hepate & liene situm habent, & humore seroso sanguinem repurgant.
      - VESICA, quæ urinam ab ureteribus excipit, & excernit.
  - *Generationi*, quæ vel
    - *Communia utrique sexui*: ut vasa seminaria, & testes.
    - *Peculiaria uni sexui*: ut, in viris est virga sive penis; in fœminis matrix sive uterus.
- *Medio*, quæ vocantur *Vitales*. Vide cap. 7.
- *Supremo*, quæ nominantur *Animales*. Vide cap. 8.

CAP. VII.

De Partibus Vitalibus.

Partes VITALES sunt

- **COR**, de quo not.
  - 1. *Quid sit?* COR est præcipua animalis pars, vitæ fons, & vitalis facultatis domicilium, in quo spiritus vitales elaborantur, & per arterias à corde ortas distribuuntur in totum corpus.
  - 2. *Partes*, suntq; vel
    - *Externæ*, sc. *duæ Auricu-læ*, ob figuram sic dictæ;
      - *Dextra, major*, venæ cavæ, cum qua cõmune quasi corpus constituere videtur, adposita.
      - *Sinistra, minor*, arteriæ venosæ adposita. Hæc durior est, paulo carnosior, & crassior.
    - *Interna*, suntq; *duo Ventriculi*;
      - *Dexter*, qui complectitur venam cavam, & venam arteriosam, & sanguinẽ recipit ad pulmonis alimentũ.
      - *Sinister*, qui continet arteriam magnam, & arteriam venosam. Per arteriam venosam aerem ex pulmone accipit, è dextro vero ventriculo sanguinem purissimum, è quo spiritum vitalem generat, & per arteriam magnam in totum corpus distribuit.
- **PULMO**, organon vocis & respirationis, substantiam habens laxam, raram, spongiosam, & mollem.

CAP. VIII.

De Parte Animali.

Pars *Animalis* est *Cerebrum*, de quo not.

- I. *Quid sit?* R. CEREBRUM est pars mollis, alba, & medullaris, intra cranium sita, spiritum animalem præparans, totiusque facultatis animalis est principium.
- II. *Membranæ*, quæ sunt duæ:
  - *Dura Mater* vel *Meninx*, membrana crassior, totum cranium ambiens, ut ab ossium duritie cerebrum teneatur.
  - *Pia Mater*, membrana tenuior, proxime ambiens cerebrum universum, ne mollitie sua diffluat.
- III. *Partes*, quæ sunt duæ;
  - *Anterior*, quæ proprie dicitur *Cerebrum*, cujus *ventriculi sunt tres*:
    - *Dexter*, consistens in dextra cerebri parte per totam ejus longitudinem protensus ab anterioribus ad posteriora, figuram secti circuli referens.
    - *Sinister*, in sinistra cerebri parte consistens, & eundem cum dextro habens usum & figuram.
    - *Medius*, estque duorum concursus & communis cavitas in quam superiorum ventriculorum uterque humiliore sui sede delliscit.
  - *Posterior*, quæ *Cerebellum* vocatur, quod videtur natura in anterioris subsidium fabricasse, ut transmissum à cerebri finibus animalem spiritum conservaret, & spinali medullæ adaptaret.

Tractatus VI. Partis Specialis.

De Anima.

CAP. I.

De Anima in Communi.

De ANIMA in communi IV. not.

- *An sit* ? R. Dari in corporibus viventibus animam, potest demonstrari ex operationibus ab anima promanantibus; *cujusmodi sunt vivere, nutrire, crescere, sentire,* &c.
- *II. Quid sit* ? R. Hoc explicatur *tum*
  - *Negative.* Anima non est
    - 1. *Accidens*, scil. *prædicamentale*, quia anima tanquam pars essentialis constituit una cum corpore substantiam, *h. e. corpus animatum.*
    - 2. *Corpus.* Omne corpus per se est in loco. Anima per se non est in loco: alias enim, cum anima & corpus fiat unum compositum, duo corpora se penetrarent.
    - 3. *Materia.* Cum materia sit pura potentia, non potest esse principium alicujus actionis. Anima vero est principium operationum vitalium.
    - 4. *Actus secundus.* Nam actus secundus est operatio: sæpe autem anima est in corpore non operante.
  - *Affirmative* per definitionem. ANIMA definitur *vel respectu*
    - *Corporis*.. Ἡ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. ANIMA est actus primus corporis physici organici, vitam habentis potentia. *Arist. l. 2. de anima cap.* 1. t. 6.
    - *Operationum.* Ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ διανοούμεθα πρώτως. ANIMA est id quo vivimus, & sentimus & intelligimus primum. *ib. c.* 2. *t.* 24.
- III. *Quotuplex* ? R. Gradus Animarum sunt tres:
  - ANIMA VEGETANS. Vide cap. 2.
  - ANIMA SENTIENS. Vide cap. 7.
  - ANIMA RATIONALIS. Vide cap. 18.
- IV. *Theoremata.*
  - 1. Anima in corpore, quod constituit tantum una est.
  - 2. Anima secundum suam essentiam est in toto corpore.
  - 3. Anima vel est vegetativa tantum: vel & vegetativa & sensitiva simul; vel vegetativa, & sensitiva, & rationalis.

CAP. II.

De Anima Vegetante.

De Anima Veg. not.

- I. *Quid sit* ? R. *Anima Vegetans* est actus primus corporis physici organici, quo illud vivit, nutrimento adsumpto, nutritur, augetur, & simile sibi gignit.
- II *Facultates*, suntq; tres:
  - 1. NUTRITIVA, per quam corpus vivum nutritur. Vide cap. 3.
  - 2. AUGMENTAVIVA, per quam corpus vivum crescit. Vide cap. 4.
  - 3. GENERATIVA, per quam corpus vivum generat sibi simile. v. c. 18.
- III. *Effectus*, estque VITA, de qua cap. 6.
- IV. *Theoremata.*
  - 1. Anima vegetans est infimus animæ gradus, omnibus viventibus inest, & est prima maximeque communis potentia animæ.
  - 2. Anima vegetativa est prior natura, non dignitate.
  - 3. Anima activa vegetabili; omne pratum est animatum.

CAP.

CAP. III.

De Facultate Nutritiva.

De FACULTATE NUTRITIVA tria not.

- I. *Quid sit?* R. FACULTAS NUTRITIVA est facultas animæ vegetantis, qua id quod in animato corpore fuit absumtum, interventu alimenti restauratur.
- II. *Operatio*, & est NUTRITIO, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* NUTRITIO est adgeneratio partium materiæ in corpore vivente, ex alimento extrinsecus admoto facta ab anima vegetante, per calorem naturalem, ut materia quæ effluxit instauretur, & ipsum vivens servari possit ad illud tempus, quod est ipsi à natura præscriptum. *Zabar. de Nutr. cap.* 25.
  - 2. *Causa*, suntque
    - *Efficiens*, estque vel
      - *Principalis*, & est anima vegetans.
      - *Minus principalis*, & est
        - *Impulsiva*, estque
          - *Fames*, adpetitio calidi & sicci.
          - *Sitis*, adpetitio frigidi & humidi.
        - *Instrumentalis*, estque
          - 1. Calor nativus, quo anima utitur.
          - 2. Certæ corporis partes: ut *os, œsophagus, ventriculus*, &c.
    - *Materia*, quæ vel
      - *Ex qua*, & est Nutrimentum, quod est substantia corporea, mixta, corruptibilis, non omnino similis nec omnino dissimilis rei quæ nutritur, calida & humida. *Fr. de Raconis.*
      - *In qua*, & est subjectum illud quod nutritur, quale est corpus vivum, ejusque partes.
    - *Forma*, quæ est conversio alimenti in substantiam animati.
    - *Finis*, scil. ut restauretur quod quotidie absumitur, atque sic corporis animati vita continuetur.
  - 3. *Facultates Ministra*, suntque
    - *Adtractrix*, quæ alimentum adtrahit.
    - *Retentrix*, quæ alimentum adtractum retinet.
    - *Concoctrix*, quæ alimentum alterat.
    - *Expultrix*, quæ ad nutritionem inepta ejicit.
  - 4. *Ordo*, qui declaratur per tres *concoctiones*:
    - 1. χύλωσις, *Chylificatio*, qua producitur chylus in ventriculo.
    - 2. αἱμάτωσις, *Sanguificatio*, qua chylus è ventriculo ad hepar delatus mutatur in sanguinem.
    - 3. ὁμοίωσις, *Adsimilatio*, quando sanguis in substantiam corporis alendi convertitur: *Hæc fit in venis & singulis partibus.*
- III. *Theoremata.*
  - 1. Omne vivens, quamdiu vivit, nutritur.
  - 2. Ex quibus constamus, ex iis etiam nutrimur.
  - 3. Nutrimentum est potentia simile ei quod nutritur, actu autem & comparatione contrarium.

CAP.

CAP. VI.
De Facultate Augmentativa.

De FACULTATE AUGMENTATIVA *tria not.*

I. *Quid sit?* R. FACULTAS AUGMENTATIVA est vis animæ vegetativæ, qua corpus animatum, ex adsimilato alimento nutritum, in omnes dimensiones distenditur, ut justam magnitudinem ad edendas proprias & convenientes actiones consequatur.

II. *Operatio*, estq; AUGMENTATIO, de qua not.

1. *Quid sit?* R. AUGMENTATIO, seu ADCRETIO, est motus viventis corporis quo totum & omnes partes secundum omnes dimensiones simul extenduntur ad majorem quantitatem, factus ab anima vegetante per calorem naturalem, ex alimento extrinsecus adsumpto, & in majores partes quam adsumptæ erant converso, ut ipsum vivens debitam sibi magnitudinem adsequatur, ad exercendas omnes operationes vitæ. *Zabar. de Adcret. & Nutr. cap.* 25.

2. *Causa*, suntque
- *Efficiens*, quæ vel
  - *Principalis*, & est anima vegetans.
  - *Instrumentalis*, & est calor nativus, qui præparat materiam, adponit, extendit.
- *Materia* estq; vel
  - *Ex qua*, & est ipsum nutrimentum extrinsecus adsumptum.
  - *In qua*, & est ipsum subjectum, id est ipsum corpus vivens ejusque partes, quæ crescunt & justo modo augmentantur.
- *Forma*, quæ consistit in ampliatione & diductione corporis animati, qua proportionabiliter secundum omnes dimensiones extenditur.
- *Finis*, scil. ut adquiratur competens & perfecta quantitas, quæ ad rite obeundas actiones est necessaria.

3. *Conditiones.* Requiritur
1. Ut ex aliqua extrinsecus accedente materia res major fiat.
2. Ut idem numero & specie maneat subjectum quod augetur.
3. Ut omnes & singulæ partes in longum, latum, & profundum extendantur, & crescant.

4. *Oppositum*, & est DECREMENTUM, quod est motus corporis animati, quo partes ejus omnes, post ætatis fastigium, à majore & perfecta magnitudine ad minorem propter defectum caloris rediguntur, semperque ad interitum propius accedunt, usque dum vitam plane amittunt. *Hæc igitur diminutio fit à defectu illarum causarum quæ augmentare debebant corpus.*

III. *Theoremata.*
1. Ex quibus alimur, ex iis augemur.
2. Opus Altricis facultatis est perpetuum, ad finem usque: Auctricis officium certo spatio terminatur.
3. Augmenti unicuique rei à natura terminus est adtributus.

CAP. V.

De Facultate Generativa.

De Facultate Generativa tria not.

- I. *Quid sit?* R. FACULTAS GENERATIVA est vis animæ vegetativæ, ex semine prolifico novam substantiam effingens, & similem ei quod nutritur ad perpetuam specierum conservationem.
- II. *Operatio*, & est GENERATIO, de qua not.
  - 1. *Quid sit?* R. GENERATIO est processio viventis à principio vitæ conjuncto secundum rationem similitudinis saltem speciei infima. D. *Thom. parte* 1. *q.* 27. *a.* 2.
  - 2. *Causa*, suntque
    - *Efficiens*, quæ vel
      - *Universalis*, & est Deus, & influxus corporum cœlestium.
      - *Particularis*, estque ipsum vivens, quod
        - 1. Sit perfectum.
        - 2. Non sit mutilatum.
        - 3. Sit naturali modo genitum per univocam generationem ex semine.
    - *Materia*, estque Semen, de quo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Semen est corpus spirituosum, calidum, humidum, spumosum, & ex reliquiis alimenti ultimi vi testium excoctum elaboratumque ad perfectam animalis generationem. *Conimb. l.* 1. *de gen. c.* 4. *q.* 25.
      - 2. *Quotuplex?* R.
        - *Masculinum* est semen masculorum albius, calore magis excoctum, potentius & fortius.
        - *Fœmineum* est fœminarum semen, aquosius, minus coctum, & impotentius.
    - *Forma*, estque ipsa productio fœtus, & animati corporis.
    - *Finis*, estque propagatio speciei, ejusdemque conservatio.
  - 3. *Facultates ministra*, suntque
    - *Alteratrix*, quæ ex nutrimento corporis vivi copiosiore elicit excrementum tertiæ concoctionis utilissimum, & semen inde elaborat, illudque semen in qualitatibus immutat, alterat, & ita ad formationem & productionem corporis vivi præparat.
    - *Formatrix*, quæ in semen jam factum & præparatum operatur, inque eo totam corporis vivi dispositionem distinctius efformat, ita ut distinctam formam adquirat, & generans secundum speciem fiat simile.
- III. *Theoremata.*
  - 1. Naturalissimum & præstantissimum in viventibus opus est generatio.
  - 2. Prima anima est potentia generandi alterum, quale est ipsum, *id est, simile in specie.*

CAP. VI.

De Vita & Morte.

De VITA quinque not.

I. *Nomen*, quod sumitur
1. Po essentiali vita, qua essentialiter constituitur corpus vivum; & ita accipitur pro ipsa anima vegetativa.
2. Pro operationibus vitalibus; quo modo corpus vivere dicitur, quod nutritur augetur sive crescit, & generat sibi simile.
3. Pro existentia animæ in corpore; Hæc vita dicitur corporalis, cui opponitur mors; *In qua significatione hic accipitur.*

I. *Quid sit*? R. Ἔστι μονὴ τῆς θρεπτικῆς σὺν τῷ θερμῷ VITA est permansio animæ vegetativæ cum calore. *Arist. in lib. de respir.*

I. *In quibus consistat*? R. Vita consistit in calido & humido, *h. e. à calore & humiditate*

II. *In corpore coalitis dependet.*

IV. *Conditiones*, suntque tum
- *Ætas*, illud vitæ spaciū quo corporis constitutio incipit notabiliter immutari, diversaque suscipere temperamenta *Fr. sect. 2. de anima, q. 1. a. 5.*
- *Ætatum gradus* seu *Differentia*, quæ sunt
  - *Pueritia*, quæ dividitur in
    - *Infantiam*, à 1 ad 3 vel 4 annum.
    - *Pueritiam*, à 4 ad 10 annum.
    - *Pubertatem*, à 10 ad 18 annum.
    - *Adolescentiam*, à 18 ad 25 annum.
  - *Juventus*, quæ vel
    - *Juventus*, quæ à 25 ad 35 aut 40 annum porrigitur.
    - *Virilis ætas*, quæ ad 50 annum excurrit.
  - *Senectus*, quæ est vel
    - *Prima* Senectus, à 50 ad 65 annum.
    - *Ultima* Senectus seu decrepita, quæ vitam claudit.

V. *Oppositum*, estq; MORS, de qua not.
1. *Quid sit*?? R. MORS est absentia discessusve animæ à corpore ob defectum innati caloris. *Conimb. l. de vita & morte c. 3.*
2. *Quotuplex*? R. est vel
   - *Naturalis*, quando temporis longinquitate nativus calor tandem consumitur.
   - *Violenta*, quando per vim externam calor destruitur.

CAP. VII.

De Anima Sentiente.

De Anima Sent. not.

I. *Quid sit*? R. ANIMA SENTIENS est actus primus animalis, quo id percipit & adprehendit ea quæ extra ipsam sunt, objecta nimirum sensibilia, adpetit salutaria, & loco movetur. *Scharff. spec. Phys. l. 7. c. 1.*

II. *Facultates*, suntque tres
1. COGNOSCITIVA, seu SENTIENS. Vide cap. 8. & seq.
2. APPETITIVA, seu abpetens. Vide cap. 16.
3. LOCOMOTIVA, Vide 17.

III. *Theoremata.*
1. Anima sentiens nullius animalis, etiamsi rationali opponatur, specifica forma est.
2. Sensitiva anima inest omnibus animalibus, eaque animal à non animali distinguitur.
3. Anima sensitiva est extensa ad omnes partes animalis.

CAP. VIII.

De Facultate Cognoscitiva, seu de Sensibus in Communi.

De FACULTATE COGNOSCITIVA quinque not.

I. *Quid sit?* R. FACULTAS COGNOSCITIVA seu SENTIENS est, quæ mediante certo corporis instrumento objecta sensibilia ad se delata percipit, dijudicat, & tandem ad finem certum dirigit. *Et hac communiter dici solet Sensus, ejus operatio vero Sensatio.*

II *Quot ad Sensum in actum deducendum requiruntur?* R. quinque;

1. *Facultas Sentiens*, quæ residet in Spiritibus animalibus, & ex cerebro per nervos ad uniuscujusque sensus organum transit.
2. Objectum *Sensile*, estq; vel
   - *Per se*, quod vel
     - *Commune*, quod pluribus sensibus potest percipi; ut, *Motus*, *Quies*, *Figura*, *Numerus*, *Magnitudo*.
     - *Proprium*, quod uno tantum sensu percipitur; ut, *Color*, *Sonus*, *Odor*, *Sapor*, *Qualitates tactiles*.
   - *Per accidens*, quod alio objecto interveniente percipitur, & ita per aliud sentitur; ut, si Petrus vel Paulus videtur, is non ut per se talis est videtur, sed in quantum est coloratus.
3. *Species Sensilis*, similitudo quædam, quam objectum reale quodvis ex se gignit, quæque per medium ad sensum delata imaginem objecti repræsentat, ut secundum eam sensus dijudicare possit.
4. *Organum* seu *Sensorium*, certa corporis pars in qua Species sensiles recipiuntur; Sic oculus est organon visus.
5. *Medium*, quod inter organon & objectum intercedit; ut, inter visum & coloratum corpus, est aer luce illustratus.

III. *Quotuplices sint Sensus?* R. sunt vel

- EXTERNI, qui in exteriore corporis parte magis resident, & res externas præsentes comprehendunt. *Horum sunt quinque*;
  - VISUS. Vide cap. 9.
  - AUDITUS. Vide cap. 10.
  - OLFACTUS. Vide cap. 11
  - GUSTUS. Vide cap. 12.
  - TACTUS. Vide cap. 13.
- INTERNI, de quibus vide cap. 14.

IV. *Affectiones sensuum*, suntq; SOMNUS et VIGILIA. Vide cap. 15.

V. *Theoremata.*

1. Sensus est singularium; *e. g. visus non nisi hunc vel illum colorem percipit.*
2. Organon recipiens debet esse denudatum à natura recepti.
3. Sensile supra sensorium positum non sentitur.
4. Sensile excellens lædit sensum.
5. Sensus circa proprium objectum non errat; *sc. in justa distantia positum, medio legitimo, & organo recte disposito.*
6. Potentia sensitiva, quatenus recipit speciem ab objecto, est passiva; quatenus vero specie informata actum sentiendi profert, est activa.

CAP.

CAP. IX.

De Visu.

De VISU quatuor not.

1. *Quid sit?* R. VISUS est sensus exterior, qui mediante oculo in rem lucidam coloratam fertur, indeque objectum potentia aspectabile efficit actu adspectabile.

2. **Objectum**, estque tum
   - *Color*, de quo not.
     - 1 *Quid sit?* R. Χρῶμά ἐστι τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας. COLOR est extremitas perspicui in corpore terminato. *Arist. de sensu & sensili c.* 3.
     - 2 *Quotuplex?* R. Colores sunt vel
       - *Veri*, qui sunt vel
         - *Extremi*, ut sunt color albus, & color niger.
         - *Intermedii*, ut sunt color rubens, flavus, viridis, purpureus et cæruleus.
       - *Adparentes*, qui ex solo lumine, secundum diversum illius adspectum, corporibus adfunduntur: ut in Iride accidit.
   - *Lumen.* Τὸ φῶς ἐστιν ἐνέργεια τοῦ διαφανοῦς ᾗ διαφανές. LUMEN est actus perspicui, qua perspicuum est. *Arist. l.2. de anima c.7.* LUMEN est actus quo formaliter perspicuum constituitur actu perspicuum, sive illustratum. *Conimbr. l.2. de anima c.7.*

3. **Medium**, *corpus perspicuum*, de quo not.
   - 1. *Quid sit?* R. Διαφανὲς ὃ λέγω ὃ ἐστι μὲν ὁρατόν, οὐ καθ' αὑτὸ δὲ ὁρατόν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀλλὰ δι' ἀλλότριον χρῶμα. PERSPICUUM est quod est quod est quidem visibile non est autem per se sed per alium colorem visibile. *Arist. ibid.*
   - 2. *Quotuplex?* R. Corpora perpicua sunt vel
     - *Simplicia*; ut, corpus cœleste, item aer & aqua. Frequentissimum tamen et maxime idoneum visionis medium est aer.
     - *Solida & composita*; ut, vitrum, cornua polita, crystallus; quæ dicuntur perspicua, quia lumine illustrari et cerni per illa aliquid potest.

4. **Organon**, estque vel
   - *Remotum*, et est oculus, cujus partes omnes suo modo ad visionem sunt necessariæ.
   - *Proximum* et speciale, estque humor crystallinus, qui est centrum oculi, et habet se instar speculi quod imagines rerum repræsentat.

5. **Modus**. Visio non fit per emissionem radiorum ex oculis ad objectum, sed per immissionem sive receptionem specierum visibilium intra oculum.

6. **Theorem.**
   1. Visus omnium sensuum præstantissimus putatur, tum ratione objecti, tum ratione organi, tum ratione modi percipiendi.
   2. Humor crystallinus est aqueæ maxime, naturæ aut substantiæ, quæ tamen non diffluit, sed crystalli in modum consistit, ut imagines rerum possit recipere.
   3. Lumen tum ratione medii, tum ratione objecti ad visionem requiritur.

CAP. X.

De Auditu.

De AUDITU quinque not.

- *I. Quid sit?* R. AUDITUS est sensus externus, qui beneficio aurium sonos ad se delatos percipit.
- *II. Objectum*, estque *Sonus*, de quo not.
  - 1. *Quid sit?* R. sonus est qualitas in aere ex binorum solidorum corporum collisione excitata, *ad auditum* usque perveniens, illumque alterans, & de potentia, in actum deducens.
  - 2. *Causa Efficiens*, fractio aeris, quæ accidit quando duo solida & dura corpora colliduntur.
  - 3. Subjectum. Sonus subjective inest, neque corpori percutienti, neque percusso sed corpori intermedio quod frangitur.
  - 4. *Quotuplex?* R.
    - 1. vel
      - *Acutus*, qui in pauco tempore multum movet auditum.
      - *Gravis*, qui in multo tempore parum auditum movet, & in extremitate organi quasi hæret.
    - 2. vel
      - *Reflexus* sive *Echo*, scil. soni repercussio, facta à corpore obstante.
      - *Directus* seu *Simplex*, quando ob debilem reflexionem nulla soni repercussio percipitur.
    - 3. vel
      - *Inanimatorum*, qui proprie dicitur sonus.
      - *Animatorum*, qui dicitur *Vox*, de qua not.
        - 1. *Quid sit?* R. Vox est sonus animalis factus ab aere à pulmone per respirationem ad guttur usque emisso, cum intentione aliquid significandi. *Ruv. l. 2. c. 1.*
        - 2. *Quotuplex?* R.
          - *Inarticulata*, quæ editur à brutis.
          - *Articulata*, quæ dicitur Sermo.
- *III. Organon*, estque vel
  - *Remotum*, ut sunt aures tam affabre à natura factæ, ut sonum recipere & continere queant.
  - *Proximum* & *Immediatum*, ut est aer congenitus, qui membrana inclusus est, ne foras expiret, neve externis injuriis pateat.
- *IV. Medium*, estque aer & aqua; in his enim species soni recipitur, & ad aures defertur; Interim aer perfectius est medium quam aqua, quia est tennior.
- *V. Modus*. Duo solida corpora dum invicem colliduntur, aerem intermedium cogunt, coactum percutiunt & frangunt, ex qua fractione oritur sonus, qui impulsione quadam diffunditur, hinc afficitur vicina & circumstans aeris pars, eaque recipit sonum, & hæc rursus aliam aeris partem impellit ipsique sonum communicat, donec ad sensorium provehatur, ibique aerem innatum commoveat, & potentiam audiendi suscitet, ut species soni percipiatur.

CAP. XI.

De Olfactu.

De OLFACTU sex not.

I. *Quid sit?* R. OLFACTUS est sensus externus mediante naso odores percipiens.

II. *Objectum*, estque *Odor*, de quo not.

1. *Quid sit?* R. Odor est qualitas ex primarum commistione resultans, dominante sicco & calido, atque olfactum movens. *Conimbr. lib. 2. de animac. 11. q. 2. a. 1.*
2. *Causa Efficiens*, estque *calor*, cum
   - *Internus*, rei odoriferæ, cujus operatione siccum cum humido probe miscetur & temperatur.
   - *Externus*, solis, aut elementaris, qui calorem internum in gignendo odore adjuvat, corpora laxans, & qualitatem extrahens.
3. *Subjectum*, ut sunt corpora mixta, non tamen omnia, sed illa tantum in quibus siccum cum humido aliquo caloris operatione bene est contemperatum, sicco tamen habente prædominium.
4. *Quotuplex sit?* R. Odores sunt vel
   - *Extremi*, ut odor gratus, seu bonus; & ingratus, sive molestus.
   - *Intermedii*, qui pro diversa sicci in humido affectione oriuntur, & saporum nominibus adpellantur; ut, gravis, amarus, stypticus, acerbus.

III. *Organon*, estque vel
- *Commune*, Nasus, quem variæ constituunt partes, ossa, cartilagines, nervuli, membranæ, et processus mamillares. Et licet animalia, quæ non respirant, naribus careant, non proinde tamen ea omnia olfactus sunt expertia: alia namque branchiis, alia fistulis, alia præcinctu, ut insecta, odores percipiunt.
- *Proximum seu primarium*, scil. processus mamillares, qui sunt duæ caruncula in extremitate narium eminentes, quibus subjicitur os bipartitum, et multis foraminibus pervium.

IV. *Medium*, estque vel
- *Aer*; quia terrestria, volatiliaque animantia per aerem odores percipiunt.
- *Aqua*; Odores enim à piscibus in aqua etiam percipi, illud argumento est, quod pisces odoribus escarum adliciantur.

V. *Modus*. Odoriferi vapores exhalant à re odorata, inque iis odor defertur per aerem ad naros usque, ubi per spirationem species odoris adtrahitur ad processus mamillares, et tunc ab iis proprio organo olfactus statim percipiuntur odores.

VI. *Theoremata*.
1. Homo habet hebetiorem olfactum quam alia multa animalia. *Non quidem quoad perfectionem essentialem, sed quoad perceptionem odorum è longiori spatio.*
2. Cujus Cerebrum est frigidius et humidius, minus odoratur.
3. Odor non est fumea exhalatio corporis odorati. *Si enim esset fumea exhalatio, non esset sensibiles per se, quia substantia per se non sentitur.*
4. Odor plerumque effunditur è re odorata per substantiam fumeam.
5. Etiam cum res odorata vaporem exhalat, non ubicunque percipitur odor datur exhalatio odorifera.

70

CAP. XII.

De Gustu.

De GUSTU quinque not.

1. *Quid sit*? R. GUSTUS est sensus externus, linguæ opera Sapores percipiens.

2. *Objectum*, estq; *Sapor*, de quo not.
   1. *Quid sit*? R. *SAPOR* est affectio in humido aqueo & sicco terrestri, facta à calore decoquente, gustatum, qui in potentia est, ad actum per alterationem deducens. *Arist. l. de sensu & sensili c.* 4.
   2. *Causæ*, suntque
      - *Efficiens*, & est calor, cujus vi humidum & siccum terreum permiscetur & concoquitur.
      - *Materia*, & est siccum terreum cum humido aqueo mixtum: prævalet tamen in gustu humidum sicco.
   3. *Quotuplex sit*? R. Sapores sunt
      - *Extremi*, ut sapor dulcis, & sapor amarus.
      - *Intermedii*, ut sunt salsus, acer, austerus acerbus, & acidus. *De quibus consule medicos.*

3. *Organon*
   - *Remotum & Commune*, estque lingua, aut quidpiam linguæ proportione respondens in iis quæ lingua carent.
   - *Proximum*, suntque nervi per linguam & palatum dispersi; præsertim vero in linguæ cuspide hic sensus viget, eo quod ejus nervi molliores sint, ideoque ad sapores percipiendos magis idonei.

4. *Medium*. Gustus externum medium non habet: internum vero est spongiosa illa & porrosa linguæ caro, quæ plena est humiditate salivæ, cujus beneficio substantia nervosa sapores percipit.

5. *Modus*. Res sapida, si actu & humida, facile saporem linguæ imprimit: sin autem sicca est communitur prius, & mox cum humiditate linguæ permiscetur, & qualitas sapida humore residens abluitur, & linguæ nervosiori partem specialem sui communicat.

CAP. XIII.

De Tactu.

De TACTU sex not.

1. *Quid sit*?? R. TACTUS est sensus externus Qualitates tactiles percipiens.

2. *Objectum*, suntque qualitates, primæ & secundæ. *Hoc Objectum licet materialiter multiplex sit & plures contrarietates in se habeat; formaliter tamen, qua est tactile, unum existit, petita unitate à modo immutandi organi uno.*

3 *Organon*, quod non est sola caro, nec solus nervus, sed indifferenter qualibet corporis pars præter ossa; nam ubi est sensio, illic necessario erit sensorium; At vero sensio in omnibus partibus fit, quia in omnibus læsio sentitur. Maxime tamen Tactus in externa cute viget.

4. *Medium*. Tactus non habet medium externum; internum verum est cuticula corporis exterior; quamvis etiam hac semota vera cutis sentiat.

5. *Modus*. Tactus fit, quando objectum organo proxime admotum illud afficit, eique ἕξιν suam imprimit.

6. *Theoremata*.
   1. Tactus est sensus communissimus per omnes & singulas fere corporis partes diffusus.
   2. Tactus sicut origine, ita necessitate est primus; at dignitate est ultimus; *Est enim maxime crassus.*
   3. Homo inter omnia animalia tactum habet exquisitissimum.

CAP.

CAP. XIV.

De Sensibus internis.

De SENSIBUS INTERNIS duo not.

I. *Quid sint*? R. SENSUS INTERNI sunt, qui species rerum sensibilium non solum præsentes sed etiam absentes percipiunt, censent, dijudicant, & diutius conservant. *Magir. l.* 6. *Phys. c.* 12.

II. *Quot sint*? R. tres.

SENSUS COMMUNIS. de quo quatuor not.

1. *Quid sit*? R. SENSUS COMMUNIS est sensus internus omnium externorum sensuum species adprehendens, à se invicem discernens, & cognoscens objecta singulorum sensuum.
2. *Objectum* est quævis species sensilis ab externis sensibus percepta.
3. *Officium*, estque
   1. Omnium sensuum exteriorum objecta adprehendere, & à se invicem secernere; *Sic colores dignoscit, & secernit ab odoribus*, &c.
   2. Sensuum exteriorum actiones vel sensationes percipere; *Nam sensus communis beneficio, cognoscimus nos videre, audire*, &c.
4. Organon seu *Sedes*, estque cerebrum, ejusque anterior pars, seu prior cerebri ventriculus, qui & humidior, & ad recipiendum aptior.

PHANTASIA, de qua quatuor not.

1. *Quid sit*? R. PHANTASIA est sensus internus imagines rerum à sensu communi acceptas, & distinctas diligentius examinans, diutius retinens, & ex iis alias eliciens.
2. *Objectum*, hoc sunt sensibilia à sensu communi communicata, vel etiam imagines, quas sua vi, ex quapiam interna causa sibi effingit, & efformat.
3. *Officium*, estque
   1. Objecta sensibilia à sensu communi etiam percepta dijudicata ponderare, sintne bona, an mala.
   2. Ex iis objectis sensibilibus alias specie elicere.
4. *Organon*, seu *Sedes*, estque media pars cerebri.

MEMORIA, de qua not.

1. *Quid sit*? R. MEMORIA est sensus internus, qui species omnes sensibiles judicatas atque cogitatas tanquam depositum recondit ac servat, ut eas, cum opus fuerit, exhibeat.
2. *Objectum*, sunt; omnes species præteritæ & sensibus perceptæ; quæ enim non sunt, in memoriam reponi non possunt.
3. *Officium*, estque imagines cerebro impressas retinere, & quoties opus erit, repræsentare.
4. *Organon*, seu *Sedes*, estque posterior cerebri pars cerebellum adpellata.

CAP.

CAP. XV.

De Somno, Somniis & Vigilia.

AFFETIONES SENSUUM sunt

- SOMNUS, de quo tria not.
  - 1. *Quid sit?* R. SOMNUS est ligatio omnium sensuum externorum, ad animantium quietem & salutem instituta. *Conimb. de Somno & Vigilia cap.* 1.
  - 2. *Causa Efficiens*, estq; vel
    - *Remota*, & est calor naturalis, qui ad inferiora sese revocat, & ex alimento adsumpto halitus suaves ad cerebrū submittit.
    - *Proxima*, & sunt vapores humidi è ventriculo ad cerebrum per venas adscendentes, & meatus, per quos spiritus animales excurrunt, obstruentes.
  - 3. *Affectio*, estq; SOMNIUM, de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. SOMNIUM est visum quod in somno adparet: Seu, est adparitio exhibita per internum sensum in iis qui somno consopiti sunt. *Conimb. de Somniis c.* 1.
    - 2. *Quomodo fiat?* R. Imagines quædam rerum, quas interdiu tractamus, phantasiæ imprimuntur, hæc autem cum in somno maxime fit actuosa impressas illas species iterum depromit, quin & alias inde effingit.
    - 3. *Quotuplex?* R. Somnia sunt vel
      - *Non naturalia*, quæ sunt vel
        - *Divina*, quæ immittuntur sive à Deo immediate, sive à bonis angelis intermediis.
        - *Dæmoniaca*, quæ immittuntur à malo spiritu ad ludificandos aut terrendos homines.
      - *Naturalia*, quæ sunt vel
        - *Aσημα*, quæ cogitationum aut actionum diurnarum sunt reciprocationes vel imagines.
        - *Σημαντικὰ*, quæ aliquid præsagiunt & significant.
- VIGILIA, de qua duo not.
  - 1. *Quid sit?* R. VIGILIA est omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutio & libertas. *Con. de Som. & Vigil. c.* 1.
  - 2. *Causa*, estq; vel
    - *Interna*, quæ est
      - *Concoctionis absolutio*; percocto enim alimento fit ejus secretio, nullique aut non tam copiosi vapores in cerebrum adscendunt, & propterea somnum excitare nequeunt, sed animal vigilare potest.
      - 2. *Calor nativus*, qui ab ambiente frigore in angustum coactus augetur, & sic resolvit & dissipat humiditates & vapores, à quibus somnus fovebatur.
    - *Externa*, & sunt res externæ: ut, *clamor, tactus, læsio, strepitus, magna commotio*, &c.

CAP. XVI.

De Facultate Appetitiva.

De FACULTATE APPETITIVA quatuor not:

I. *Quid sit?* R. FACULTAS APPETITIVA seu APPETENS est vis animæ sentientis, qua inclinatur animal, & impellitur ad prosequendum aut aversandum id, quod sensibus bonum malumve esse cognovit. *Alias dicitur appetitus sensitivus sive animalis, prout hic sumitur pro potentia appetendi, cujus actio est appetitio.*

II. *Objectum*, suntque omnia sensuum externorum objecta, quæ phantasia vel bona judicat, unde adpetuntur, vel mala, unde repelluntur.

III. *Quotuplex?* R. Appetitus Sensitivus est vel
- *Concupiscibilis*, quo animal ad bonum aliquod delectabile & jucundum fertur, acerba autem & ingrata respuit.
- *Irascibilis*, quando animal fertur ad bonum aliquod, quod sine difficultate & labore adipisci non potest.

IV. *Consequens*, suntq; AFFECTUS, qui insequuntur appetitum. Hic not.
- 1. *Quid sint?* R. AFFECTUS est motus appetitus sensitivi, ex adprehensione boni vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis. *Conimbr. disp. Eth. 6. q. 3. a. 1. vel*, AFFECTUS est motus appetitivæ virtutis in prosecutione boni, vel in fuga mali. *D. Thom. 2. Eth. lect. 3.*
- 2. *Quotuplices?* R. sunt vel
  - *Simplices*, qui vel
    - *Boni*, ut
      - *Lætitia*, affectus, quo se dilatat & extendit cor amplectendo suaviter præsens bonum.
      - *Amor*, affectus, quo cor adpetit aliquod bonum, quod adtrahere gestit ut potiatur.
      - *Spes*, affectus, quo animus, corde quasi dilatante & præparante, concipit consequendum sibi objectum.
    - *Mali*, ut sunt
      - *Tristitia*, affectus, quo cor rebus ingratis percussum constringitur, tremit, & languescit, cum acri sensu doloris.
      - *Metus*, affectus, quo cor motu quodam constringitur, tanquam fugiens malum. *Dicitur & Timor.*
  - *Mixti*, ut sunt
    - *Ira*, affectus mixtus ex tristitia & ulciscendi cupiditate. *Ejus species sunt, Odium & Pudor.*
    - *Zelus*, affectus mixtus ex amore & ira, quando nempe amans irascitur illi à quo læditur res amata.

CAP.

CAP. XVII.

De Facultate Locomotiva.

De Facultate Locomotiva duo not.

I. *Quid sit?* FACULTAS LOCOMOTIVA est vis animæ ſentientis, qua animal de loco ad locum movetur, vel ſecundum ſe totum vel ſecundum partes ad proſequendum bonum, & fugiendum malum. *Scharff. lib. 7. Spec. cap. 4.*

II. *Requisita*, ſuntq; tria;

- I. *Quod movet*, eſtque duplex;
  - 1. Movet *Finis*, nempe *objectum*, quod vel deſideratur vel repudiatur.
  - 2. Movet *Efficiens* eſtq; vel
    - *Immobile*, quod movet & non movetur, & eſt anima Sentiens.
    - *Mobile*, quod movet, ut prius moveatur, eſtq;
      - *Proximum*, & eſt facultas animæ ſentientis adpetens.
      - *Remotum*, & eſt cognitio objecti, quæ in hominibus fit ab intellectu, in brutis vero à Phantaſia.
- II. *Quo movet*, eſtque *inſtrumentum corporeum*, quod vel
  - *Generale*, & eſt cerebrum, ex quo ſpiritus animales in nervos fluunt, quorum vi atque efficacia anima utitur ad corpus movendum.
  - *Particulare*, eſtq; vel
    - *Proximum* ſeu *immediatum*, quod eſt muſculus, cujus ſubſtantia & conformatio talis eſt ut quam commodiſſime contrahi & extendi poſſit.
    - *Adjuvans*, quod ſit quieſcens & immobile, ſiquidem nihil moveri poteſt, niſi aliquo immobili firmetur; *Tale eſt flexura cujuſque membri in qua id quieſcit, à quo principium eſt motus.*
- III. *Quod movetur*, eſtq; vel
  - Certa aliqua corporis pars; ceu *lingua, manus, pes, oculus*, &c.
  - Totum corpus animalis.

CAP. XVIII.

De Anima Rationali.

De Anima Rat. not.

I. *Quid sit?* R. ANIMA RATIONALIS eſt forma hominis, qua ille habet vim intelligendi, ratiocinandi, & volendi.

II. *Facultates*, ſuntq; duæ:
- 1. INTELLECTUS. Vide cap. 19.
- 2. VOLUNTAS. Vide cap. 20.

III. *Theoremata.*
- 1. Anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis.
- 2. Anima rationalis non eſt forma hominis adſiſtens, ſed informans.
- 3. Anima rationalis eſt incorruptibilis & immortalis.
- 4. Anima non eſt una numero in omnibus hominibus.

CAP.

CAP. XIX.

De Intellectu.

De INTELLECTU quinque not.

I. *Nomen*, quod sumitur
- 1. Pro ipsa mente, seu pro ipsa anima, in quantum illa intelligit.
- 2. Pro habitu principiorum, qui alias *Intelligentia* vocatur.
- 3. Pro ipsa actione mentis, quæ est intellectio.
- 4. Pro facultate, seu potentia intelligendi. *Quæ acceptio est hujus loci.*

II. *Quid sit?* R. INTELLECTUS est facultas animæ rationalis, per quam homo res intelligibiles intelligit, cognoscit seu deprehendit, & dijudicat.

III. *Quotuplex?* R. Intellectus est
- 1. vel
  - *Agens*, qui elicit actionem, illustrando phantasmata & abstrahendo.
  - *Patiens*, qui in se recipit species intelligibiles, easque ab agente intellectu illuminatas percipit atque dijudicat.
- 2. vel
  - *Speculativus*, qui tantum veritatis ergo rem aliquam agnoscit, & sola adquiescit cognitione.
  - *Practicus*, qui non tantum scientiæ ergo agnoscit, sed ut quod scit agendum esse, id agat; *Hinc ordinatur ad motum, non impellendo sed dirigendo appetitum, & quid adpetendum sit ostendendo.*

IV. *Operatio*, estque INTELLECTIO, cujus not.
- *Conditiones*, quæ sunt
  - *Objectum*, estque res in quam cognoscendam fertur intellectus. *Tale objectum est omne ens in quantum est verum & cognosci potest, sive sit singulare, sive universale, sive materiatum, sive immateriatum.*
  - *Phantasma*, estque Species sensilis in phantasia latens, quæ intellectui agenti objicit & offert rem intelligendam, ut ex ejus illustratione possit fieri Species intelligibilis.
  - *Species intelligibilis*, estque accidens spirituale, quod à phantasia intellectui transmissum, idealiter exprimit & repræsentat ipsam rem materialiter existentem extra intellectum.
- *Divisio*, Operationes intellectus sunt vel
  - 1. *Adprehensio simplicium*, quando intellectus nude unam rem concipit; ut, *si cognoscat hominem vel cœlum.*
  - 2. *Compositio & Divisio*, quando simplices conceptus conjunguntur, sic ut aliquid, sine tamen discursu, affirmetur, vel negetur: ut, *si concipias hominem esse animal.*
  - 3. *Discursus*, quando intellectus unum ex alio colligit; *Sic e duabus præmissis elicit conclusionem.*

V. *Theoremata.*
- 1. Sensus est singularium; Intellectus vero universalium.
- 2. Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.
- 3. Intellectus intelligendo fit omnia, *sc. idealiter.*
- 4. Intellectio non tantum est actio, sed etiam passio quædam.

CAP.

CAP. XX.

De Voluntate.

De VOLUNTATE quinque not:

- I. *Quid sit* ? R. VOLUNTAS est facultas animæ rationalis, qua homo res ab intellectu cognitas adpetit, vel aversatur. *Dicitur etiam appetitus rationalis, vel appetitus ex ratione ortus.*
- II. *Objectum*, estque bonum in genere, à præcedente cognitione intellectus monstratum, & ejus contrarium malum, sive sit verum bonum malumve, sive adparens.
- III. *Quotuplex ?* R.
  - 1. vel
    - *Simplex*, sive *Universalis*, qua homo simpliciter fertur in bonum, & omne quidem, sive sit verum, sive adparens.
    - *Determinata*, sive *particularis*, estque appetitus restrictus ad certa media, quibus intervenientibus aliquod bonum volumus. *Dicitur alias voluntas consultiva,*
  - 2. vel
    - *Consiliativa*, quæ judicat aliquid esse bonum vel non bonum, ut fiat vel non fiat ; ut, *si demus consilium alicui de faciendo, vel omittendo.*
    - *Affectiva*, quæ adpetit id quod judicat esse bonum, & refugit id quod malum esse judicat ; *si ex affectu bono adpetamus voluptates vel eruditionem, &c.*
    - *Imperativa*, quæ imperat aliquid fieri, vel non fieri, prout vel bonum vel malum esse judicatur ; *Sic voluntas imperat locomotivæ ad extendendam manum, & adripiendam pecuniam.*
- IV. *Operationes* sive *Actus*, qui sunt
  - *Simpliciter voluntarii*, quando homo sponte, & cum prælectione objectum sectatur vel aversatur, absque ulla vel violentia, vel ignorantia, vel metu.
  - *Mixti*, quando voluntarium, & non voluntarium concurrunt in una actione : ut, *quando mercator ad redimendam vitam abjicit merces in mare.*
  - *Involuntarii*, quando facimus id quod quidem serio, & ex animo non volumus, sed vel violentia cogimur, vel ex ignorantia non affectata ejus actio seu perpetratio nobis accidit.
- V. *Theoremata.*
  1. Voluntas est solius rationis appetitus.
  2. Voluntas nihil vult, nisi prius sit in intellectu.
  3. Actiones voluntatis sunt simpliciter liberæ ; actiones autem Appetitus sensitivi non nisi adumbrata quadam & imperfecta libertate, & communicata aliunde.
  4. Voluntas fertur tam in singularia quam in communia, tam in materialia quam in immaterialia : Appetitus autem sensitivus in singularia & materialia tantum.
  5. Intellectus nobilior est voluntate : *quia intellectus habitus, actus, & objecta excellentiora sunt.*

Quæstiones

Quæstiones Controversæ,

PER

Selectiores Probatissimorum Autorum
OBSERVATIONES & DISTINCTIONES,
quibus multis concurri potest objectionibus,
succincte decisæ

A

M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



LONDINI,
Venales prostant apud *Johan. Williams.* 1667.

Lectori Benevolo & Candido S. P.

Cum multi sit laboris, otii, atque temporis, prolixos doctissimorum Interpretum commentarios evoluere, ex illisque Controversiarum decisiones petere; in gratiam studiosæ juventutis ad Interpretum lectionem præparandæ, has observationes & distinctiones adornare, & quæ alioqui multis è libris multo tempore essent conquirenda, congerere volui, ut tyroni Physico, sive respondentis sive opponentis munere fungatur, inservire possent. E. gr. Definitio temporis *ita impugnatur.* Numerus est quantitas discreta: Tempus non est quantitas discreta; E. Tempus non est numerus. *Huic objectioni quomodo occurri possit, ex* observ. 2. q. 11. Sect. part. gen. *videre est, Major propositio non valet simpliciter, sed tantum de numerante intellecta: atque sic etiam conclusio erit tantum vera de numero numerante. Tempus enim non est numerus numerans, sed numerus motus seu numerus numeratus, qui designat res continuas.* Item; *Contra hanc adsertionem,* Cœlum est rotundum, *profertur tale argumentum.* Quicquid est instar tabernaculi, illud non est rotundum, *profertur tale argumentum.* Quicquid est instar tabernaculi, illud non est rotundum. Cœlum est instar tabernaculi, Esa. 40. v. 23. E. Cœlum non est rotundum. *Responsio ad hanc objectionem patet ex* obs. 1. q. 4. sect. 1. part. Special. *Quicquid est instar tabernaculi,* sc. Ratione officii, *illud non est rotundum. Sic major est falsa, minor vera. Quicquid est instar tabernaculi,* sc. ratione figuræ, *illud non est rotundum. Sic major est vera, minor vero falsa: Cœlum enim est instar tabernaculi, non ratione figuræ, sed ratione officii. Idem esto judicium de reliquis observationibus, quæ vel quæstiones illustrant, statumque controversiæ declarant; vel responsiones ad tacitas objectiones suppeditant. Deinde, etiam* in opponendo *hæ observationes suo non carebunt usu.* E. gr. Ex observ. 7. q. 1. Procem. *talis formari potest objectio:* Scientia est cognitio certa; Physica non est cognitio certa, quia cognitio rerum naturalium initium accipit à sensibus, qui sæpius falsa rerum imagine delusi certi veritatis nuntii esse non possunt. E. Physica non est scientia. *Sic etiam in reliquis quæstionibus studiosa juventus se exerceat, & objectiones quas hæ observationes tacite continent, eruere, inque formam Syllogisticam redigere tentet Tandem cum errare humanum sit, nullusque hactenus sit natus, qui cum omnibus consentire possit; igitur si quædam minus accurate sint posita, ea, amice Lector, humanæ imbecillitati adscribes, mihique ignosces, ut eandem veniam apud alios impetrare possis. Vale, mihique fave.*

Proœmium.

Quæstio I.

AN Physica sit Scientia? Affirm.

Quidquid demonstrat affectiones proprias de subjecto necessario per proprias causas, id proprie sic dicta est scientia. Atqui Physica demōstrat affectiones proprias, nempe mobile, locabile, & de subjecto necessario nimirū de corporibus naturalibus, per proprias causas & principia, ceu materiam & formam. Ergo Physica proprie sic dicta est scientia.

OBSERVATIONES.

I. Quando Physica scientia dicitur, hoc non ita accipiendum. ac si omnium omnino rerum certa & evidens demonstratio dari possit, cum propter mentis & intellectus nostri imbecillitatem propriæ rerum causæ nō raro ignorentur, sæpe etiam res physicæ per sensum sunt manifestæ, quas physicus demonstrare non laborat: Sed quod propriæ rerum causæ, & consequenter demonstrationes identidem, in rebus physicis se nobis offerant.

II. Physica non considerat res naturales, quatenus sunt singulares & infinitæ, cum infinitorum nulla sit scientia; sed quatenus ad universales naturas reducuntur, & universali ratione menti objiciuntur: Physica enim à singularibus, quæ à sensibus accipit, mente abstrahit universalia & necessaria theoremata, quæ colligit, & revocat ad rationem scientiæ.

III. Res corruptibiles, & motui subditæ, quas tractat Physica, duobus modis considerari possunt: 1. In singularibus: Sic contingentes sunt, & ideo non potest esse de illis scientia, quia scientia est de rebus necessariis, & eodem modo semper se habentibus. 2. In Universalibus: Sic necessariæ sunt, certa est etiam & evidens notitia earum; quia certum & evidens est, & proinde necessarium, eas corruptibiles esse, & principium motûs habere. Et hoc modo physica circa illas versatur, ac propterea vera est scientia.

IV. Cum singularia corruptionem subeant, ideo etiam universalia, non quidem per se, sic enim sola singularia corrumpuntur, sed per accidens saltem, respectu singularium quibus insunt.

V. Distinguendum est inter existentiam actualem, & inter existentiam aptitudinalem. Secundum actualem existentiam res naturales interdū aliter se habere possunt, non vero secundum aptitudinalē. Etenim quamvis existentia rosæ pereat in hyeme, aptitudo tamen ad existendum nunquam perit. Quod igitur in subjecto scibili supponitur cognoscendum, nō est actualis existentia, sed potentialis, vel aptitudinalis.

VI. Materia sensibilis dupliciter consideratur: 1. Prout est affecta accidentibus, & non habito respectu ad compositum. 2. Prout est altera pars compositi physici, & est ens per se, sicuti & ipsum compositum, quod ex ea coalescit. Et hoc modo physicus considerat materiam sensibilem, ideo non potest dici quod consideret ens per accidens.

VII. Cognitio rerum naturalium non proinde incerta ac varia debet judicari, quod initium accipiat à ſenſibus,qui ſæpius falſa rerum imagine deluſi,certi veritatis nuntii eſſe non poſſunt: tum quia ſi à veritate aberraverint, poteſt intellectus eos corrigere;tum quia non ſemper decipiuntur,ſed certo aliquādo apprehendūt; maxime cum objectum eſt proprium, & ponitur in debita diſtantia, medium eſt idoneum, & facultas apte diſpoſita.

VIII. Ut Phyſica ſit ſcientia,& ad veritatem conſeqnendam mentem inclinet. ſat eſt, ut res naturales, quas ſuſcipit explicandas, fere ſemper & plurimum ita eveniant; quamvis raro contrarium poſſit etiam evenire. Unde in hyeme fere ſemper rigorem experimur, & in æſtate ſub cane æſtum; quamvis ex accidente contrarium aliquando contingat: hoc tamen neq; aufert infallibilitatem phyſicæ, neq; inclinationem,qua mens ipſa ad veritatem conſectandam inflectitur.

Quæſtio II.

An ſubjectum Phyſicæ ſit corpus naturale, quantum naturale? Affirm.

CUicunq; competunt omnes conditiones ſubjecti ſcientifici reſpectu alicujus ſcientiæ,illud eſt ſubjectum illius ſcientiæ. At corpori naturali,quatenus naturali,reſpectu phyſicæ competunt omnes conditiones ſubjecti ſcientifici. Ergo corpus naturale, quatenus naturale, erit ſubjectum phyſices. *Minor* probatur: quia corpus naturale,quatenus naturale 1. eſt ens neceſſarium, ſeu res per ſe ſubſiſtens, abſq; humana cogitatione & operatione. 2.habet affectiones & propria accidentia, quæ de eo per propria principia in Phyſica demonſtrantur. 3. Phyſicæ eſt ita adæquatum,ut de eo tum in genere,tum in ſpecie in phyſica ſolum,& extra illam nuſquam, tractetur.Quæcunq; enim in Philoſophia naturali per ſe,& primario explicantur, ea ſunt vel corporis naturalis principia, vel affectiones, vel ſpecies.

OBSERVATIONES.

I. Corpus naturale ſumitur tripliciter: 1. Pro ſummo genere, quod de omnibus ſpeciebus corporis naturalis prædicatur, præciſo tamen ab ejus ſpeciebus;& ſic eſt objectum partis communis ſive generalis phyſices. 2.Pro omnibus ſpeciebus corporis naturalis, abſq; ipſo ſummo genere; & ſic eſt objectū partis ſpecialis phyſices. 3. Pro ſummo genere una cum omnibus ſpeciebus corporis naturalis; & ſic eſt ſubjectum totius ſcientiæ naturalis.

II. Aliàs ſubjectum phyſicæ dicitur ens naturale, ſubſtantia naturalis, ens mobile, corpus mobile. Quæ locutiones admitti poſſunt, quatenus corpori naturali æquipollent, licet non ſint ſatis congruæ, ob univerſalitatem vocis entis & ſubſtantiæ; remotius enim in iis ſupponitur pro proximo.

III. Verba illa *quatenus naturale*, non redundant, ſed conſiderandi modum exprimunt. Nam res conſiderata eſt corpus naturale: modus vero conſiderandi denotatur vocabulis illis, *quatenus naturale*, h.e. quatenus naturam, quæ principium, & cauſa motus & quietus eſt intrinſeca, in ſe continet.

IV.Diſtinguendum eſt inter ſubjectum conſiderationis, quod in aliqua diſciplina ſive contemplativa, ſive practica conſideratur; quo pacto principia & affectiones in diſciplinis contemplativis, item finis & media



media in disciplinis practicis Subjectum dici possunt: Et inter subjectum demonstrationis, quod tantum locum habet in disciplinis contemplativis, & distinguitur à principiis & affectionibus. Anima, motus, locus, &c. possunt dici subjectum physicæ considerationis, quia anima consideratur in physicis ut principium corporis animati, motus verò & locus ut affectiones corporis naturalis. Non vero possunt dici subjectum demonstrationis, de quo scilicet principia & affectiones demonstrantur, quod est corpus naturale.

V. Quædam in physica tractantur per se; ut sunt principia, causæ, affectiones, & species corporis naturalis: Quædam tractantur tantum per accidens; ut fortuna & casus, quatenus sunt causæ per accidens, casus per se oppositæ; item vacuum, quatenus opponitur loco, &c:

PARS GENERALIS PHYSICES.

Sectio Prima.

Quæstio I.

An principia ab Aristotele lib. 1. Phys. c. 5. t. 42. recte definiantur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Per primas definitionis particulas, *quæ nec fiunt ex sese*, excluduntur quatuor Elementa, & alia composita, quæ ex se vicissim fieri solent. Per illas, *nec ex aliis*, excluduntur ea, quæ licet non ex se mutuo fiant aut constent, conficiuntur tamen ipsa ex aliis; ut corpora cœlestia ex materia & forma. Per ultimas denique, *omnia ex ipsis fiunt*, excluduntur omnes causæ extrinsecæ, ut, finalis, efficiens, atque exemplaris: Item omnia accidentia, omnesque negationes, ex quibus nihil proprie dicitur fieri.

II. Distinguendum est inter compositionem, & inter eductionem. Principia non fiunt ex se invicem, sc. per compositionem, nam forma non est ex materia tanquã ex componente, cum ex materia non componatur, sed ex ejus potentia solũ educatur. *Deinde*, quamvis forma è potẽtia materiæ educatur, tamen non dicendum est, quod proprie fiat ex materia, aut ex privatione; nam secundum proprietatem physicam forma nec generatur, nec fit, sed compositum, *lib. 1. Pys. cap. 7. t.* 64. Ergo educi de potentia materiæ nõ est per se fieri, sed in actum exire, tanquam rationem essendi compositi, quod per se fit, & generatur.

III. Distinguendum est inter compositionem metaphysicam, & inter compositionem physicam. Quando dicitur, Principia non fiunt ex aliis, intelligitur non compositio metaphysica ex essentia & existentia, item ex genere & differentia, nec compositio ex partibus integrantibus; sed compositio physica & realis, ex partibus essentialibus. Ideo principia in eo genere, in quo sunt principia, non fiunt ex aliis, scilicet tanquam ex principiis essentialibus physicis, qualia sunt materia ipsa, & forma; quasi dicatur, non fiunt ex aliis eo modo, quo cætera fiunt ex ipsis.

IV. Omnia fiunt ex principiis, vel tanquam ex partibus componentibus & constituen-

ſtituentibus, qualia principia ſunt materia & forma; vel tanquam ex termino à quo, cujuſmodi principium eſt privatio. Particula igitur Ex, quæ ter in definitione ponitur, ſignificat habitudinem vel partis componentis, vel termini à quo.

V. Ex principiis ſunt omnia corpora naturalia: alia quidem immediate, ut elementa; alia vero mediate, ut corpora ex elementis genita.

VI. Ex principiis corporis naturalis ſunt omnia, non collective, quia ex principiis Socratis vel Platonis non ſunt omnia; ſed diſtributive, hoc ſenſu, quod unumquodq; corpus naturale fiat ex ſuis, ſive ex ſingulis tribus principiis. Itaqne ut definitio hæc principiis Socratis accommodetur, ſat eſt, ex ipſis conſtare gignive Socratem; quia omnia fiunt ex principiis in communi acceptis.

Quæſtio *II.*

An principia ſint contraria? Affirm.

GEnerationis terminus à quo, & terminus ad quem inter ſeſe contrariantur. Unum ex principiis eſt generationis terminus à quo, nimirum privatio; & alterum eſt terminus ad quem, nempe forma. Ergo principia inter ſeſe contrariantur.

OBSERVATIONES.

I. Contrarietas duobus modis ſumitur: 1. Proprie & ſtricte, pro oppoſitione eorum quæ mutuo ſe expellunt ab eodem ſubjecto, actione propria: & hoc modo contrarietas ſolum reperitur in principiis qualitatibus, ſubſtantiæ vero nihil eſt contrarium. 2. Minus proprie & late, pro oppoſitione eorum, quæ licet active & paſſive ſe non expellant ab eodem ſubjecto, habent tamen rationes oppoſitas & repugnantes in ordine ad illud, & ideo non poſſunt ſimul in eo eſſe: Talis contrarietas extendit ſe ad privative oppoſita, & in ſubſtantiis quoque locum habet. Dicuntur itaque principia (*ſcilicet Forma & Privatio*) contraria non primo, ſed ſecundo modo.

II. Cum non dicatur, omnia principia ſunt contraria, ſed indefinite; ideo ad veritatem hujus ſententiæ ſufficit aliqua principia eſſe contraria, nempe formam & privationem. Licet etiam dici poſſit materiam eſſe contrariā formæ, non ratione ſui, ſed ratione privationis; & ſic omnia principia ſunt quodammodo cōtraria.

III. Quando *lib.* 1. *phyſ. cap.* 5. dicitur, *Contrarium fit è Contrario,* illud intelligatur non formaliter, quaſi contrarium formaliter in ſuum contrarium tranſmutetur; nec conſtitutive, quaſi contrarium unum ut pars eſſentialis alterius contrarii eſſentiam conſtituat; ſed terminative, quod unum contrarium fiat ex altero tanquam ex termino à quo.

IV. Quod calidum generetur ex humido, fit per accidens, cum ex accidente fit illud non calidum eſſe humidum: Per ſe vero fit calidū ex non calido, *v.g.* ex aqua frigida fit calida; nam omne quod generatur per ſe, fit ex principiis contrariis.

Quæſtio *III.*

An tria ſint Principia? Affirm.

QUot intrinſecus requiruntur ad generationem naturalis corporis phyſici, tot ſunt ejus interna principia. Sed tria intrinſecus requiruntur ad generationem naturalem corporis phyſici. *Nam requiritur* 1. Aliquid quod generatione producatur, idq; potiſſimum eſt nova Forma.

2.aliquid quod generationi subſtet, & in quod forma ſubſtantialis ab agente externo introducatur, id quod eſt Materia. 3. abſentia formæ introducendæ in ſubjecto, cum potentia tamen, ſeu aptitudine ſubjecti ad novam formam recipiendam, id quod eſt Privatio.

OBSERVATIONES.

I. Unum principium ad corporum naturalium conſtitutionem non ſufficit, quia unum, qua tale, niſi cum quopiam conjungatur alio, aliud atque à ſe diverſum non poteſt conſtituere. Nec duo principia ſufficiunt, nam principia ſunt contraria: at contraria citra ſubjectum aliquod conſiſtere nequeunt. Ergo præter illa duo contraria requiritur etiam tertium, nempe ſubjectum, quod eſt materia. Nec infinita ſunt principia, cum res naturales omnes ſunt finitæ: Ergo finita quoque habebunt principia.

II. Diſtinguendum eſt inter principia ſimpliciter prima, de quibus hoc in loco quæritur; & inter principia ſecunda, quæ ex primis oriuntur, qua ratione elementa mixtorum corporum ſunt principia.

III. Generatio poteſt conſiderari tribus modis: 1. quatenus eſt actio à generante proficiſcens, & ſic ſine ipſo agente ſive efficiente non poteſt intelligi. 2. ut eſt paſſio, & ſic abſque patiente nunquam concipitur. 3. quatenus eſt mutatio & tranſitus à non eſſe ad eſſe, & ita neque indiget agentis neque patientis conceptione ut intelligatur, ſed tantũ conceptione materiæ, formæ, & privationis. Et ſic hoc in loco accipitur, quando tria interna generationis principia ſtatuuntur. Ergo efficiens & finis non ſunt principia interna.

IV. Habilitas ſive *aptitudo materiæ*, quæ videtur in generatione ad excipiendam formam requiri, non eſt peculiare aliquod principium. Nam per materiæ habilitatem intelligitur vel potentia materiæ, quæ eſt ipſa materia, nec ab ea diſtinguitur; vel intelligitur non repugnantia, ſive aptitudo ad accipiendas formas quodammodo à materia fluens, quæ includitur in privatione, ut quidpiam quod ab illa concernitur, quia privatio definitur abſentia formæ in ſubjecto apto. Non autem ejuſmodi aptitudo, ſed potius privatio principium conſtituitur, quia ratio generationis non ab aptitudine materiæ, ſed à privatione per ſe dependet.

V. Diſtinguendum eſt inter terminum *Quo* ſeu formalem, & inter terminum *Quod* ſeu totalem atque completum. Forma eſt terminus generationis formalis & *ut Quo*, tanquam id quo compoſitum eſt. Compoſitum vero eſt terminus completus, qui fit, habens eſſe per formam. Unde forma eſt terminus tanquam principium eſſendi; Compoſitum autem tanquam principiatum. Eſt igitur forma principium, quia eſt terminus in quem tendit generatio, licet non fiat per generationem, ſed hoc ſolum conveniat compoſito; quare forma potius quam compoſitum principium eſt.

VI. Licet contrarietas ſit tantum inter duo extrema, cum tamen in omni contrarietate debeat ſubjectum aliquod utrique extremo commune intercedere, & quod pulſo uno ſtatim altero informetur, ideo præter duo extrema contraria erit aliquod ſubjectum collocandum, & ſic erunt tria principia; duo extrema contraria, ut forma & privatio, & tertium ſubjectum, nempe materia.

VII. Diſtinguendum eſt inter principia conſtitutionis, quæ ſemper manent;

ut sunt materia & forma; & inter principium transmutationis, quod est privatio, quæ non manet, sed cum generatione ipsa transit.

VIII. Quamvis privatio sit principium, non tamen forma expellenda est quoq; principium. Aliud enim est esse necessarium ad generationem; & aliud est esse necessarium propter imperfectionem materiæ. Quod materia quamdiu est sub privatione, sit informata forma expellenda, est necessarium propter materiæ imperfectionem, quæ non potest esse sine forma; non vero est necessarium ad generationem, quia ignis posset generari ex ligno, etiamsi materia sine ulla esset forma. Sed quod materia sit sub privatione est per se necessarium ad generationem, quia privatione sublata aufertur appetitus materiæ ad formam, materia vero non appetens formam ad eam non tenderet, Ergo impossibilis esset generatio sublata privatione.

IX. Licet privatio tanquam terminus à quo sit principium, non tamen res illa, quæ privationem habet, quoq; est principium. Ut enim totalis terminus ad quem, scilicet compositum ipsum, non est principium; sic etiam totalis terminus à quo, scilicet res illa privationem habens, principium dici nequit.

X. Materia & forma omnibus corporibus, tam cœlestibus quam inferioribus, tribuuntur; Privatio autem tantum caducis: non enim necesse est, corporis naturalis principia omnia in omni corpore reperiri. Sic Metaphysicus, quando entis principia explicat, quatuor causarum genera adfert, licet omnes causæ in omni ente simul non reperiantur.

Quæstio IV.

An detur Materia prima? Affirm.

I. QUæcunq; transmutantur, illa in subjecto quodam communi transmutantur. [In mutatione enim manet subjectum commune sub utroque termino, videlicet sub termino à quo & sub termino ad quē: Si enim non maneret, res quæ corrūpitur secundum se totam periret, atq; in nihilum rediret, & altera res quæ incipit esse, secundum se totam fieret atq; ita ex nihilo educeretur.] Corpora naturalia transmutantur, *v.g.* aqua mutatur in aerem, & aer in aquam. Ergo transmutantur in subjecto communi, quod ipsis erit prius. Et hoc indigitatur *Materia prima.*

II. Datur materia. Ergo etiam datur prima; alias enim fieret progressus in infinitum, *E.g. aqua* componitur ex materia & forma: hæc materia aquæ in se considerata vel est prima, vel secunda, *h.e.* vel componitur ex alia materia, vel non: si est prima, habeo quod volo; si est secunda, ergo componitur ex alia priori, & ita deveniendum est tandem ad materiam primam.

OBSERVATIONES.

I. Non ens dupliciter sumitur: 1. Pro eo quod non est vere ens, *h.e.* quod habet esse diminutum & imperfectum. 2. Pro eo quod simpliciter nihil est, h. e. quod non habet positivam & realem essentiam. Priori modo si non ens sumatur, materiæ primæ adtribui potest: Posterori modo vero minime, siquidem idem esset fieri ex materia, ac fieri ex nihilo.

II. Nomen formæ duobus modis accipi solet: 1. Pro illa forma, quæ est altera pars compositi, & informat materiam. 2. Pro quidditate & essentia cujusq; rei sive simplicis, sive cōpositæ. Materia prima est infor-

informis primò modo, non vero secundo: nam propriam habet essentiã, & proprium quid est, siquidẽ non est nihil, sed aliquid.

III. Acurate loquendo materia prima neq; est substantia, neq; accidens; quia juxta *Arist. l. 7. Metaph: c.* 3. materia neque est quid, neq; quantum, neq; quale, *h. e.* non habet certam & determinatam naturam, non enim est substantia integra, & totum compositum: nihilominus tamen potest ad Substantiæ categoriam referri reductive, nam ex ea & forma omnes substantiæ naturales componuntur, eademq; est subjectum generationis, & formas recipit, ipsaq; in alio non est.

IV. Licet materia suapte natura ortum & occasum nesciat, potest tamen ea quodammodo dici interire & gigni ratione privationis. Nam cum subeunte forma ejus privatio aboletur, interit utcunq; materia, quia desinit tali subesse privationi: cum rursus post formam abolitam privatio reviviscit, eadem materia quodammodo exoritur, quatenus privationem, qua spoliata erat, recipit.

V. Generabile dicitur dupliciter: 1. Subjective, quia est subjectum generationis & corruptionis: Et sic materia prima bene dicitur generabilis & corruptibilis. 2. Terminative, seu objective, quale est illud quod in generatione acquiritur, cujusmodi est forma, aut totum compositum: Et sic materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.

VI. Distinguendum est inter quantitatem determinatam, & inter quantitatem indeterminatam. Materia prima non est quanta, scilicet determinate, licet sit quanta indeterminate; quantitas enim immediate materiam sequitur, eiq; inhæret.

VII. Quando dicitur, *sensibilium sensibilia sunt principia*; illud intelligatur de secundis principiis: Ergo non potest applicari ad materiam primam. Deinde etiam materia prima potest dici sensibilis, non immediate, sed mediate, per ipsas nimirum mutationes.

VIII. Ex duobus entibus, si utrumque fuerit in actu, non potest aliquod ens per se oriri. Si vero unum fuerit in actu, & alterum potestate, optime poterit. Cum ergo materia sit pura potentia, forma vero sit simplex actus, ex illis totum naturale, quod est ens per se, potest oriri.

IX. Quamvis materia prima generari nequeat, nec unquam per generationem sit facta, adeoq; initium ratione generationis non habeat, non tamen propterea est æterna, sed per creationem esse accepit: nam materia prima in composito, vel corpore primum creato fuit concreata.

Quæstio V.

An Materia prima ab Aristotele 1. Phys. c. 9. t. 82. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Materia prima duobus modis consideratur: 1. Absolute, ut est ens, vel substantia quædam. 2. Respective, ut est rerum naturalium principium. Priori modo ipsi adtribuitur negatio omnium formarum & qualitatum, & dimensio ac quantitas, & potentia recipiendi omnes formas indistincte conceditur, in qua notione *Aristoteles l. 6. Metaph. c. 3. t. 8.* eam per negationem omnium rerum describit. In secunda notione potentia recipiendi formas particulares, & privatio ipsi adtribuitur.

II. Materia prima vocatur *subjectum*,

quia principium eſt rerum naturalium materiale. Nam in omni generatione & mutatione opus eſt ſubjecto, in quo conſiſtant formæ & in quo fiant motus. Per hanc igitur definitionis particulam excluditur forma, quæ non eſt ſubjectum, ſed actus, quem primum ſubjectum in ſe recipit.

III. Dicitur materia prima *ſubjectum primum*; ex quo ſcilicet omnia fiunt, & in quod tandem omnia reſolvi debent. Per quam particulam materia prima diſtinguitur ab elementis, omnique materia ſecunda, ex quibus etiam aliquid conſtituitur, ſed non tanquam ex ſubjecto primo.

IV. Ex materia *inexiſtente fit aliquid*: hoc eſt, Materia prima partem naturali cõpoſito tribuit eſſentialem immanentem &internam. Et ſic excluduntur omnes cauſæ externæ: ut cauſa efficiens, finalis, & exemplaris, ex quibus non dicuntur res fieri, ſed ab efficiente, propter finem, ad exemplar. per vocabulum *inexiſtente* excluditur etiam privatio ex qua licet fiat res naturalis non tamen, tanquam ex eo quod ineſt, quia non tanquam ex parte componente, ſed tanquam ex termino à quo, qui per formam expellitur.

V. Ex materia prima fit aliquid *non ſecundum accidens* ſed per ſe, ſic ut inſit, & largiatur eſſentiam. Sic materia prima ſeparatur à privatione, ex qua res genita per ſe non conſtat.

VI. Quod naturaliter corrumpitur id in materiam primam corrumpitur, atque ultima reſolutione tranſit. Ut enim ex nihilo nihil poteſt fieri: ita etiam res aliqua non poteſt in nihilum plane redigi: unde pro ultimo corruptionis ſubjecto materia prima adſignatur.

Quæſtio VI.

An Materia prima ſit pura potentia? Affirm.

Quidquid eſt indeterminatũ, & aptum recipere plures formas, illud in ſe, & de ſe eſt pura potentia. Ubi enim actus quidam eſt, ibi tollitur indeterminatio, & fit ens determinatum. Atqui materia prima eſt indeterminata, & apta recipere omnes formas. Ergo materia prima in ſeſe, & de ſeſe eſt pura potentia.

OBSERVATIONES.

I. Potentia materiæ non eſt accidens, aut qualitas illius eſſentiæ ſuperaddita, ſicut gravitas ſuperadditur lapidi, ſed eſt illius ſubſtantia, & eſſentia. Nam ſi materia recipiat potentiam tanquam accidens aliquod, ergo ut poſſit accidens iſtud recipere opus eſt alia potentia, & ita procedetur in infinitum.

II. Dicitur materia prima ens potentia non abſolute, aut ſui ipſius ratione, ſed corporum naturalium reſpectu, quorũ omnium formas poteſt induere, ſicque ad actum traduci perfectiorem.

III. Diſtinguendum eſt inter actum phyſicum, & inter actum metaphyſicum, ſeu entitativum. Materia prima eſt pura potentia, & nullum habet actum phyſicum, ſeu formam aliquam ſubſtantialem ſibi innatam: interim tamen non eſt pura potentia, ſi intelligatur actus metaphyſicus, ſeu entitativus, quem habet, quia eſt ens.

IV. Diſtinguendum eſt inter potentiam activam, quæ eſt principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud eſt, & inter potentiam paſſivam, quæ eſt principium ut aliud tranſmutetur ab alio, in quantum eſt aliud, Materia prima non eſt potentia

activa,

activa, sed passiva, qui est principium passivum, quod patitur motum, variasque formarum vicissitudines subit.

V. Distinguendum est inter potentiam universalem, quæ est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè,&inter potentiam particularem, qua materia hanc vel illam formam ita respicit,ut alias per naturam sic videlicet disposita, respicere non possit.Hæc autem determinatio à materia non fit, sed ab agente materiam ita disponente, ut ad hanc magis quam ad aliam formam suscipiendam sit apta. Materia est pura potentia, scilicet universalis, quæ est de essentia materiæ primæ,& hæc potentia universalis non multiplicatur, sed est una, & incorruptibilis, materiæ coæva, & inseparabilis.

VI. Aliud est esse in potentia; & aliud est esse potentiam: Item aliud est esse in actu; & aliud est esse actum. Materia prima non est ens in potentia;sed est potentia: Non est actus; sed ens actu.

Quæstio VII.

An Materia prima appetat formam? Affirm.

Omne imperfectum appetit perfectũ, ut ab eo perficiatur: quemadmodum turpe appetit pulchrum, ut ab eo illustretur, & perficiatur. Materia prima est imperfecta, forma vero est illius perfectio & ornamentum.Ergo materia appetit illam.

OBSERVATIONES.

I, Intelligitur hic materia prima non specifica,& universaliter accepta, sed individuata.Cum enim per corruptionem forma individuata abjiciatur, fit ut materia individuata novam formam appetat.

II. Non adsignatur materiæ primæ appetitus sensitivus,vel intellectualis, qui reperiuntur tantum in rebus animatis; sed appetitus naturalis,qui nihil aliud est,quam ejusdem materiæ ad recipiendam formam inclinatio quæ ipsi materiæ penitus insita est, sicuti & cæteris rebus, ad proprium finem perfectionemque sectandam, pro cujusque natura, suæ propensiones insunt.

III. Appetitus naturalis non præsupponit cognitionem illius ad quod fertur appetens; ut patet in lapide, qui appetit descendere deorsum.Et sic materia prima dicitur appetere formas materiales, quod non est aliud, quam materiam inclinari ad recipiendas formas.

IV. Materia prima appetit absolute omnes formas,quas habere potest, sive illas actu possideat, sive non: siquidem hic appetitus nihil aliud est,quam ordo, & inclinatio ad formã; materia autem ad omnes formas æqua ratione inclinatur. Itaque materiæ appetitus rimari debet ex ipsius inclinatione, quam ad omnes formas indiscriminatim habet.

V. Cum materia prima omnes formas æqualiter respiciat, & in omnes æqualiter inclinetur, nulla est forma, quamvis perfecta, quæ possit totaliter satiare appetitum materiæ, h. e. *intensive & extensive*, nam licet intensive satiare forte posset,non tamen extensive,quia non omnes extensive continet. Et ratione hujus appetitus materia principium est perpetuitatis rerum naturalium.

VI. Appetitus materiæ primæ est duplex: Alius complacentiæ perfectionis, quatenus ratione suæ naturæ materia formam, quam habet, appetit; in eaque sibi complacet,quamdiu illam retinere potest. Alius desiderii & mutationis, propter privationem,quæ materiæ stimulum addit, ut appetat

appetat formam aliam non præsentem, quando nempe dispositiones ad transmutationem adsunt.

Quæstio VIII.

An Forma educatur de Potentia materiæ? Affirm.

I. QUæcunq; res nequit subsistere nisi in materia, illa quando fit, recte dicitur educi è potentia materiæ. Forma naturalis nequit subsistere sine adminiculo materiæ. Ergo forma naturalis quando fit, recte dicitur educi è potentia materiæ.

II. Quodcunque per agens naturale educitur, id è potentia subjecti educitur. Forma naturalis per agens naturale educitur. Forma naturalis per agens naturale educitur. Ergo forma naturalis è potentia subjecti, sive materiæ, educitur.

OBSERVATIONES.

I. Intelligitur hic forma informans naturalis & inseparabilis, seu materialis, quæ extra materiam nec esse nec operari potest, uti sunt omnes formæ infra hominis animam.

II. Educi è materia nihil aliud est, quam contineri intra potentiam materiæ, & per actionem agentis quasi extra illam fieri; non quod formæ extra materiam existant, sed quod cum antea tantum continerentur intra potentiam & causam, postea sunt actu extra causam, & ita ex esse potentiali materiæ in actum educuntur virtute agentis, concurrente eadem materia.

III. Ut aliqua forma de subjecti potentia produci perhibeatur, requiritur 1. Ut ad id naturalis potentia subjecto insit, alioqui ipsa eductio non esset naturalis. 2. Ut id quod educitur sine talis subjecti adminiculo nec effici, nec permanere possit, quod vocant pendere in fieri & conservari à materia: etenim quod non ita dependet, haudquaquam è subjecto educi, sed extrinsecus advenire censetur.

IV. Distinguendum est inter nihilum sui, & inter nihilum subjecti. Formæ producuntur ex nihilo, sc. ex nihilo sui, quod non repugnat generationi naturali: non vero producuntur ex nihilo subjecti, quod solũ creationem arguit, quia illud creari dicitur quod fit è nihilo, id est, nullo præjacente subjecto, è quo esse ejus quod fit, dependet. Formæ igitur ante cujusque rei ortum neque actu existunt, sic enim nihil de novo gigneretur; neque prorsus non existunt, alioquin natura aliquid è nihilo efficeret: Sed sunt potestate in materia, & naturalium causarum efficacitate de illius potentia & quasi gremio excitantur, & ad actum perfectionemque adducuntur.

V. Aliud est fieri ex materia, & aliud est fieri in materia. Ex materia fiunt composita, quæ ex materia constant, non vero formæ quæ in eadem materia de potentia ad actum apertum deducuntur: Itaque formæ in materia fiunt, tanquam ex illius potestate eductæ.

VI. Formarum è materia eductio quamvis externa vi fiat, non est tamen violenta, quia ipsa materia neutiquam iis recipiendis obluctatur, quod in definitione violenti intelligendum est.

Quæstio IX.

An privatio sit principium? Affirm.

ILlud, quod est de intrinseca ratione generationis, est principium illius per se. Privatio est de intrinseca ratione generationis, quia generatio per se definitur per privationem: nam definitur *mutatio de non esse ad esse:* In qua definitione, per *non*

non esse intelligitur Privatio, per *esse* vero Forma. Ergo privatio est principium generationis per se.

OBSERVATIONES.

I. Intelligitur hic non privatio Logica, id est, absentia ejus formæ quæ fuit, vel esse debuit; sed privatio Physica, id est, absentia ejus formæ quæ futura est, adeoque generanda.

II. Privatio physica, quæ hic intelligitur, duo dicit: 1. Formæ absentiam. 2. Aptitudinem ad recipiendam eam. Quo altero distinguitur privatio à pura negatione. quæ talis formæ est absentia in subjecto, ut ne aptitudinem quidem id habeat ad illam suscipiendam.

III. Distinguendum est inter principium generationis, & inter principium compositi, sive rei genitæ. Privatio, teste *Arist.l.1, physs,c.6.* est principium per accidens *sc. compositi*, quia accidit materiæ, ex qua compositum coalescit, habere in se privationem formæ: non autem est principium per accidens generationis.

IV. Distinguendum est inter principium constitutivum, & inter principium terminativum, Privatio non est principium generationis constitutivum, sed terminativum; hoc est, generatio quidem non potest ex privatione constitui seu componi, quia privatio non est ens reale, potest tamen ad illam terminari, quatenus ab ipsa ad formam in materia inducendam progreditur.

V. Res naturalis generabilis & corruptibilis duobus modis sumitur: 1. In fieri, h.e. prout fit per generationem naturalem. 2. In facto esse, id est, prout jam facta est, & constituta. Et si hoc secundo modo sumatur, certū est duo solum esse principia per se, & intrinseca, privationem autem non esse principium per se, sed per accidens.

VI. Non ens potest sumi dupliciter: 1. Ut negat universalissimam rationem entis, comprehendentem non solū entitatem realem positivam, sed etiam negativam vel privativam. 2. Ut negat solum entitatem positivam. Si primo modo non ens accipiatur, non potest esse principium entis ullo modo: Si vero secundo modo sumatur, potest esse principium entis, prout in fieri, quia potest esse terminus à quo incipiat ejus fieri, quod est generatio. Et sic privatio est principium generationis, quod est esse principium ejus in fieri.

VII. Materia & Privatio non sunt idem re ipsa, quamvis sint idem numero: nam duobus modis possunt aliqua dici eadem numero: 1. Secundum entitatem; & hæc sunt eadem re ipsa, quia eandem entitatem significant. 2. Secundum subjectum, quæ sunt in uno & eodem subjecto; & hæc non sunt eadem reipsa. Cum igitur materia & privatio tantum sint idem secundo modo, quia materia est subjectum privationis, propterea illa non erunt eadem re ipsa.

VIII. Quando *Aristoteles lib.2.physs. c.*1. formam vocat privationem, nomine privationis non intelligit veram privationem à forma distinctam, sed formam imperfectam: imperfectum siquidem, si cum perfecto fuerit collatum, locum retinet privationis.

IX. Quamvis species mutationis non sumatur ex termino à quo, non tamen inde sequitur, quod privatio non sit principium intrinsecum generationis: nam species mutationis sumitur non à quocunque principio intrinseco, sed solum à formali, cum constet speciem rei naturalis non sumi à materia, sed solum à forma, & ideo species mutationis sumitur à solo termino

ad

ad quem, qui est formalis, & non à termino à quo, qui potius est quasi materialis.

X. Quando privatio dicitur medium ad introductionem formæ, item finis, sive aliquid ultimū, illud intelligatur non de privatione formæ introducendæ, quæ privatio est principium; sed de formæ corrumpendæ privatione, quæ non est principium. Deinde si vere & proprie loqui velimus, privatio non potest medium appellari, quia mediū à natura est institutum ad finem adsequendum: at hæc privatio non est instituta à natura.

Quæstio X.

An Natura ab Aristotele l. 2. phys. c. 1. t. 3. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Quamquam materia & forma in se spectata, incompletæ sint substantiæ, tamen quatenus induunt nomen naturæ non per substantiam sunt definienda, cum non sint absolutum aliquid, sed relatū, atque ad operationes, vel affectiones intrinsecas, qua causantur, respectum habeant: ideo definienda potius sunt per genus, quod ad relationis categoriam pertineat, quippe ad quam ipsum definitum, videlicet Natura quoque pertinet.

II. Hæc definitio non ideo est vitiosa quod duo in ea videntur poni genera, nempe *principium* & *causa*. Nam per posteriorem particulam, *causa*, vera natura, quæ scilicet materiam & formam complectitur, à privatione separatur; quæ licet alicujus mutationis sit principium, nullius tamen causa est. Vel dicendum: Natura est principium ratione ordinis, sive ratione prioris, quia in corpore naturali natura nihil est prius; Causa vero est ratione motus, qui tanquam effectus naturam sequitur. Omnis igitur causa est principium, sed non contra.

III. Nomen *motus* hic non est ita late sumendum, ut quemcunque motum, sive non physicum comprehendat; nec etiam ita stricte, ut solum motum localem in ambitu suo coerceat: Sed medio quodam modo, prout complectitur omnem & solum physicum motum; sive successivum, ut lationem, accretionem, decretionem, & alterationem; sive instantaneum, ut generationem, & corruptionem.

IV. Quies dupliciter sumitur. 1. Pro privatione motus. 2. Pro permanentia positiva in loco naturali, aut sub aliqua forma. Quies primo modo sumpta opponitur motui, & ideo motus & quies non possunt procedere per se ab eodem principio: Sed quies secundo modo sumpta non opponitur motui, quia motus ordinatur ad illam, tanquam ad finem, ideo possunt procedere ab eodem principio, quod est natura. Si etiam quies secundo modo usurpetur, non est privatio, sed positivum quid, ideo potest habere principium, atque causam.

V. Natura dicitur principium *motus & quietis:* Hoc non ita accipiendum, quod natura utrumq; simul efficiat, sed successive: Neque quod utriusque in omni re naturali sit causa; non enim omnis natura motus & quietis est principium: Sed ita intelligatur, quod omnia quæ moventur, & quiescunt, naturaliter hoc habeant a natura. Sunt enim quædam res, quæ semper quiescunt, quædam, quæ semper moventur, quædam, quæ utrumque præstant; omnium tamen horum natura causa est.

Tali loquendi modo utitur etiam philosophus, quando animam definit, quod sit

id,

id,quo vivimus, sentimus, & intelligimus.

VI. Distinguendum est inter principium radicale & principale, & inter principium formale & quasi instrumentale. Quando natura dicitur principium & causa motus & quietis,de principio radicali & principali intelligitur, quod est substantia rei,vel materia & forma; non vero de formali & quasi instrumentali, quod est accidens ei superadditum. Unde etiam in definitione naturæ ponitur particula *primò*, hoc est principaliter,ut excludantur quædam qualitates naturales,quæ quidem per se insunt rebus physicis,sunt etiam principia motus; quia tamen non insunt primo,verum dantur priores causæ,ideo non sunt naturæ.

VII. Per particulas illas, *in quo inest*, natura distinguitur ab arte,& causis externis. Nam ars & causæ externæ sunt etiam motûs principium,verum nō quemadmodum natura intrinsecum,sed extrinsecum. Non igitur omne, à quocunq; res actualiter movetur, est natura; sed id tantum, à quo ut principio intrinseco movetur.

VIII. Hæc definitio non competit humanitati Socratis, quia non est primo causa motûs & quietis; sed partes ipsius, scilicet materia & forma, quæ sunt humanitate priores.

IX. Dicitur natura principium motus *per se & non per accidens*, ut excludantur quædam interna motus principia, quæ cū per accidens insint rei,non sunt natura:ut, medicina, qua Hippocrates seipsum sanat, esto sit principium sanationis, non tamen est natura, quia medicina inest quidem Hippocrati,non tamen per se, sed tantum per accidens.

X. Licet in definitione ponatur particula *primò*, reliqua tamen particula, *per se*, non est superflua, quia in quibusdam idem quidem sunt esse primo,& per se;ut in animali, cui convenit primo sentire, & per se: In aliis vero duo hæc maxime separantur, quia extremitas est primo alba,non tamen est per se alba; & sentire per se competit homini, non tamen primo. Ne igitur quis arbitraretur esse hæc duo quoque separata in natura, ideo Aristoteles postquam posuit particulam *primo*, subjungit particulam *per se*.

Quæstio IX.

***An in definitione natura tum principium activum,* h.e. *Forma, tum principium passivum,* h.e. *Materia comprehendatur?* Affirm.**

Natura est principium activum, h. e. *definitio naturæ convenit formæ.* Quidquid est revera aliquid primum in composito naturali ad ejus essentiā pertinens, à quo habet ut active concurrat ad motum, illud est natura. Atqui principium activum, scilicet forma, est aliquid primum in composito naturali illud essentialiter constituens, à quo habet ut active concurrat ad motum. Ergo principium activum, videlicet forma est natura.

II. Natura est principium passivum, h. e. *definitio nature convenit etiam materiæ.* Quidquid est principium rei naturalis ex quo componitur, & principium generationis ac aliorum motuum,illud est natura:quia essentia cujuslibet compositi physici,qua tale est,ex naturis coalescit,& natura est principium motus. Atqui principium passivum, h.e. materia,est principium rei naturalis, quia essentia naturalis compositi non ex sola forma,sed ex materia etiam constat; est quoque principium gene-

generationis, & aliorum motuum; nam sine materia nullus fit motus physicus & naturalis. Ergo principium passivum, scilicet materia, est etiam natura.

OBSERVATIONES.

I. Quamquam res non movetur, nisi quia patitur, potest tamen ob id etiam naturaliter moveri, quia se ipsam movet, atque ita erit ei motus naturalis ratione principii passivi & activi simul.

II. Agere & pati respectu unius & ejusdem sunt rationes omnino oppositæ: at respectu diversorum non sunt. Ergo natura respectu diversorum potest esse principium activum & passivum: nam viventia ratione formæ & animæ agunt, & ratione materiæ ac corporis patiuntur.

III. Ad perfectam rationem naturæ sufficit, quod sit internum compositi naturalis, in quo est, principium; atque adeo forma perfecta natura est; quia licet sit aliquid extrinsecum respectu motus, quem active & efficienter producit, nihilominus est aliquid intrinsecum respectu totius compositi naturalis, cujus essentiam ingreditur.

IV. Forma, teste *Aristot.lib.2. Phys.c.1. t.13.* magis est natura, quam materia; cum forma faciat, ut corpus naturale sit actu, propter materiam vero idem tantum sit potentia: Deinde, formæ actio, materiæ passio convenit; præstantius autem est agere quam pati, & perficere quam perfici: adeo forma præstantior est natura, quam materia. Quando ergo Aristoteles inquit, formam esse principium motus, & non materiam, intelligit principium activum, qua ratione sola forma est principium.

V. Licet materia sit pura potentia, & nullam dignitatem perfectionemque habeat, natura tamen dici potest, quia natura hoc in loco non facultatem & actum, nec dignitatem, sed principium motus significat.

VI. Materia dupliciter sumitur: 1. Nude, ut est omnis formæ & actus expers ac vacua: Et sic una & eadem est in omnibus quæ oriuntur & intereunt, neque per eam res possunt distingui inter sese & separari. 2. Ut est alicui formæ conjuncta & applicata: Et sic non est una & eadem, sed multiplex, & principium differentiæ. Materia est natura, non nude sumpta, sed ut conjuncta, non quod conjunctio tribuat illi rationem naturæ, cum ex se illam habeat, sed quod sit conditio requisita & necessaria ad ipsam.

VII. Materia consideratur vel respectu Totius, & sic habet rationem *ex qua*, quia totum fit ex materia; vel respectu Motus, & sic rationem habet *in qua*, quia motus recipitur in ea, non quidem tanquam in subjecto immediato, quod est totum, sed tanquam in subjecto mediato, quia totum non patitur motum nisi ratione materiæ. Ergo materia est natura, quia est principium & causa, scilicet materialis, motus: nam ad motum in actum traducendum non tantum requiritur forma, seu efficiens motus, sed etiam materia, seu subjectum, scilicet mediatum, qnod oportet esse idoneum ad motum recipiendum.

VIII. Omnes motus comparatione materiæ naturales dici possunt, non omnes tamen respectu compositi physici naturales sunt: quia sicuti potior natura est forma quam materia, ideo ut motus alicui composito naturalis sit, formæ magis quam materiæ habenda est ratio.

IX. Naturalia differunt ab artificialibus etiam ratione materiæ: Quia in naturalibus datur principium & potentia passiva

ſiva naturalis ad motum & ad formam naturalem per eum introductam: at in artificialibus nulla eſt potentia paſſiva naturalis, ſed ſola obedientialis ad formam ab arte impreſſam; quia materia, ex qua ars opera molitur, eſt obediens artifici, ut ipſe opera ſuæ artis introducat.

Quæſtio XII.

An Anima, præſertim rationalis, ſit natura? Affirm.

Omnis vera naturalis forma corporis conſtituens cum eo compoſitum naturale eſt vera natura. Anima rationalis eſt vera & naturalis forma corporis, conſtituens cum eo corpus naturale, quod vocatur homo. Ergo eſt vera natura.

II. Cuicunque competit definitio, illi competit definitum. Animæ competit definitio naturæ. Ergo ipſi etiam competit definitum; *Nam* anima rationalis non ſolum ſecundum gradum vegetandi & ſentiendi eſt principium motus nutritionis, augmentationis, localis, ac ſenſationis; ſed etiam ſecundum gradum rationalitatis eſt principium admirationis, actus ridendi, flendi, & loquendi, qui omnes procedunt ab homine, ut homo eſt, & conſequenter ab anima rationali, à qua etiam procedit, ut operationes ſenſitivæ, quæ veri motus ſunt, ordinentur ad intelligendum,

OBSERVATIONES.

I. Latius natura patet quam anima; adeoque illa Generis inſtar eſt, hæc vero Speciei rationem habet. Unde quo modo homini animalis definitio accommodari poteſt, eodem modo naturæ definitio animæ poteſt adtribui.

II. Res naturales non ſunt naturales propter unam aliquam ſubſtantiam communem, quæ in omnibus inſit, ſed propter rationem quandam communem, quæ in omnibus ineſt: hæc autem ratio eſt habere in ſe principium motus & quietis, quæ reperitur in viventibus & in non viventibus. Eſt igitur anima natura, licet non ſit ſubſtantia communis omnibus rebus naturalibus.

III. Anima definitur *actus corporis naturalis*; non quod corpus ſit naturale ſine anima, ſed quod naturale ſit per ipſam. Quemadmodũ & quando definimus lucem per effectum formalem, eſſe ſcilicet actum corporis luminoſi, non ita definimus illam quaſi ſit corpus luminoſum ſine luce, ſed quod neceſſario fiat luminoſum ab ea.

IV. Quamvis anima utatur inſtrumentis ad movendum, ex. gr. muſculis & nervis, nihiloſminus tamen eſt natura, nam etiam forma ſubſtantialis elementi utitur accidentibus, vel motivis, vel activis ad efficiendum motus ſuos.

V. Educi è potentia materiæ, ab eaque intrinſece dependere, non pertinet ad rationem formæ phyſicæ, ut talis, ſed potius eſt imperfectio ejus à qua anima rationalis libera eſt: Ex hoc tamen non ſequitur, animam non eſſe naturam, ſed potius quod ſit natura perfectiſſima, habens quæcunque pertinent ad rationem formæ, ſecluſis imperfectionibus formarum pure materialium.

VI. Corporeum dupliciter ſumitur; ut quod, & ut quo. Illud eſt corporeum primo modo, quod habet partes ex quibus componitur corpus; ut homo, vel leo. Corporeum vero ut quo, eſt illud, quod tribuit alteri eſſe corporeũ, licet corpore & partibus careat, vel in ſe ſit ſpirituale; & hoc modo anima rationalis corporea eſt & materialis, tribuens materiæ aut corpori eſſe corpo-

corporeum;& hoc eſt eſſe corporeum tanquam formam, & ideo tanquam veram naturam, cui definitio convenit.

VII. Cum intelligere quamdiu anima eſt in corpore, fiat per converſionem ad phantaſmata neceſſario includit aliquam rationem motus phyſici,quia phantaſmata ad ordinem phyſicum ſpectare videntur.

VIII. Natura duobus modis poteſt ſumi: 1. Ut dividitur ab arte: Et ſic natura non eſt determinata ad unum, ſed poteſt varias operationes ſpecie diverſas exercere:ut natura ignis poteſt calefacere,exſiccare,rarefacere,movere ſurſum,& alia hujuſmodi moliri. 2. Ut ſeparatur à libero arbitrio:Et hoc modo eſt determinata ad unum. Cum igitur nomine naturæ hoc in loco non intelligatur natura ut eſt diviſa à libero arbitrio,ſed ut ab arte eſt diviſa, ideo anima erit natura, etſi ad unum non ſit determinata.

IX. Diſtinguendum eſt inter animæ gradus,& inter animæ ſtatus.Licet anima rationalis ſecundum gradum rationalitatis pertineat ad cõſiderationem phyſicã; non tamen etiam pertinet ſecundum utrumq; ſtatum informationis materiæ,& ſeparationis ab ea;ſed ſolum ſecundũ primum ſtatum,informationis ſcilicet,quia in eo ſtatu officium veræ formæ naturalis exercet,& principium plurium motuum naturalium eſt,& ideo vere & proprie natura:In ſtatu vero ſeparationis nec officiũ formæ exercet,nec principiũ motus eſt,& ideo ſecundũ eum non eſt natura,nec pertinet ad cõſiderationem phyſicam, ſed metaphyſicã.

Quæſtio *XIII.*

An finis ſit cauſa? Affirm.

QUodcunq; cauſalitatem veram exercet,illud revera eſt cauſa. At Finis veram cauſalitatem exercet, quia movet agens ad agendũ;unde ſi boni alicujus nos tenet deſiderium,illud adeo nos impellit,ut nos ipſos cohibere nequeamus.Ergo Finis revera eſt cauſa.

OBSERVATIONES.

I. Finis motio dicitur metaphorica;non quod non ſit realis, ſed quia non ſit per influxum effectivum, nec per motiorem intentionalem & animalem, & ideo nihil obſtat quo minus vera ac propria ſit ejus cauſalitas: *vel dicendum*, quando finis dicitur movere metaphorice,non excluditur realitas,ſed ſolum ponitur diſcrimen inter cauſalitatem finis & efficientis,quod efficientis cauſalitas longe æquiori jure videatur realis, & realiter adtingens effectum, quam finis, quæ propterea metaphorica dicitur,eo quod ſolum adtingat productionem effectus,alliciendo & excitando agens ut prorumpat in actum.

II. Finis duobus modis accipitur:1.In intentione,vel apprehẽſione: Et hoc modo non eſt quid ultimum,ſed primum, ita ut efficientem præcedat ordine naturæ, cum illum moveat & excitet ad agendum. 2.In executione: Et hoc modo quid ultimum eſt,& poſterior omnibus cauſis quia omnes cauſalitates terminat. Finis habet rationem cauſæ,& eſt principium, non ut eſt in executione, quia ita eſt effectus, ſed ut eſt in intentione.

*III.*Exiſtentia duobus modis conſideratur:1 Ut in actu.2.Ut in potẽtia.Finis cujus,dum movet efficientem & propriã exercet cauſalitatem, non habet exiſtentiã actualem,ſed ſolũ in potentia quæ ſufficit ut ſit actu cauſa finalis, realis & phyſica; quamvis non ſufficiat ut aliquid ſit cauſa efficiens,materialis, aut formalis, quia ſecundum modum cauſandi,requiritur modus eſſendi cauſæ.

IV.Finis

VI. Finis non est sui ipsius causa, sed movet causam agentem: Itaque non causat seipsum, sed sui desiderium, seu alium similem affectum, re ipsa à se distinctum; *Seu* movet efficientem, non quidem ut se producat, sed ut sibi non jungat.

VII. Finis potest sumi vel respectu generationis, vel respectu perfectionis rei genitæ: ut sanitas, quæ finis est medicinæ, sumi potest vel respectu curationis, quæ motus quidem est ad salutem; vel respectu perfectionis corporis quod curatur. Si finis ad generationem referatur, tantum habet locum causæ, ut est futurus & possibilis; Si vero cum perfectione rei genitæ comparetur, habet locũ causæ, ut existens, & in executione. Itaque eadem sanitas, respectu curationis, habet locum causæ, ut est possibilis & futura; respectu vero perfectionis, corporis sanati, ut est jam existens & posita à parte rei; nam hac ratione confert corpori perfectionem.

Quæstio XIV.

An natura agat propter finem? Affirm.

Effecta naturalia vel casu eveniunt, vel alicujus finis gratia. Atqui non casu; alias non semper aut plerumque ita evenirent. Ergo alicujus finis gratia.

OBSERVATIONES.

I. Tria sunt genera agentium naturalium: 1. est eorum quæ norunt finem, & proportionem mediorum ad finem consequendum; ut homines, qui propriissime propter finem agunt. 2. est animantium ratione carentium, quæ videlicet nec omnino norunt finem, nec tamen prorsus ignorant: Norunt finem & media, non formaliter, sed materialiter, id est, norunt rem eam quæ est finis, & rem eam quæ est medium, sed non sub ratione medii aut finis, nec proportionem medii ad finem; quod est novisse ea materialiter non formaliter. 3. est eorum quæ & ratione & sensu carent: ut arbores, lapides, corpora simplicia, &c. hæc finis quidem causa agunt, sed ipsum tamen penitus ignorant, quem ut prosequantur, ab agente superiori diriguntur. Ut igitur natura agat propter finem, non est necesse ut ipsa eum cognoscat, sed sat est, ut dirigatur ab alio qui finem novit.

II. Fit etiam pluvia ob aliquem finem, ut scilicet hæc inferiora, v.g. plantæ, arbores, &c. nutriantur, crescant, fructusque ex sese hominum reliquorumque animantium usui necessaria emittant. Quod si aliquando ob pluviam segetes & frumentum quod est in area putrescant, hoc præter naturam privatam fit, & contra illius institutum, quamvis non contra naturam communem & universam.

III. Actiones agentium naturalium sunt propter finem, & sunt effecta causæ finalis: non tamen ut præcise egrediuntur ab ipsis naturalibus agentibus, sed ut simul sunt ab agente, quod in omnibus & per omnia operatur; vel è converso, prout ipsa proxima substant directioni & intentioni superioris agentis. Et ideo ipsa agentia naturalia non tam operari dicuntur propter finem, quam dirigi à superiori in finem.

IV. Illud quod non deliberat, non agit propter finem ut finis est: agit tamen propter illam ut res quædam est. Sicque natura non agit propter finem ut finis est, id est, ut *formaliter* sumitur: agit tamen propter eum nt res quædam est, id est, quatenus finis *materialiter* sumitur.

V. Monstra & naturæ portenta non

contingunt ex naturæ intentione, sed per accidens, ratione quorundam impedimentorum quæ interveniunt, obstantque quo minus natura suum finem adsequatur, & opus omnibus numeris absolutum efficiat. Non enim omnia quæ ad finem aliquem collimant, eundem semper consequuntur. Si ergo natura interdum errat, necesse est ad scopum alquem actiones suas direxisse.

Quæstio XV.

An Fortuna & casus sint in rebus? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Cum aliquando oriantur effectus improvisi, quorum causæ determinatæ non sunt, necesse est ad causas per accidens recurrere: & quidem, si fiant ab agente per electionem, ut est inventio thesauri à fodiente terram, adsignanda est *Fortuna*; si oriantur ab agente rationis & electionis experte, ut cum equus confecto certamine domum domini revertitur, tunc *Casus* appellatur. Ut ita per fortunam non intelligamus Numen aliquod res humanas pro arbitrio versans, uti quidam ethnici superstitiose fatis de fortuna sominarunt, sed causam per accidens.

II. Non dicitur effectus aliquis fortuitus, eo quod non procedat ab aliqua causa efficiente, id enim multo magis impossibile est, quam fieri aliquid ex nihilo: sed dicitur effectus aliquis esse fortuitus, quia fit à causa per accidens atq; indeterminata, & quia præter ejus intentionem evenit.

III. Fortuna non est aliquid distinctum à quatuor generibus causarum, sed ad solam causam efficientē est revocanda; ita tamen ut non sit causa efficiens per se, sed per accidens, ratione scilicet effectus, quia accidit effectui per se, ut ei aliquid accidentario copuletur, cujus respectu dicitur esse causa fortuna.

IV. Est unum idemque numero efficiens quod certum & determinatum, & quod incertum & indeterminatum producit effectum, sed non uno modo: nam intentum effectum (*ex. gr. fossionem agri*) producit per se; non intentum vero (*ex. gr. inventionem thesauri*) per accidens.

V. Fortuna (*ut & casus*) non est, aut dicitur respectu causæ universalis, sed saltem respectu causæ particularis, cui in agendo insperatus & fortuitus obtingit effectus. Nam respectu Dei nihil casu aut fortuito evenire potest, nihilque extra divinæ providentiæ regulam accidit: itaque respectu providentiæ divinæ nulla erit fortuna, & nullus casus: sed dicuntur aliqui eventus fortuiti & casuales tantum respectu nostri, quia præter intentionem & opinionem nostram eveniunt.

VI. Quamvis intentio nostra non mutet esse rei, tamen variat rationem ejus, prout est effectus proficiscens ex hominis consilio ac voluntate: nam ex intentione agentis spectatur, an effectus sit voluntarius vel fortuitus, laude vel vituperatione, pœna vel præmio dignus.

Sectio

Sectio Secunda.

Quæstio I.

An Motus ab Aristotele l. 3. phys. c. 2. t. 6. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter naturam synonymam, quæ, si definitur, debet in certa categoria contineri, quia constat vero genere & vera differentia, quæ sunt ex eadem categoria petenda; & inter naturam analogam, quæ in certa categoria non comprehenditur. Cum igitur natura motus non sit synonyma, sed analoga, ideo potest definiri, quamvis motus non sit in certa ac definita categoria. *Deinde*, aliud est esse in prædicamento directe ac per se, & aliud est esse in prædicamento reductive. Licet motus ad nullam categoriam pertineat directe ac per se, est tamen in prædicamento reductive; nam reducitur ad categoriam in qua terminus ad quem collocatur, à quo sortiter unitatem & distinctionem.

II. Prima definitionis particula est, *actus*: Quo enim id quod potestate est, fit actu, illud est actus. At per motum id quod est potestate, fit actu. Ergo motus est actus. Nullus quoq; est motus, quamdiu potentia tantum adest: ex. gr. calefactio nondum est, quamdiu potest aliquid tantum calefieri; sed tum est, quando id quod potest calefieri, actu jam calefit.

III. Distinguendum est inter actum perfectum, qui cum adest, omnem potentiam expellit, ejusque nihil relinquit, & hic actus est forma perfecta; & inter actum imperfectum, cum quo semper aliquid potentiæ reliquum manet, quæ cum tollitur, & actus tollitur. Motus est actus non perfectus, qualis est anima, sed imperfectus, quia in motu non statim ponitur tota rei perfectio, sed successive producitur, & quamprimum non est potentia amplius quæ perficiatur, non amplius est motus, sed ad terminum ejus perventum est. Est itaque motus non absoluta, sed inchoata quædam perfectio, h.e. via, tendentia, & progressio successiva ab imperfectione ad perfectionem absolutam.

IV. Omnes quidem actus sunt *ejus quod in potentia est*; quia semper potentiam requirunt, quam actuant & perficiunt; ut, albedo non est nisi ejus quod album esse potest: sed hæc potentia aboletur adveniente actu, sicut quod actu album est potentiam ad albedinem amplius non habet. Hoc vero in motu non contingit: Ibi enim actus, quamdiu est actus, semper potentiam conjunctam habet; ita etiam ut quamprimum deficit potentia quam actuet, ipse quoque esse desinat: quemadmodum calefactio desinit esse calefactio, cum jam deficit quod calefiat; & tamen actuat calefactio id quoq calefieri potest. Perficere igitur ita potentiam, ut nihilominus perficienda magis magisque sit, est eo modo actuare potentiam, quo eam motus actuat.

V. Actus & potentia opponuntur quidem; non tamen est absurdum, quod movetur simul esse actu & potentia, nam hoc potest contingere tribus modis: 1. respectu diversorum; ut aqua actu est frigida & potentia calida. 2. respectu ejusdem, sed diversis temporibus; ut, aqua quæ nunc est potentia calida, paulo post, si admota igni fuerit, evadet actu calida. 3. respectu ejusdem, sed non eodem modo; ut, aqua

quæ calefit, est actu calida respectu caloris imperfecti, quem jam habet; est potentia calida respectu caloris perfecti, quem nondum habet. Hoc modo omne quod movetur dicitur simul esse actu & potentia.

VI. Distinguendum est inter res permanentes, quæ tunc dicuntur esse actu, cum perfectæ habent suum esse, & simul obtinent omnes partes suas; ut sunt homo, statua, &c. & inter res successivas, quæ cum non possunt secundum omnes partes simul esse, tunc dicuntur esse actu, cum vel una pars, vel aliquid earum actu est, fluens ad reliqua: hujusmodi res successivæ sunt motus & tempus.

VII. In definitione motus explicatur non solum respectus ejus ad subjectum; sed etiam respectus ejus ad terminos: nam eo ipso quod dicitur, motū convenire subjecto, *in quantum est in potentia*, significatur motum esse viam, & quasi fieri termini in quem tendit, & ab alio procedere.

VIII. Quod de loco ad locum movetur, est quidem ens actu & non potentia, scilicet quoad essentiam, non verò quoad hoc vel illud ubi, in quod movetur. Ergo etiam localis motus est actus entis in potentia.

IX. Motus cæli dupliciter potest considerari: 1. In sua causalitate, quatenus omnes motus rerum sublunarium excitat: & hoc modo expers est imperfectionis. 2. Ratione partium subinde alia atque alia loca occupantium: & sic motui cœlesti definitio motus competit; nam cœlum dum movetur est in potentia, non secundum se totum, sed secundum partes: ex gr. Sol secundum successionem propreditur ab Ariete in Taurum, è Tauro in Geminos, &c. Ergo ens in potentia est ad ubi adquirendum, & proinde imperfectionis aliquid, etiamsi minimum inter omnes motus physicos habet.

X. Distinguendum est inter motum positivum, & inter motum negativum. Hæc motus definitio competit omni motui positivo, non vero motibus negativis, quales sunt decretio & remissio, quæ non sunt adquisitiones, sed potius amissiones formarum. *Vel dicendum*, mutationes abjectivas, ut sunt imminutio quantitatis, remissio qualitatum, etiam comprehendi in definitione motus; quia licet non sint realis & positivæ adquisitiones, sunt tamen adquisitiones negativæ, & suo modo perfectiones: quo pacto vocamus perfectionem imminutionem aut remissionem, qua plus quantitatis aut qualitatis abjicitur.

XI. Tota hæc motus definitio non convenit formæ, quæ per motum adquiritur; nam licet sit actus entis in potentia, quia non omnino actuat subjectum, sed aliquid potentiæ relinquit actuandum, ipsum tamen non ordinat positive ad ulteriorem actum: unde solum materialiter & negative dicitur relinquere subjectū in potentia, & ideo non convenit illi secundum quod est in potentia, vel quatenus tale; quia verbum hoc positivam & formalem ordinationem potentiæ ad actum denotat, quam essentialiter dicit motus.

XII. Hæc motus definitio neque competit intellectui, qui est actus perfectus & permanens; motus vero est actus imperfectus & positus in via aut successione: neque competit motibus angelicis, & motionibus spiritualibus, quia motus physicus ab Aristotele hic definitus debet esse actus entis, scilicet naturalis, hoc est, corporis naturalis, quod de motibus spiritualibus dici nequit.

Quæstio

Quæstio II.

An motus fieri possit in instanti? Neg.

Quicquid successive fit, & adquirit unam partem formæ adquirendæ post aliam, non potest fieri in instanti. At universaliter & essentialiter dicitur de motu, quod successive fiat. Ergo motus non potest fieri in instanti.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter motum verum & physicum, & inter mutationes. Nomine motus hoc loco intelligitur verus motus & physicus, ut differt à mutatione, & significat naturam successivam, & fluentem: non vero intelliguntur mutationes subitæ & instantaneæ, ut illuminatio, visio, intellectio, volitio, & aliæ, quæ non sunt veri & physici motus; nam fiunt sine transmutatione subjecti, sine expulsione contrarii positivi & sine ulla corruptione alicujus formæ positivæ præcedentis; ideo in instanti fieri possunt.

II. Minimus calor producitur quidem in instanti, & non in tempore, quia minimo non potest dari aliquid minus, daretur autem si produceretur in tempore: Sed productio hæc minimi caloris non est verus motus physicus, quia non fit per motum, sed per subitam & instantaneam mutationem. Calori ergo per se debetur produci in tempore, cum sit forma divisibilis, & habeat latitudinem graduum; ex accidente vero potest produci in instanti, ea scilicet ratione, qua minimus est.

III. Duobus modis totum aliquod simul alterari dicitur: 1. Ex parte formæ, quando reciperet simul formam, & omnes illius gradus. 2. Ex parte subjecti, quando simul & in momento quantitas subjecti in se tota, & in partibus suis reciperet qualitatem. Quando *Aristoteles in lib. de sensu & sensili, inquit, Posse aliquid totum simul alterari*, loquitur de simultate non ex parte formæ, sic enim impossibile est ut totum simul alteretur, ut nimirum simul recipiat formam & omnes illius gradus; sed intelligi debet de simultate ex parte subjecti, quia aliquando totum est æque dispositum ut recipiat formam, & non debet prius in una parte recipere unam partem, & in alia aliam. In qua re differt alteratio à motu locali, in quo quod movetur non incipit totum simul esse in aliquo loco, sed una pars prius est in ipso, & altera deinde, sicque de aliis partibus.

IV. Sicuti mobile non magis recedit à termino à quo, nec magis accedit termino ad quem, nisi in tempore; ita nec relatio majoris minorisve distantiæ, nisi tempore, comparatur: non ergo in instanti,

V. Generatio & corruptio duobus modis accipiuntur: 1. Pro sola formæ substantialis introductione, aut expulsione, quæ momento peragitur. 2. Ut etiam comprehendunt prævias alterationes, & dispositiones præparantes materiam ad alicujus formæ substantialis introductionem. Si primo modo Generatio & Corruptio sumantur, non sunt veri motus, fiunt enim in instanti, & non cum successione continua, neque cum aliquo tractu temporis. Si vero secundo modo accipiantur, sunt veri motus, & in instanti fieri nequeunt.

IV. Licet concedatur quod Nutritio fiat in instanti, non tamen inde sequitur, etiam adcretionem, quæ nutritionem sequitur, fieri in instanti: nam quando nutritio fit, nondum est motus adcretionis, sed in tempore immediate sequenti, ita ut prius pars deperdita reparetur, & nova

generetur, post cujus ortum, in tempore equenti per motum distinctum à nutritione, paulatim & successive dilatatur & extenditur quantitas secundum trinam dimensionem,& res ipsa adcrescit. Cum igitur adcretio fiat per quantitatis extensionem & dilatationem, quæ non fit in instanti sed successive, ipsa etiam adcretio non fit in instanti, sed in tempore & successive.

Quæstio III.

An omne quod movetur, ab alio moveatur? Affirm.

Quidquid est potentia, id quatenus tale, non potest respectu unius & ejusdem esse simul actu. Mobile sive quod movetur, id, quatenus movetur, est potentia; quod vero movet, est actu. Ergo mobile non potest simul esse id, quod est actu, h. e. id quod movet. Ideo movens à mobili semper est distinctum.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter motum realem & physicum corporum, & inter operationes rerũ spiritualium & materiæ vacantium. Intelligenda est hæc quæstio de motu reali & physico corporum, non vero de operationibus rerum spiritualium, quales sunt intellectiones & volitiones.

II. Distinguendum est inter motum per se, & inter motum per accidens. Non intelligitur hic motus per accidens, sed motus per se: certum enim est per accidens posse quidpiam à se moveri: nam in animalibus anima movet corpus, & à se movetur per accidens, quia moto corpore ipsa quoque movetur.

III. Cum per motum hic intelligatur solus motus physicus, ergo non quæritur de simplici emanatione proprietatum ab essentia vel natura, quia non est motus vel mutatio physica. Sic quando intellectus & voluntas manant à substantia animæ rationalis tanquam à causa sua effectrice, ut est multorum philosophorum sententia, & in eandem animæ substantiam recipiuntur, idem omnino agit & patitur, movet & movetur.

IV. Non est in quæstione an id quod movet, ab eo, quod motum excipit, supposito distinguatur; cum enim arbor hausto alimento crescit, movetur à sua forma, à qua supposito non differt: sed tantum quæritur, an omne quod per se movetur, ab eo quod movet re ipsa distinguatur: ut in omni animali duæ sunt re distinctæ partes; quarum una, nimirum forma, movet; altera vero, scilicet corpus, movetur. Quidquid igitur movetur, ab alio aliqua ratione movetur; sive illud aliud sit suppositum distinctum, (quo pacto omnia à Deo moveri dicuntur) sive non, sed cum mobili conjunctum.

V. Nulla qualitas per se, vel motu directo à se ipsa potest intendi; alioqui idem respectu ejusdem per se in actu ac potestate foret: ex. gr. calor ventriculi hyeme uberior est, non quia calor in aliqua parte insidens in eadem semetipsum per se intendat, sed quia circumjecti aeris frigus cutis spiracula restringit, & spiritus, qui caloris vehicula sunt, intus adigit, & coercet, nec foras egredi sinit.

VI. Lux per radium in se redeuntem, atque ita ex accidente intenditur à se, quatenus ea portio luminis quæ in rectum porrigi deberet, impedita à corpore opaco, per radium reflexum compensat ulteriorem progressum; quo etiam modo fieri solet vocis repercussio sive eccho.

VII. Motus cordis fit ab anima principaliter

cipaliter, & à virtute motrice instrumentaliter. Cum enim hic motus maxime vitalis sit, necesse est, ut à principio vitæ, hoc est, anima, proficiscatur.

Quæstio IV.

An movens & motum debeant esse simul? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter id quod movet ut finis, & inter id quod movet ut efficiens. Quæstio est non de eo quod ut finis movet, sed de eo quod ut efficiens, sive corporea, sive non corporea ratione motum edit; nam quod movet ut finis, non est necesse ut sit conjunctum cum eo quod movetur.

II. De movente sive agente quæritur, an necesse sit simul esse cum mobili sive passo, non simul loco, sed simul per contactum, ita ut movens contiguum sit cum eo quod movetur.

III. Res aliqua potest aliam immediate adtingere duobus modis. 1. Immediatione suppositi, quando ipsamet supposita se tangunt: ut, cum ignis in manum sibi immediate adpositum actionem suam exerit. 2. Immediatione virtutis, quando res intermedia aliqua virtute quam transmittit, aliam adtingit: quo modo ignis dicitur manum distantem calefacere, scilicet transmissione caloris per intermedia corpora. Debet igitur movens cum mobili immediate conjungi, sive immediatione suppositi, sive immediatione virtutis; quia nulla res potest alicubi operari, ubi nullo pacto est: Ergo ubi operatur & movet, ibi esse debet vel secundum substantiam, vel secundum virtutem, & consequenter movens cum mobili conjungatur immediate vel immediatione suppositi, vel immediatione virtutis.

IV. Distinguendum est inter movens primum & remotum, & inter movens ultimum & proximum. Movens primum & remotum corporeum non est simul cum mobili secundum suppositum; ex. gr. ignis à manu distans calefacit eam, cui tamen non est conjunctus secundum suppositum: Movens vero proximum corporeum & mobile sunt simul secundum suppositum & quantitatem; ita ut in hujusmodi motu utriusque extrema necessario contingant.

V. Distinguendum est inter medium capax, & inter medium incapax. Conceditur quidem agens naturale posse operari circa extremum, non operando circa medium, quando sc. medium non est capax talis effectus: e. g. piscis stupor stupefacit & tremulam reddit manum piscatoris, non autem arundinem aut rete quo piscatur, quia manus est subjectum capax, non autem arundo vel rete. Sed negatur quod possit operari agens, ubi plane non sit præsens, neque secundum suppositum, neque secundum virtutem: sic licet stupor piscis non sit simul cum manu piscatoris, quam tremulam & stupidam reddit, simultate suppositi, est tamen simul simultate virtutis.

VI. Fundus lebetis est tepidus, aqua in ipso servescente, non ideo quod ignis per illum non transmittat virtutem suam, sed quia ubi primum transmissa est, egreditur & pergit ad aquam, quæ majori conatu obsistit; item quod partes aquæ frigidiores, utpote crassiores, cum ignis incipit adscendere & aquam invadere, descendant ad imum, & sese in poros fundi inducant, illumque à nimio calore præservent.

VII. In projectis, & in aliis quæ à principio externo moventur, movens in principio conjunctum est cum mobili secundum quantitatem & suppositum; in progressu vero usque in finem non est ita conjunctum, sed secundum virtutem, quia impetus moventis manet, tamdiuque hujusmodi corpora moventur, quamdiu ille persistit.

VIII. Ut phantasia dicatur movere immediate adpetitum, satis est quod in eadem anima radicetur; quæ ubi aliquid per phantasiam adprehendit, in illum fertur per adpetitum: quia ipsa anima est, quæ proprie agit, phantasia autem & adpetitus instrumenta quibus agit.

IX. Magnes valde distans à ferro illud adtrahit: Fascinantes etiam procul positi plures ac valde nocivos effectus operantur circa alia corpora: Basiliscus solo intuitu homines interimit: Echeneis piscis, quem Remoram vocant, prætereuntes naves detinet ac remoratur. Sed hæc agentia omnia per suam virtutem diffusam agunt, satis quidem mirabilem, sed veram, ut experientia docuit; & ideo præsentia sunt per suam virtutem, quæ cum recipiatur in corpore aliquo contiguo eisdem corporibus, circa quæ operantur, tale corpus est immediatum agens per eam, & ideo semper est verum, quod movens & motum sunt simul. Sic v. g. *fascinatio* fit per emissionem alicujus nocivæ & venenosæ qualitatis, quæ per intermedia corpora transmissa illa prius inficit & vitiat, mox longius progressa, eos, quos offendit, lædit; præsertim pueros & tenellos infantulos, quibus ob corporis imbecillitatem hoc fascinum facilius adhærescit. Remora non agit immediate in naves, quas detinet, sed primo in propinquiora corpora suam virtutem retentricem, nobis tamen occultam, transmittit, donec ad naves perveniat, illicque progressa navigiorum impulsum hebetat & extinguit.

Quæstio V.

An motus projectorum fiat per impulsum à projiciente impressum, an vero à solo aere circumstante? Affirm. prius, & Negat. posterius.

Motus violentus projectorum non potest fieri nisi per impulsum a projiciente impressum corpori, juvante tamen medio. 1. Quia non solum lapis movetur sursum, sed etiam partes aeris à quibus movetur. Ergo aer etiam mobilis est, & movetur per impulsum; non minus etiam est capax impulsus lapis, quam aer. 2. Quia non est credibile, quod solus aer moveat globos tormentarios tanti ponderis, ad tam magnam distantiam, tam veloci motu, tantaque vi, ut urbes demoliantur, & aliquando adversus ventum validum. Ergo necesse est concedere, quod per impetum eis impressum moveantur.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter causam totalem, & inter causam partialem. Quando *Aristoteles l. 8. phys. c. 10. t. 82. dicit, Projecta vehi à corpore medio*, intelligit causam partialem hujus motus, non vero causam totalem & adæquatam. Quamvis enim medium, utpote aer corpus à tergo urgens, motum projectorum aliquantulum possit promovere, attamen vera & adæquata ratio talis motus est impetus à projiciente impressus.

II. Quod motus violentus projectorum paulo post initium velocior sit quam statim ab initio, ratio est, quia multa excitantur

tur aeris partes, rei projectæ motum de facto promoventes; non quod non oriatur ille motus & in principio, & in fine ab impulsu impresso.

III. Motus violentus fit à principio extrinseco, à quo impulsus imprimitur, qui etiam si inhæreat mobili extrinsecum principium adpellatur, quia ab extrinseco est impressus; non vero intrinsecum, cum non sit ex natura, vel inclinatione corporis: unde per eum non dicitur conferre vim passo; sed non minus contra inclinationem naturalem ejus fit, ac si nihil ei imprimeretur.

IV. Impulsus à projiciente impressus nec proprie est levitas, nec proprie gravitas, quatenus sursum vel deorsum impellit; sed est qualitas distincta ab eis, quæ indifferenter se habet, ut rem projectam quoquoversum rapiat, prout regitur à projiciente.

V. Causa ob quam omnes partes lapidis projecti æque cito moveantur est, quia lapis est totum continuum, & omnes partes sunt inter se copulatæ: at partes, quæ inter se sunt ita connexæ, æque cito moveri necessario debent. Quod vero tam cito vis motiva sese insinuet in omnes partes lapidis ex motu projicientis manat, qui est adeo vehemens, ut possit cito vim in omnes partes lapidis projecti diffundere.

VI. In agentibus quæ per alterationem inducunt contrarium in subjectum, unum contrarium non inducitur in subjectum alterius, nisi per remissionem alterius; v. g. ignis alterando aquam inducit in eam calorem per remissionem frigiditatis. Cum vero projiciens non alteret subjectum, ut lapidem, quando ipsi impetum impertitur, ideo non remittit gravitatem illius, quando ipse in locum superiorem projicitur.

VII. Aliud est produci primo & per se, aliud est produci secundario. Nihil per motum localem producitur præter ubi, scilicet primo & per se: secundario vero produci aliquid potest; quo modo qualitas impulsiva corpori projecto impressa producitur per motum localem projectionis.

VIII. Qualitas impulsiva à projiciente impressa corpori projecto, non perpetuo manet in eo, sed ad modum contrariarum qualitatum, seu quæ actione contrarii corrumpuntur, desinit, nempe ex repugnantia corporis cui imprimitur, quod ipsi qualitati pro viribus obnititur.

IX. Licet projecta ab aliqua virtute illis impressa moveantur, non tamen moventur à se ipsis; quia ut à seipsis moveri dicerentur, deberent hanc vim à se ipsis, & à natura propria habere, & non a projiciente. Quemadmodum aqua quæ ab igne calefit, non dicitur alia à se calefacere, quamvis sibi inhærentem habeat calorem, sed ab igne, quia à se & à propria natura non habet calorem, sed ab ipso igne.

Quæstio VI.

An Motus recte dividatur in rectum, circularem, & mixtum? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Sensus quæstionis talis est: an motus localis naturalis ut distinguitur à motu progressivo, & solum convenit corporibus non viventibus, recte & adæquate dividatur in rectum, circularem, & ex utroque mixtum. *Nam* quod Aristoteles in hac divisione, motum naturalem pro eo tantum accipiat qui solis rebus naturalibus vitæ expertibus convenit, patet, quia nullam facit

cit mentionem motus animalis, qui ad dextrum vel sinistrum, ante vel retro fit. *Deinde* quia *l. 1. de cœlo, c. 2. t. 7.* ait, *corpus simplex esse id quod naturalis motus principium in se habet.* Qua in descriptione nisi motum naturalem prædicto modo interpretemur, concedendũ erit animal dici corpus simplex.

II. Motus in hac divisione spectatur per respectum ad aliquid maxime unum & determinatum in Universo, hoc est, ad medium sive centrum, quod fixum est atque immobile.

III. Ad simplicitatem motus nullo pacto æquabilis celeritas vel tarditas mobilis requiritur: Alioqui neque gravium & levium, neque cœlestium sphærarum motus simplices essent; siquidem illa, cum naturaliter moventur, celerius in fine moventur; hæ vero secundum partes poli viciniores tardius, secundum remotiores velocius volvuntur.

IV. Si portio ignis vel terræ projiceretur ab oriente in occidentem per lineam rectam, ille motus non esset naturalis, nec à naturali virtute eorũ procederet, sed pure ab extrinseco projiciente, & quidem libero, vel casuali aut contingente. Quare cum non esset naturalis, nec etiam esset dicendus rectus, quia solus motus naturalis dividitur in rectum, circularem, & mixtum.

V. Si portio aeris moveatur à concavo Lunæ usque ad proprium locum seu sphæram per lineam rectam, talis motus vere est motus rectus, imo est vere motus sursum, quia ad locum, qui vere ac secundum naturalem ordinem ac dispositionem mundi sursum est, tendit per eum corpus: Et quamvis à loco sursum proficiscatur, virtute dicitur talis motus esse à centro mundi, eo ipso, quod tendit in locum centro oppositum, quia motus naturalis inter terminos formaliter, aut virtualiter oppositos versari debet.

VI. Si quis juxta mundi centrum positus, digitum circa ipsũ centrum in orbem circumduceret, ille motus, cum à vivente sive amimato fieret, naturalis esse non posset, prout naturale in præsentia, sumitur; & cum non esset naturalis, ideo neque simplex, neque mixtus dici posset.

VII. Si aliquod mixtum inanime, quod motivas qualitates omnium elementorum participet, per aerem deorsum vergat, is motus non debet simplex existimari, cum oriatur à duplice virtute motrice distincta specie, videlicet à gravitate aquea & terrea.

Quæstio VII.

An viribus naturæ dari possit infinitum actu? Neg.

I. Nullum corpus infinitæ molis & extensionis dari potest. Nam si daretur corpus molis infinitæ, nec moveretur motu recto, nec circulari: non recto, quia omnem locum occuparet, & sic nullus daretur locus ad quem per motum rectum progrederetur; non item circulari, quia per motum circularem una pars pervenire debet ad locum alterius, fieri autem non potest ut una pars corporis illius infiniti, quod in orbem moveretur, ad locum alterius perveniret, quoniam inter illas infinita intercederet distantia, quæ nullo modo trajici potest. Ergo corpus illud infinitæ molis esset immobile penitus, cum tamen omne corpus naturale habeat intrinsecum principium motus.

II. Nullus numerus infinitus dari potest. 1. Quia quilibet numerus continetur sub aliqua specie numeri, proindeque finitus est.

est. 2. Quia dato quolibet numero, ille potest additione unitatum augeri.

III. Qualitas infinite intensa dari nequit; quia qualitates, quibus intensio convenire potest, sunt naturales virtutes atque dispositiones corporis: sed repugnat dari corpus infinitum secundum essentiam: ergo repugnabit etiam dari infinitum secundum virtutem, quod est non posse dari virtutem vel formam infinitam secundum intensionem.

OBSERVATIONES.

I. Infinitum dividitur in infinitum secundum essentiam, ut est Deus, isque solus; & infinitum secundum quid, & certi alicujus generis; quod etiam duplex statuitur: Unum secundum intensionem, & in qualitate; ut calor infinite intensus, si daretur: Alterum secundum extensionem, & in quantitate, sive continua, ut superficies infinite exporrecta; sive discreta, ut numerus infinitus. Quæstio præsens procedit non de infinito secundum essentiam, sed solum de infinito secundum quid, sive in qualitate, sive in quantitate.

II. Infinitum secundum quantitatem, est duplex: Infinitum actu, quod non datur, & infinitum potentia, quod datur in rerum natura, cum dentur corpora quæ ratione suæ quantitatis possunt dividi in infinitum, & ex eorum divisionibus possit consequenter fieri infinitum additione vel adpositione.

III. Infinitum actu est duplex: Unum actu perfecto, & dicitur infinitum categorematicum, quod constet infinitis partibus inter se distinctis & simul existentibus; ut numerus infinitus, & linea longitudinis infinitæ, si darentur: Alterum dicitur infinitum actu imperfecto, ab aliis syncategorematicum, estque magnitudo aliqua, v. g. linea infinitis quidem constans partibus, sed proportionalibus tantum, & quæ unicam, eamque finitam efficiant. Sermo hic tantum est de infinito categorematico, & actu completo, sive in quantitate, sive in qualitate, quod non potest dari.

IV. Infinitum potentia est affectio quantitatis non vero infinitum actu. Quod si infinitum actu categorematicum dicitur proprietas sive affectio quantitatis, id negative intelligatur; ut sit sensus, infinitatem categorematicam, si daretur, non posse esse alterius rei proprietatem, quam ipsius quantitatis.

V. Magnitudo eo modo componitur ex partibus, quo dissolvitur in eas: & quia dissolvitur in eas non actu, sed potestate, quia actu nunquam deveniemus ad infinitam divisionem, propterea etiam potestate & non actu ex partibus componetur. Quod intelligi debet de partibus secundũ proportionem, non autem de aliis, quæ sunt secundum æqualitatem.

VI. Distinguendum est inter contraria positiva, de quibus verum est illud *Aristotelis lib. 4. de cœlo cap. 1. Si unum contrarium fuerit in rerum natura, & aliud debet esse necessario*; & inter contraria privativa, de quibus non semper vera est hæc Aristotelis propositio, quia datur summum bonum, nec tamen necesse est ut detur etiam summum malum. Cum igitur finitum & infinitum opponantur privative, ideo non sequitur, Datur finitum actu, Ergo etiam infinitum actu dari debet.

VII. Non necesse est ut generationibus potentia infinitis infinita actu subsstet materia, cum una eademq; materia distinctis temporum intervallis ad plures generationes

tiones concurrat, siquidem semper unius generatio est alterius corruptio,& contra.

VIII. Distinguendum est inter infinitum simpliciter & in se, & inter infinitum respectu nostri. Infinitæ sunt maris guttulæ, & infinitæ arenæ,non simpliciter & in se, sed tantum respectu nostri,quia numero nullo sunt definita.

Quæstio VIII.

An locus ab Aristotele l. 4. phys. c. 4. t.42. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Superficies vel est plana, quæ non est locus, quia proprium loci est ambire; superficies autem plana, ut plana est, non ambit locatum; vel sphærica, quæ consideratur vel absolute, quatenus est solummodo terminus corporis cui inhæret; vel cum respectu ad aliud, nempe ad ipsum contentum,quatenus illud undique ambit; & talis superficies est locus.

II. Quando turris immota flatu venti aliam atque aliam induit superficiem,tunc mutata superficie non mutatur locus turris, sed desinit esse,& ei succedit alter: unde non sequitur locum esse mobilem. *Et si dicas*, ergo turris mutat diversa loca, immota perseverans; *respondetur*, aliud esse mutare loca,aliud habere diversa loca circa illam succedentia,non per mutationem aliorum, sed per desitionem: & primum repugnat sine motu, non vero secundum. Turris ergo habet diversa loca, non quæ mutet ipsa,sed quæ circa ipsam succedant sine motu turris.

III. Superficies dupliciter consideratur: 1. Ut est accidens corporis continentis, & movetur ad motum ejus. 2. Ut est locus naturalis, & sic nunquam movetur respectu locati, sed eodem modo semper se habet ad aliud.

IV. Distinguendum est inter locum simpliciter unum,& inter locum adgregatione unum. Nihil vetat, quo minus unum idemque corpus duabus superficiebus locum unum efficientbus contineatur, qui tamen locus non simpliciter sed adgregatione unus sit; ex. gr. lignum cujus altera pars aquis mersa est,altera extat in aere, duabus superficiebus continetur.

V. Distinguendum est inter corpus continens, & inter corporis continentis superficiem concavam. Corpus quidem continens majus est contento: Corpus autem continens ipse locus non est, sed ejus superficies concava, quæ superficiei contenti corporis convexæ exactissime est æqualis.

VI. Distinguendum est inter æqualitatem dimensionis, per quam unum corpus adæquatur alteri secundum omnem dimensionem, h. e. secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & inter æqualitatem continentiæ. per quam unum corpus potest circumscribere aliud, & illud intra se continere:Et hæc æqualitas solum consideratur secundum longitudinem & latitudinem. Locus debet esse æqualis locato, non æqualitate dimensionis, sed æqualitate solius continentiæ.

VII. Etsi locus nec est corpus, nec quiddam incorporeum quod per se subsistit,est tamen in corpore & corporis accidens,nimirum corporis continentis terminus certis constans dimensionibus.

VIII. Distinguendum est inter locum per se sumptum, & inter locum cum qualitate corporis continentis copulatum. Quando dicitur quod locus locatum conservet,& quod corpora naturalia ad suum ten-

tendant locum ut in illo conserven tur,id intelligendũ est,non de loco per se sumpto, sed de loco cum qualitate continentis corporis copulato, quæ qualitas cum corpore locato amice quasi conspirat propter quam ipsam corpus ad locum movetur, cum naturalia, quæ sui conservationem adpetunt, in illa ferantur quibus juvantur & conservantur.

IX. Si spatium seu capacitas sumatur pro ambitu, sive superficie concava cum respectu ad corpus locatum, concedimus locum esse capacitatem seu spatium: sin vero per capacitatem intelligitur non modo ambitus, sed etiam profunditas, ut sit in mensura,negamus locum esse capacitatem: Nam in eo differunt locus & mensura,quod locus simpliciter respiciat ambitum,mensura vero non tantum ambitum, sed etiam profunditatem.

X. Quamvis locus, sicut forma, contineat,circũ scribat,ac determinet; sic aliter tamen id præstat locus, ut sit extra rem quam continet, sed sic ut forinsecus eam circumscribat: & aliter id præstat forma, videlicet ut aliquid intrinsecum. Ergo locus non est forma.

Quæstio IX.

An duo corpora possunt esse simul in eodem loco? Neg.

OBSERVATIONES.

I. Quæstio est, an duo corpora in eodem loco simul esse possunt naturæ facultate, non vero quæritur de virtute divina.

II. In ferri candentis substantia revera non est ignis, sed vel in ejus poris, vel in aere circumstante: quod si ita adpareat,id referendum est in summam caloris activitatem, quæ efficit, ut quod prope est ferri substantiam, in eadem esse videatur. Sic etiam panis madens ab aqua non penetratur, sed hujus partes intra illius meatus excipiuntur.

III. Scyphus aquæ ad summa labra plenus immissis nummis non effunditur. quia partes aquæ in cumulum ad medium intumescunt,cohibente liquoris fluxum labiorum scyphi siccitate;quæ labia si madefiant, mox dilabitur aqua.

IV. Non ideo tantundem fere aquæ in vas cinere plenum reconditur, quantum in vacuum, quod ibi detur corporum penetratio, sed quia cinis aquam ipsam in vaporem halitumque solvit, cum quo & cineris partes aliquæ exhalantur, nempe tenuiores, & calidiores: Sunt etiam in cinere complures meatus, quibus aqua sese insinuat & addensat, facta particulatim constipatione; itaque cinis collabitur & subsidet,atque humorem per cava & sinus excipit.

V. Plures quantitates non possunt occupare eundem locum. Licet enim in genere causæ efficientis se non expellant,cum quantitas non sit forma activa,tamen una expellit alteram per naturalem incompossibilitatem formalem;nam licet occupatio loci non fiat per informationem,valde similis tamen est informationi, & ad genus causæ formalis reducitur.

VI. Non est eadem ratio de multis accidentibus ejusdem corporis, & de multis quantitatibus: nam cum quantitati ex se debeatur locus, multis quantitatibus plura ac distincta debentur loca,& propterea licet non repugnet omnia accidentia ejusdẽ corporis occupare eundem locũ,repugnat tamen diversis quantitatibus.

Quæstio

Quæstio X.

An detur Vacuum in rerum natura?

Negat.

OBSERVATIONES.

I. Duplex est cognitio non entis: una positiva, altera privativa; Positiva, quando aliquis putat id quod non est, esse, & falsam propositionem esse veram. Hanc cognitionem intelligit Aristoteles, quando *lib.* 1. *Anal.* c. 2. t. 10. dicit. *non datur scientia ejus quod non est*: Si quis enim id quod falsum est verum esse arbitretur, is non scientiam habet, sed deceptionem & ignorantiam. Privativa non entis cognitio est cognoscere ipsum non esse, & falsam propositionem esse falsam. Et sic de vacuo in physica agitur, non tanquam de proprietate corporis naturalis, quasi esset quædam affectio positiva rebus naturalibus conveniens, sed ut doceamus vacuum non esse, imo res naturales à vacuo penitus abhorrere.

II Vacuum sumitur vel improprie, pro eo in quo non est corpus aliquod sensile; sic cantharus interdum dicitur vacuus: vel proprie, pro eo in quo plane nullum est corpus. Et hujusmodi vacuum non datur in rerum natura.

III. Distinguendum est inter vacuum negativum, & inter vacuum privativum. Vacuum negativum est pura negatio, adeoq; omnino nihil, quod ante mundum conditum & jam extra cœlum imaginamur. Vacuum privativum est quod quidē in se non habet corpus, dicit tamen respectū ad id recipiendum. Et hoc est illud de quo disputant Physici, num detur.

IV. Ad rationem vacui non sat est corporis neg tio, sed requiritur privatio, h. e. loc. s non repletus corpore, aptus tamen repleri. Ejusmodi locus ante mundi creationem non exitit, cū nullius adhuc superficies corporis uspiam esset; nec etiam aptitudo ad excipienda corpora ante mundum conditum erat naturalis, cum non posset ab agēte naturali ad actum produci.

V. Vacuum non est necessarium ad motum localem; cum corporum, in quibus motus localis fit, h c ratio fit, ut ea corporibus, quæ aut ipsa se movent, aut moventur ab aliis, cedant, ita nec corporum fiat penetratio, nec duorum pluriumve in unum locum inclusio: Qua ratione pisci natanti aqua, animali ambulanti aer cedit, & transitum facile concedit.

VI. Compressio corporum non arguit vacuum; nam causa compressionis corporum est, quod vel partes subtiliores corporis quod comprimitur, vel aer, qui corporis ejus poris continetur, expiret, ut in quibusdam etiam sensu patet.

VII. Partes quæ adponuntur corpori in augmentatione animalis; non in vacua quædam spatia recipiuntur, sed succedunt in locum partium tenuiorum, quæ novis partibus accedentibus loco cedunt: Sic videlicet, ut halitus delitescentes in corpore vel in se cogantur ac densentur, vel per insensilem transpirationem è poris abeant.

VIII. Si vas plenum aqua calida undiq; obturatum in loco perfrigido collocaretur, aqua vase illo contenta vel non concresceret, inhibente concretionem natura, quæ vacui periculum antevertit; vel si concresceret, vas ipsum disrumperetur, ut ita sese insinuaret aer ad locū illum occupandum, quem aqua concreta deseruisset.

IX. Si folles undiq; complicentur, & orificium eorum immittatur vasi perfecte clauso, ita ut nullo modo possit aer illuc ingredi, tunc latera follium non possunt elevari:

elevari: Si vero magna vis adhibeatur ad folles elevandos,rumpentur,ut locus detur aeri ingredienti ad impediendũ vacuum.

Quæstio XI.

An Tempus ab Aristotele l. 4. phys. c. 11. t. 101. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Vocabulum temporis sumitur dupliciter: 1. Generaliter, pro mensura cujusque motus, quatenus in qualibet re actu motum subeunte insidet. 2. Specialiter, pro mensura primi mobilis, seu conversionis primæ & supremæ sphæræ. Secundum priorem significationem tot sunt tempora, quot motus numerantur: Secundum posteriorem unum tantum est tempus, idque neq; velox,neque tardum, sed maxime æquale.sicut primum mobile solummodo & unum, & æquale. Et in hac posteriori significatione hic potissimum accipitur.

II. Numerus est duplex: Numerans,& Numeratus. Numerans est is,quo aliquid enumeramus,seu est numerus ab omni materia abstractus, & in se simpliciter consideratus: ut unum, tria, quatuor. Numerus numeratus est, qui certæ materiæ applicatur,& ipsis rebus est concretus,seu est illud ipsum quod numeratur, numerarive potest in motu. Tempus non est numerus numerans, qui est quantitas discreta, sed numerus motus,seu numerus numeratus, qui designat res continuas.

III. Non intelligitur numerus actu numeratus, sed aptitudine, h.e.numerus numerabilis, in quantum partes motus aptitudinem habent ut distinguantur,& numerentur ab intellectu secundum distinctionem ad discretionẽ prioris & posterioris.

IV. Numerus abstractus & avulsus non oritur neque interit,quamvis res numeratæ oriantur & intereant: Numerus applicatus vero sequitur naturam rerum quibus applicatur; nam si natura rerum est ortui & interitui obnoxia,& numerus quoque orietur & interibit; quod si non fuerit, his mutationibus non erit obnoxius. Cum igitur numerus, qui continetur in definitione temporis, sit applicatus motui qui oritur & interit,ipsè quoque orietur & interibit.

V. Duo in tempore sunt consideranda: 1. Materiale,seu partes motus sibi invicem succedentes. 2. Formale, seu numerabilitas ac mensurabilitas secundũ prius & posterius. Ratione materialis tempus idem est cum motu,quia motus,sublata omni intellectus apprehensione,in suo esse permanet, realemque durationem sibi vendicat: Ratione vero formalis tempus non est idem, sed differt à motu quia illa numerabilitas tantũ in mente nostra, motus vero extra mentem in rerum natura subsistit.

VI. Distinguendum est inter notius nobis, & inter notius natura. Tempus nobis notius est quam motus,quia illius beneficio in cognitionem motus & durationis illius devenimus;Natura vero motus notior est, nam est causa divisionis temporis; at causa natura notior est effectu.

VII. Etsi omnium cœlestium corporum motus pro sua quisque ratione sint æquabiles,atque in iis etiam tempus insit, primum tamen ac nobilissimum tempus insidet in motu omnium maxime æquabili sibique simili, qualis est motus primi mobilis, licet istiusmodi tempus à motibus inferiorum orbium distinctionem, & varia appellationum discrimina sortiatur: Etenim à motu Solis tempus distinguitur

in annos, à motu Lunæ in menses, aliasq; id genus durationum mensuras.

VIII. Tempus per se est mensura motus, quietis autem ex accidente, quatenus videlicet quies est privatio motus. Nam ea quæ per se habitui conveniunt, ex accidente privationi accommodantur: Ut cum adspectus per se sit luminis, ex accidente est tenebrarum. Quod enim tempus per se sit solius motus, non autem quietis mensura, ex eo convincitur, quia tempus metitur rem secundum prius & posterius, à quorum uno ad alterum est transitus; at hæc in quiete non insunt, nisi facta ad motum relatione, atque adeo ex accidente.

IX. Diverso respectu tempus pendet à motu, & motus pendet à tempore. Nam mensura duobus modis sumi potest: 1. Secundum esse: sic tempus, quod est mensura, dependet à motu, quia ab eo habet divisionem. 2. In ratione propria mensuræ, quæ est esse illud, ratione cujus de quantitate rei mensuratæ sumus certi; & sic motus pendet à tempore: nam per tempus dijudicamus fueritne motus tardior aut velocior, longior vel brevior.

X. Hæ definitionis particulæ, *prius & posterius*, designant partes motus prout successive fluunt & à nobis numerantur secundum successionem unius post aliam: Ac proinde non accipiuntur ut partes temporis, sed prout insunt motui.

XI. Cum in tempore reperiatur & numerus, & continuitas, nam est numerus adplicatus rei continuæ, ideo dicuntur aliqua de eo ratione numeri, quæ non dicuntur ratione continuitatis; &, è converso aliqua dicuntur ratione continuitatis, quæ non dicuntur ratione numeri: Ut dari minimum tempus competit ipsi ratione numeri; at non dari, sed posse dividi in semper divisibilia competit illi ratione continuitatis. Absolute tamen non dabitur minimum, quia numerus hic est adplicatus rei, in qua minimum dari nequit, scilicet motui.

XII. Distinguendum est inter Sphærarum cœlestium revolutionem, & inter motuum eorundem durationem. Sphærarum cœlestium revolutio non producit diversa temporum genera, verum potius motuum eorundem duratio, quæ nihil aliud est quam tempus.

Quæstio XII.

An tempus sit verum ens reale in natura rerum existens? Affirm.

Duratio motus est ens reale. Nam evidens est, motum successivum dari in rerum natura, verumque habere esse reale, & realiter durare in ea. Tempus est duratio motus. Ergo tempus est ens reale.

OBSERVATIONES.

I. Entium realium aliqua sunt permanentia, quæ partes habent permanentes, & simul existentes; aliqua sunt successiva, quorum partes actu non ponuntur, sed in continuo fluxu sunt, sic ut una transeat aut recedat, & altera succedat, cujusmodi entia sunt motus & tempus. Licet igitur partes temporis non existant per modum permanentis, existunt tamen per modum successivi, h.e. continue fluentis, & ita tempus futurum fit præsens & præteritum.

II. Duobus modis aliqua possunt dici non entia: 1. Quæ neque sunt actu, neque potestate, neque fuerunt, neque erunt unquam futura; ut sunt figmenta. 2. Quæ quamvis actu non sunt, tamen vel *jam* fuerunt, vel futura erunt; ut sunt præteritum & futurum. Ex non entibus primo modo nullum

nullum ens poteſt componi: ex non entibus autem ſecundo modo optime poteſt, ſi illius natura fuerit ſucceſſiva. Cum igitur temporis natura ſit ſucceſſiva, ideo poteſt ex præterito & futuro, tanquam ex non entibus ſecundo modo, componi.

III. Quamvis tempus futurum nondum ſit, & præteritum non jam ſit, eſt tamen tempus præſens, non ſolum ratione inſtantis, ſed etiam ut tempus eſt; non tamen habet præſentiam permanentem, ſed fluentem: fit autem unum tempus continuum cum præterito & futuro ratione inſtantis, per quod cum eis copulatur.

IV. Etiamſi partes temporis ſimul eſſe nequeunt, ſufficit tamen ut eſſe dicantur, ſi realiter per inſtans connectantur, quia tempus eſt ens ſucceſſivum.

V. *In* tempore duo inſunt: 1. *I*pſa vis menſurandi, quæ habet indeterminata intervalla: & ſic tempus non dependet ab anima, quia etiamſi nullus homo cogitaret cœlum moveri, tamen revera moveretur, & diſtingueret rerum tempora. 2. Diſtinctio certa iſtorum intervallorum, qua nempe illa intervalla definitam habent longitudinem, aut brevitatem: & ſic tempus dependet ab anima; niſi enim homo fuiſſet, nunquam motus cœli fuiſſet diſtinctus per annos, menſes, &c.

V*I*. Diſtinguendum eſt inter numerationem actualem, & inter numerationem aptitudinalem. Tempus eſt numerus numeratus non ſecundum actualem numerationem, ſed ſecundum aptitudinalem, quam habet ante operationem intellectus, in quantum partes ejus numerabiles ſunt ab intellectu ſecundum prius & poſterius; quare non dependet ab actuali numeratione intellectus.

PARS SPECIALIS PHYSICES.

Sectio Prima.

Quæſtio. I.

An Mundus ſit perfectus? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Perfectum bifariam ſumi poteſt: 1. Simpliciter & abſolute, ſcilicet pro perfecto omnimode, ita ut ei nulla deſit perfectio: & ſic ſolus Deus dicitur perfectus. 2. In ſuo genere, quia ſcilicet in ſuo genere habet omnem perfectionem, quæ ei ex ſua natura, ſtatu, & conditione poteſt convenire: & hoc modo mundus dicitur perfectus.

II. Licet Deus & mundum alium perfectiorem condere, & hunc quem videmus, perfectiorem reddere poſſit, in hoc tamen nihil deſideratur quo minus perfectus cenſeri queat: Speciebus enim, quæ divina virtute denuo produci queunt, non eget mundus ad eam perfectionem quam in hoc ſtatu depoſcit: quas autem ars ſive natura deinde profert, eas virtute, id eſt, in ſuis cauſis jam continet.

III. Diſtinguendum eſt inter perfectionem eſſentialem, qua non carent monſtra, v. g. homo cum ſex digitis in manu non caret natura humana & rationalitate; & inter perfectionem quantitativam, quæ eſt partium diſcretiva in debito numero & perfectione, & hac poſſunt monſtra carere. Deinde, licet monſtra alienam ſui ſpeciei deformitatem habent, occaſionaliter tamen perficiunt hoc univerſum: nam bona, quæ ſunt in univerſo, pulchriora ex eorum comparatione adparent.

IV. Vitia & peccata, ſive mala culpæ dupli-

dupliciter spectari possunt: 1. Secundum se, & sic mala sunt, turpia, & imperfecta. 2. In ordine ad virtutes, quas ex indirecto causant, augent, & extollunt, & sic per accidens spectant ad perfectionem: Nam peccata multis virtutibus exercendis occasionem præbent, ut vindicativæ justitiæ, patientiæ, & misericordiæ Dei, quæ etiam magis vitiorum comparatione splendent. Præterea distinguendum est inter perfectionem universi in esse naturali, quæ hic tantum intelligitur; & inter perfectionem in esse morali, de qua non est quæstio.

V. Pugna elementorum, ut & aliarum rerum antipathia, non adimunt mundo perfectionem; nam quæ res una ex parte dissident, eædem ex altera conveniunt, & mutuo inter se fœdere copulantur, atque secundum eam rationem ordinis tranquillitatem servant.

VI. Mundus nihil continet quod non aliquid commodi & utilitatis pariat, aut parere saltem possit, si eo congrue utamur, quamvis prima specie inutile aut omnino perniciosum videatur. Ergo in mundo nihil est superfluum. Animantes noxias quod adtinet, docet *D. August. l. 3. de Gen. ad lit. c. 17.* eas quadrifariam homini commodas esse; videlicet, quia ipsum pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent.

VII. Mixta non sunt superflua, imo in suo gradu essendi & ad humanos usus pro statu præsenti necessaria: in posteriore vero statu, videlicet post diem judicii, cessabit posterior hæc necessitas, conditione hominis, cujus gratia facta sunt, variata, & sufficiet gradum essendi eorum in specie humana permanere.

VIII. Universum non debet secundum omnes suas partes esse incorruptibile & in actu, cum constet ex gradibus incorruptibilium & corruptibilium, actualium & potentialium, & [illegible] in suo genere dicitur perfectum, q[illegible] ad suum genus pertinet similem diversitatem habere, cum sit elementare & creatum. *Materia*, etsi ex se rudis sit, auget nihilominus mundi ornatum, quatenus Protei cujusdam more varias formas induit, quibus universitas naturæ exornatur.

IX. Homo diverso respectu potest dici incola mundi, pars mundi, & finis mundi. Homo est incola mundi, quatenus mundus est hospitium hominis: est pars mundi, quatenus ex homine cæterisque rebus componitur mundus: est finis mundi, quatenus hominis gratia sensibilium rerum universitas condita fuit.

Quæstio II.

An cœlum ex materia & forma constet? Affirm.

I. Cœlum non est pura forma, sed constat etiam materia, *quia* 1. Omnes substantiæ sensibiles habent materiam, *Arist. l. 2. de gen. & cor* c. 1. t. 6. Cœlum est substantia sensibilis, *l. 1. de cœlo c. 9. t.* 92. Ergo cœlum constat materia. 2. Ubi sunt affectiones corporeæ & materiales, ibi est materia. In cœlo sunt affectiones corporeæ & materiales, nempe quantitas, raritas, & densitas. Ergo in cœlo est materia.

II. Cœlum non est pura materia, sed constat etiam forma, *quia* 1. Materia absque forma non consistit viribus naturæ. 2. Ubi datur motus, ibi datur forma. In cœlo datur motus, nempe circularis, qui ita proprius cœlo, ut alteri corpori per naturam convenire non possit. Ergo in cœlo etiam datur forma.

OBSER-

OBSERVATIONES.

I. Simplex vel opponitur composito ex materia & forma, vel opponitur mixto h. e. composito ex elementis. Cœlum dicitur corpus simplex, non quod careat compositione ex materia & forma, sed quod non sit compositum ex elementis, uti mixta. Simplex ergo hoc in loco non opponitur composito, sed mixto.

II. Et cœlum & elementa dicuntur corpora simplicia, sed non eodem modo. Dicitur enim aliquid simplex dupliciter: 1. Negative, quod ita est simplex, ut nec ipsum sit mixtum, nec etiam aptum natum ut destinetur ad alicujus mixtionem: & ita cœlum est simplex. 2. Privative, quod non est mixtum, attamen aptum & destinatum est ad alicujus mixtionem: & sic elementa dicuntur simplicia.

III. Quemadmodum impossibile est dari corpus sine materia; ita etiam impossible est dari formam corpoream non materialem. Deinde, si cœli forma corporea est, & capax quantitatis & accidentium sensibilium, necesse est alias valde inferiores & imperfectiores compositiones cœlum habere, ex partibus integrantibus, atque ex subjecto & accidenti, quæ non possunt esse in eo quod caret compositione ex materia & forma, neque in forma, nisi materiali.

IV. Distinguendum est inter genus spirituale, & inter genus corporeum. *In* genere spirituali datur quidem forma completa, ut angelus, & incompleta, ut anima rationalis, sed non suo genere corporis; nam cum sit inferioris & valde imperfectioris ordinis, corpus nequit esse compositum sine compositione ex materia & forma: quo enim res inferioris ordinis sunt, eo majorem compositionem habere debent, & simplicitatem minorem.

V. Non ex transmutatione substantiali duntaxat, sed etiam ex accidentali sensibili venerunt Philosophi in materiæ cognitionem: itemque ex motu physico, qui etiamsi in nudam materiam non recipiatur, eam tamen latentem arguit.

VI. Materia cœlo data est non ad generationem & transmutationem, sed ad subsistendum formæ corporeitatis in substantia, & recipiendum quantitatem & figuram.

Quæstio *III.*

An motus circularis cœlo sit naturalis?

Affirm.

I. Simplicis corporis simplex est motus. *Arist. l.* 1. *de cœlo c.* 2. *t.* 8. Cœlum est corpus simplex. Ergo habet motum simplicē, qui vel rectus, vel circularis. Non rectus; hic enim competit elementis. Ergo circularis.

II. Motus circularis aut est cœlo naturalis, aut violentus. Non est violentus: quia 1. Violentum non est diuturnum & perpetuum. Motus cœli est perpetuus. Ergo non est violentus. 2. Si motus circularis cœlo esset violentus, alii cuidam corpori esset naturalis: nam quod est uni violentū, alteri est naturale. Sed nullum datur corpus aliud cui motus circularis sit naturalis. Ergo cœlo erit naturalis.

OBSERVATIONES.

I. Cœlum dupliciter consideratur: 1. Ut particulare corpus. 2. Ut pars præcipua universi, cum hac varietate & vicissitudine generationum & corruptionum à Deo conditi, habens naturales virtutes per quas influit in inferiora corpora: Et in hac posteriori consideratione motus circularis dicitur cœlo naturalis.

II. Quamvis motu circulari non solum cœlum, sed etiam elementa quædam, nempe ignis & suprema aeris regio, moveantur, nihilominus tamen motus circu-

laris cœlo est naturalis: nam per naturam ignis & aer non nisi motu recto sursum feruntur, præter naturam vero etiam circulariter, nimirum ad motum cœli cui subsunt, circumvertuntur. Cumque motus circularis igni & aeri competat præter naturam, in eo aliquod aliud corpus à duobus illis essentia differens sit necesse est, cui idem motus competat per naturam; quod nullum aliud quam cœlum. Qui enim motus uni præter naturam competit, is alteri competit per naturam.

II. Natura est determinata ad unum motum, scilicet specie: Motus autem cœlestes ab oriente & ab occasu specie non differunt. *Dupliciter etiam* natura considerari potest: 1. secundum se, & ita est determinata ad unum, & sic primum mobile habet moveri motu raptus & eo inferiores orbes proprio motu ab occasu ad ortum: 2. Ut participat naturam superioris & sic potest orbis inferior participare motũ raptus.

IV. Est quidem motus ad terminum, ut ad suam perfectionem & finem, sed ille terminus motus est duplex: 1. Dicitur terminans motum sub quiete. 2. Dicitur terminans motum sub adsimulatione, quia facit ut id quod movetur, moventi adsimiletur secundum quod movet; ut securis artifici, secundum quod intendit facere scamna: & hoc secundo modo motus perpetuus cœli habet terminum & perfectionem, scilicet quod se movendo semper causet generationem & corruptionem rerum sublunarium. Unde *Deut.* 4. 19. dicitur, quod corpora cœlestia sint condita in ministerium cunctis gentibus.

V. Distinguendum est inter motum rectum, qui habet terminum à quo & terminum ad quem, & fit ab imperfecto ad perfectum, cui etiam opponitur quies; & inter motum circularem, qualis est motus cœli.

V I. Distinguendum est inter corpus, quod in sua conservatione dependet à loco; & inter corpus, quod in sua conservatione non dependet à loco. Si corpus dependet à loco in sua conservatione, quies in loco naturali naturalis est corpori; uti quies corporum sublunarium in locis naturalibus: Si vero corpus non dependet in sua conservatione à loco, ut constat de corpore cœlesti, quod, cum sit incorruptibile & perfectissimum, non indiget loco ad propriam conservationem, sed ubique conservari potest, tali corpori non est naturalis quies. *Deinde*, dici potest corpora naturalia quiescere naturaliter, nisi ad bonum universi moveantur: sic cœlum movetur ad bonum universi, ut rerum generationes fiant.

VII. Licet cœlo non sit naturalis locus, aut præsentia ob illius conservationem, quia incorruptibile est, naturalis tamen est præsentia super alia corpora, & ratione propriæ dignitatis præ aliis corporibus simplicibus, & propter ejus influxum in sublunaria transiliendum.

VIII. Distinguendum est inter infinitum secundum magnitudinem & multitudinem, à quo natura abhorret; & inter infinitum secundum durationem, & improprie dictum, ut est motus cœli circularis: infinitas enim circulationes cœlum sibi vendicat, data juxta Aristotelem æternitate mundi.

Quæstio IV.

An cœlum sit rotundum? Affirm.

Corpori primo, simplicissimo, & perfectissimo debetur figura prima, simplicissima, & perfectissima. Cœlum est corpus

corpus primum (*scilicet dignitate & natura*) simplicissimum, & perfectissimum. Ergo etiam primam, simplicissimam, & perfectissimam habet figuram, quæ est circularis, seu sphærica.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter figuram cœli, & inter officium cœli. Quando *Esa.* 40. v. 24. dicitur. *Expandit cælum sicut tabernaculum ad habitandum*: Et Psalm. 103. v. 2. *Extendens cælum sicut pellem*: Nomine pellis non significatur figura cœli, sed officium. Sicut enim tentorium, tabernaculum, vel camera obtegit ingredientes omnes, eos intra se recipiens; eodem pacto cœlum est quasi operimentum rerum omnium. Deinde, quam facile nobis est complicatam pellem extendere, tam facile Deo fuit cœlum condere.

II. Licet terra sit globosa, non tamen ea quæ terræ globo ex alia parte nobis adversa sustentatur, suspensa pendent: cum omnia gravia suo pondere ad mundi medium ferantur, nec inde nisi adscendendo, ac contra naturam suam divelli queant: Itaque non magis pendent quæ in terra hærent apud Antipodas, quam quæ apud nos.

III. Stellæ prope Horizontem majores nobis adparent, quam in medio cœli, non quod nobis sint propinquiores (& sic cœlum non esset rotundum) & revera majores, sed propter medii interjecti crassitiem & densitatem ex vaporum atque exhalationum congerie causatum: quo enim medium densius est, eo majora & propinquiora videntur corpora, uti docet experientia in his quæ per aquam cernuntur.

IV. Sol & Luna videntur plana, non quod sint, sed ob nimiam distantiam. Nam sphærica corpora, si sit nimia locorum intercapedo plana solent adparere, quia concavitas discuti non potest, nisi ex comprehensa inæquali distantia partium rei, in qua perceptione visus solet deficere distantiæ immoderatione.

V. Figura sphærica est minima inter isoperimetras quoad loci occupationem; sed maxima quoad interiorem cavitatem.

VI. Fieri non potest ut cœlum ovalem vel cylindriacam figuram habeat, quia repugnaret sub primo mobili proprium motum conficere inferiores sphæras, cum super diversos polos à polis primi mobilis moveri debeant, quin aut se perfringerent, aut mutuo se pervaderent, si talem figuram haberent. *Præterea*, figuram cœli talem esse oportet, ut ubicunque poli constituantur, non sequatur vacuum ex cœlesti motu; quod necessario sequetur, si cœlum alia figura quam sphærica constet.

VII. Licet figura quadrata sit stabilis & firma, tamen nullo modo apta est ad circumgyrationem, quæ sphæris mobilibus debetur.

Quæstio V.

An cælum agat in hæc inferiora? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter res materiatas & corporeas, & inter res incorporeas & spirituales. Per inferiora hac in quæstione intelliguntur res materiatæ & mole corporea præditæ, non vero incorporeæ & spirituales. Materiale enim & corporeum, quale est cœlum, non potest agere in res spirituales, corporisque expertes, cum omnis actio sit à præstantiori & valentiori.

II. Distinguendum est inter actionem directam, & inter actionem indirectam.

Anima rationalis etsi secundum entitatem & substantiam sit spiritualis, tamen quia est incompleta, & essentialiter potest informare corpus, & dum actu ipsum informat, sæpius ad phantasmata sibi adquirenda partibus corporis indiget, ideo cœlum etiam in animæ rationalis potentias agit; non quidem directe, h.e. non imprimendo per se, & immediate aliquid in ipsum vel intellectum, vel voluntatem; sed indirecte, h. e. remote, & ex accidente, nimirum voluntatem inclinando interventu organorum, quibus corporeæ vires insident, imbuendo videlicet ea variis qualitatibus, quidem potentiæ ad hunc vel illum effectum permoveantur.

III. Distinguendum est inter agens univocum, quod ideo agit, ut sibi in specie simile producat; & inter agens æquivocum, quale est cœlum, quod non idcirco agit ut producat sibi simile secundum speciem, sed secundum virtutem.

IV. Distinguendum est inter contactum corporalem, & inter contactum virtualem. Licet corpora cœlestia per se distantia sint à corporibus inferioribus, nihilominus per suam virtutem, quam per totum inferiorem mundum extendunt, dicuntur præsentia, & hujusmodi contactus dicitur virtualis. Ut tamen virtus eorum ad inferiora corpora deferatur, non est necessarium in intermediis produci qualitates quæ producuntur in inferioribus.

V. Inferiora suscipiunt actionem superiorum secundum suam naturam; unde non est mirum si Saturnus in Martem non imprimat frigiditatem, quam in inferiora imprimit; Nam etiam piscis Stupor stupefacit manus piscatorum & non retia.

VI. Nihil contingens vel casuale reperitur in corporibus cœlestibus, nec in modo agendi eorum per se considerato: sequuntur nihilominus casuales effectus circa hæc inferiora ratione causarum particularium à quibus modificantur, & sæpe impediuntur influxus per se cœlorum. Ergo à causa necessaria procedit effectus necessarius, nisi impediatur vel modificetur in secundis.

Quæstio VI.

An cœlum sit diversæ naturæ à corporibus sublunaribus? Affirm.

I. QUod corpus motu movetur circulari, id quoad essentiam differt ab eo quod recto motu movetur: *nam* quorum corporum affectiones vel operationes sunt aliæ, eorum etiam alia est natura, cum per affectiones vel operationes corporum essentiæ à posteriori cognoscantur, & à se invicem distinguantur. At cœlum movetur motu circulari, elementa vero motu recto. Ergo cœlum quoad essentiam differt ab elementis.

II. Quidquid nec grave nec leve est, illud habet aliam atque diversam naturam ab elementis. Cœlum neque est grave neque leve: *nam* si esset grave, tenderet deorsum; si esset leve, tenderet sursum: Ergo cœlum aliam ab elementis habet naturam.

OBSERVATIONES.

I. Non omne quod videri & tangi potest, constat è quatuor elementis; cum terra etiam in nativo statu, quantumlibet pura & sincera, videri possit & tangi, quandoquidem splendore Solis perfusa ob opacitatem adspectum terminat, & interventu siccitatis aut frigoris tangitur; nec tamen quatuor elementorum permistionem continet.

II. Duo

II. Duo sunt genera accidentium; Quædam sunt quasi universalia, quibuslibet corporibus communia; ut quantitas, densitas, raritas, & magna ex parte lumen, quorum omnia fere corpora aliquo modo capacia sunt; & quum hæc sequantur universalissimam rationem corporum, non indicant diversam naturam eorum, nec ideo ex eis diversitas colligi potest, nisi forte ex particulari modo alicujus eorum; ut, ex modo habendi lucem, tanquam fontem ejus colligimus solem diversæ naturæ ab aliis corporibus eam ab eodem sole participantibus: Alia sunt specialiora accidentia, orta à corporibus secundum specialiorem rationem; ut colores, qualitates tactiles, grauitas, levitas, & alia. Priora accidentia, ex quibus nulla diversa natura colligitur, sunt communia cœlo cum corporibus sublunaribus, non vero posteriora.

III. Distinguendum est inter colores veros, & inter colores adparentes. Cœlum non habent colores veros, sed adparentes duntaxat, circa quos absque dubio fallitur visus noster, eos pro veris accipiens: nam lucem cœlestem, quæ propter multitudinem materiæ in qua recepta est certo modo adtemperatur, judicat esse colorem cæruleum, vel alium similem.

IV. Aliud est competere alicui formaliter, & affectu; & aliud est competere virtualiter, & effectu. Calor, frigus, aliæq; primæ qualitates, vel ex primis tantum oriundæ, quas Astrologi sideribus adtribuunt, non affectu, sed effectu, non formaliter, sed virtualiter corporibus cœlestibus competunt, quatenus nimirum speciali ratione ea producunt in corporibus inferioribus.

Quæstio VII.

An Lux sit corpus, vel substantialis forma Astrorum? Negat.

I. LUx non est corpus: quia, 1. Omne corpus habet certum & determinatum locum. Lux non habet certum & determinatum locum, sed ubique diffunditur. Ergo lux non est corpus. 2. Duo corpora non possunt esse simul. Lux & aer possunt esse simul. Ergo lux non est corpus.

II. Lux non est substantia; quia, 1. Nulla substantia per se cadit sub sensum. Lux per se cadit sub sensum, quia adspectu percipitur. Ergo non est substantia. 2. Nulla substantia suscipit magis & minus. Lux suscipit magis & minus. Ergo lux non est substantia.

OBSERVATIONES.

I. Quando *D. Augustinus lib. 2. de liber. arb.* affirmat lucem esse nobiliorem auro, non simpliciter lucem auro quoad est substantia, præfert, sed quoad externam pulchritudinem, cui auri decor cedit: interim aurum, ut substantia est, nobilius est luce.

II. Lux est qualitas, licet non habeat contrarium: non enim omnes qualitates habent contrarium, ut patet in speciebus tam sensibilibus, quam intelligibilibus; item non omnes qualitates quæ cadunt sub sensum, quia figuris nihil est proprie contrarium. Est autem luci peculiaris ratio ut contrarium non habeat, quia est propria ac nativa affectio corporis cœlestis, quod contrarietate vacat.

III. Distinguendum est inter qualitatem quæ ordinatur ad introductionem alicujus formæ; & inter qualitatem quæ non ordinatur ad formam. Quando qualitas

litas ordinatur ad introductionem alicujus formæ, tunc habet aliquam permanentiam: at quando non ordinatur ad formam, sed ipsa est quæ actuat & perficit, ut lux illuminans aerem, non est necesse ut permanenter inhæreat: Sic lux non remanet, remoto lucente.

IV. Distinguendum est inter reflexionem materialem & proprie sic dictam, quæ corporibus tantum convenit; & inter reflexionem metaphoricam, sive per similitudinem sic dictam, quæ potest convenire accidenti corporeo, quale est lumen. Et sic radii lucis dicuntur reflecti, non quidem ita ut iidem retrocedant per motum localem, quia hoc est contra naturam accidentis; sed per extensionem, ita ut novi producantur versus anteriores partes medii, vel saltem novæ partes radiorum.

V. Quod Philosophi nonnulli de adtritu aeris inter duos radios quasi inter duo corpora dixerunt, non ita est; sed ideo aer coeunte in unum duplici radio magis incalescit, quia lux, caloris parens, quo est intensior, eo uberiorem calorem gignit.

VI. Lux consideratur vel secundum se, ut est qualitas; vel ut est subjective in substantia luminosa. Quando *Aristoteles lib. 5. Top. c. 3.* ait, *Lucem esse ignem*, non intelligit lucem secundum se consideratam, sed ut est subjective in igne; quo pacto aliqui dicunt tres esse species ignis, scilicet carbonem, flammam, & lucem.

Quæstio VIII.

An omnes stellæ lumen à Sole mutuentur? Affirm.

I. TAm stellæ fixæ, quam planetæ lumen à sole mutuantur: quia 1. Planetæ quanto soli sunt propinquiores, eo sunt lucidiores. 2. Sol est collocatus in medio planetarum, ut superioribus & inferioribus astris lucem suam communicet. 3. Luna interpositu terræ inter ipsam & Solem obscuratur; quod non aliam ob causam accidit, quam quod radii Solis tum ad eam non pertingunt: pro vario etiam ad Solem adspectu Luna varie illustratur, ac diversas induit figuras.

II. Omnes stellæ ex se etiam aliquid propria & congenitæ lucis possident, quia Luna in eclipsi rubens quodammodo adparet, quod non esset nisi aliquid luminis in se contineret.

OBSERVATIONES.

I. Licet astra lumen à sole accipiunt, nullum tamen sidus supra solem existens patitur defectum luminis sive eclipsin interjectu terræ, quemadmodum luna, quia cum maxime à terra ista sidera distent, ejus umbra intrare non possunt: Nullum etiam eorum subit vicissitudinem facierum ac luminum, quia lumen à sole vibratum semper illa perfecte illustrat, cum ad id nihil impedimenti intervenire queat. At in luna non ita res se habet, quæ, pro diversitate adspectus & distantiæ, nunc magis nunc minus ex parte inferiori, qua nos spectat, soli patet, atque ita prout magis vel minus illustratur, ita lumen & figuram mutat.

II. Planetæ Sole inferiores, sc. Venus & Mercurius, si aliquam imminutionem luminis sortiuntur, adeo parva est ut videri non possit; nam Venus non potest tegere nisi centesimam Solis partem, & Mercurius minorem, cum sit Venere minor; cumque propria luce magis abundent quam Luna, eorum obscuratio non potest deprehendi, sed bene dari.

III. Maculæ Lunæ, quæ in plenilunio adparent

adparent, proveniunt ex inæqualitate corporis lunaris, quod quædam ejus partes sint rariores, quæ minus, quædam densiores, quæ magis luceant: non ergo ex illis maculis potest colligi, quod Luna lumen à Sole non recipiat.

IV. Quod lumen Lunæ, quod alias in eclipsi videtur, nec in novilunio, nec postea adpareat secundum eam partem quæ est aversa à Sole & nos respicit, non ideo fit, quod Luna nihil luminis congeniti & proprii in se contineat, sed quia interdiu pars non illuminata à Sole, nimio Solis splendore obscuratur, sicuti & reliquæ stellæ; nocturno vero tempore partes non illuminatæ superantur atque obteguntur illuminatarum fulgore.

Quæstio IX.
An elementum ab Aristotele l. 3. de cœlo c. 3. t. 31. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Elementa dupliciter considerantur: 1. Absolute, quatenus sunt partes mundi integrantes & sic possunt definiri; Elementa sunt corpora simplicia, quæ propter gravitatem & levitatem suam recto feruntur motu, atque in locis propriis constituta, una cum cœlo mixtisque corporibus totum mundum integrant. 2. Relate, quatenus sunt principia mistionis; & sic elementum ab Aristotele recte definitur, Corpus simplex, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest potentia aut actu, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem.

II. Elementum dicitur *Corpus*, ad excludendam materiam & formam & omnia quæcunque non sunt corpora.

III. Vocabulum *simplex* in definitione elementi non opponitur composito, quasi elementa non essent composita ex materia & forma; sed opponitur mixto, quod nempe elementa non sint mista, & quod in alia specie differentia non possint dividi, quo ipso à mistis corporibus distinguuntur, quæ dividuntur in elementa specie differentia.

IV. Elementum dicitur quidem corpus simplex, sed non simplicissimum quemadmodum cœlum, quod est simplicius elementis, quia cœlum neque est mistum, neque ad mistionem concurrit; Elementa vero quamvis etiam non sint mista, & sic recte vocantur corpora simplicia, interim tamen ad mistionem concurrunt.

V. Elementum ex se & in sua natura consideratum, qualitatibus secundis, quæ ex congressu plurium primarum qualitatum constituuntur, non est præditum; e. g. aqua ex se nullum habet saporem, neque nutrit; fit autem sapida, & ad nutritionem facit, quatenus cum aliis corporibus congreditur aut permiscetur. Ergo elementum ex se & in sua natura consideratum, est corpus simplex.

VI. Illa definitionis verba, *in quod cætera corpora resolvuntur*, adjiciuntur ad removendum cœlum, quod licet sit corpus simplex, non tamen in ipsum alia corpora resolvuntur.

VII. Quamvis quodlibet elementum dividi possit in materiam & formam, quæ inter se specie diffident, insuper etiam in alia corpora completa, v. g. aer in ignem & aquam, siquidem ex aliqua illius parte ignis, ex altera vero aqua produci potest; nihilominus tamen in definitione Aristotelis elementum recte dicitur *indivisibile in specie diversa*, scilicet in eo tantum genere,

nere, in quo est elementum. Cum igitur sit elementum corporum, debet esse indivisibile in alia corpora specie diversa. Materia vero & forma non sunt corpora. Sic licet ex materia unius aeris, v. g. educatur forma ignis & aquæ, non dicitur aer dividi in illa, sicut mixtum in elementa, nam aer non habet in sua materia dispositiones & aquæ & ignis temperatas, sicut illas habet mixtum: & ideo hæc non dicuntur esse in aere virtute, sed in sola radicali & remota potentia materiæ.

Quæstio X.

An quodlibet elementum possit generari ex quolibet? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter transmutationem elementorum quoad totum, & inter transmutationem quoad partes. Hæc quæstio non ita est accipienda, quasi unum elementum possit totum aliud in se convertere; non enim id per naturam fieri potest, ut testatur experientia tot seculorum, quibus omnia quatuor elementa servata in mundo fuere: sed de corruptione & generatione elementorum quoad partes duntaxat est quæstio.

II. Aer potest immediate generari ex igne, licet aeris frigiditas sit exigua, ignis vero calor summus; nam ut aer sufficienter perimat calorem ignis, multa ei auxilio esse possunt: primo, externa quædam & adventitia frigiditas; secundo, materiæ copia, quæ exiguæ ignis portioni admovetur; tertio, influxus quidam cœlorum coercentium ipsum calorem ignis: His siquidem omnibus fieri poterit, ut tantum remittatur calor ignis, quantum satis sit ut disponatur ad formam aeris, maxime cum ejus similiter siccitas facile fuerit per summam aeris humiditatem expulsa. Eodem modo proportionaliter respondendum est, si quis negaret, aerem remisse calidum posse generari ex aqua summe frigida.

III. Quamvis ignis majorem levitatem & raritatem aeris levitate & raritate prærequirat in materia, tanquam dispositionem, ut in illa recipiatur, nihilominus tamen aqua immediate potest fieri ignis: Nam non est inconveniens, quod dum aqua est in via corruptionis, sit sub majori levitate & raritate & calore quam aer, quia non repugnat, quod dispositio naturalis aeris sit minor dispositione violenta ipsius aquæ, præsertim cum tendit ad id quod calidum est & rarius ipso aere, sc. ad ignem.

IV. Ex igne potest generari aqua. Quamvis enim non possit ignis sub summa frigiditate consistere, adeo ut desinat dici calidus; potest tamen aliquam suscipere, quæ sit sufficiens ut aqua se in ejus materiam insinuet, maxime cum ejus humiditas aliunde ab astrorum influxu & majori materiæ copia roborata, ipsius ignis siccitatem perimere possit, & se in ejus locum subrogare: ubi autem aquæ forma sese in illam ignis materiam remisse refrigeratam, & adhuc remisse calidam insinuaverit, expellit reliquos caloris gradus, & suum nativum frigus intendet, sicque poterit tandem se ad naturalem statum reducere.

Quæstio XI.

An elementa in suis locis gravitatem & levitatem habeant? Neg.

I. Aer non degravat nostra capita; & qui sub aquis natant aquæ pondus non experiuntur. Si vero aer & aqua in regione propria gravitarent, & deorsum nitern-

niterentur,non possent non subjecti homines onus magnum sentire, sicut sentiunt qui terram vel aquam à proprio loco extractam sustinent.

II. Singula elementa moventur ad propria loca,tanquam ad propriam perfectionem, ut in illis optata fruantur quiete, & illis adeptis quiescunt: igitur virtus motiva naturalis eorum ad hunc solum terminum propendet, & inclinat: Hoc ergo adepto, non erit principiū ultra tendendi; atque adeo repugnat, quod si elementa in propria sede perfecta constituta sint, ulterius cieri naturaliter nitantur gravitando aut levitando.

OBSERVATIONES.

I. Gravitas & levitas dupliciter accipiuntur: 1. Pro actu primo, seu virtute moventi deorsum vel sursum; & sic certum est gravitatem & levitatem convenire elementis, etiam in suis propriis locis existentibus; quia habent semper potentiam movendi & tendendi ad sua loca naturalia, si ab illis separata fuerint. 2. Pro actu secūdo, seu operatione atq; impulsu,qui dicitur gravitatio & levitatio: & sic recte dicitur,elementa nec gravitatem nec levitatem in suis propris locis habere,h.e. nec gravitare nec levitare, cum ibi non moveantur actu.

II. Elementa bifariam considerari possunt: 1. Ut à natura sunt in suis spæris perfecte collocata, ita ut gravius sit sub minus gravi, & levius supra minus leve, ignis supra aerem & aqua supra terram. 2. Ut contra suam naturalem conditionem collocantur, ut magis grave supra minus grave, & minus leve supra magis leve. Posteriori modo gravitant & levitant, quia non sunt in proprio loco; sed non priori modo.

III. Distinguendum est inter elementa media pura, quæ in propriis locis nec gravitant nec levitant; & inter elementa media impura, & peregrinis qualitatibus imbuta, prout apud nos sunt, quæ ex qualitate addita gravitante possunt gravitare. Idcirco, *utres aere pleni* graviores existunt, & facilius descendunt,quam si inanes essent; quia aer ille, quo replentur, ob admixtos vapores gravitat, & deorsum pellit: secus vero contingeret, si puro & elementari aere utres adimplerentur.

IV. Lignum centum librarum velocius per aerem descendit quam plumbi libra; quia ejusmodi lignum gravitate terræ & aquæ excedit plumbum: nec ejus descensum retardat levitas aerea, quæ in suo loco naturali non levitat: At per aquam plumbum unius libræ citius descendit, quam lignum ejusdem ponderis, qnod supernatat; quia levitas aerea lignum tenet ne deorsum labatur,non autē plumbi librā, quia hæc parum levitatis in se continet.

V. Aqua in sua spæra non dicitur gravis, dum ei stat quasi pro centro magis grave, id est, terra, cum qua fere unum globum facit. Dato autem quod ab aqua subduceretur magis grave, ipsa esset inter gravia gravissima, & sic oporteret eam imum locum occupare: Idem esto judicium de adscensu aeris, si spæra ignis tolleretur. *Ignis vero & aer*, si ab illis subducerentur aqua & terra, nisi periculum vacui adesset, non descenderent, quia eorū motus non est deorsum, sed sursum, nec sunt elementa gravia, sed levia.

Quæstio XII.

An duo elementa sint gravia, & duo levia? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Duobus modis aliquod elementum summe grave, aut summe leve dici po-est:

poteſt: 1. Ut ſumme grave nuncupetur, quod ſuopte pondere infra omnia alia elementa fertur, ut eſt ſola terra: Et ſumme leve, quod ſuopte ſupra alia omnia elementa adſcendit, ut eſt ſolus ignis. 2. Ut ſumme grave adpelletur, quod nullam partem habet levitatis: Summe leve, quod nullam partem obtinet gravitatis. Sic duo elementa inferiora, nempe aqua & terra dicenda ſunt ſumme gravia; & duo elementa ſuperiora, nimirum aer & ignis, ſumme levia.

II. Levitas & gravitas in elementis mediis bifariam conſiderari poſſunt: 1. Per ſe, & ſic illa dicenda ſunt elementa gravia, quæ per ſe & ex ſua natura deorſum tendunt, ut terra & aqua; & illa erunt levia, quæ motum ſurſum habent ex ſua natura, ut aer & ignis. 2. In comparatione, & in reſpectu, & ſic poſſunt habere diverſas rationes, quatenus ad extrema elementa comparantur: Ita aqua poterit dici levis comparata gravitati terræ, & gravis comparata levitati aeris & ignis. Primo ergo modo hac in quæſtione elementa conſiderantur, non vero ſecundo.

III. Diſtinguendum eſt inter proprias virtutes motivas, & inter intrinſecum impellens. Cum aqua à loco terræ adſcendit, & aer deſcendit ab ignis loco, non à propriis virtutibus motivis id evenit, ſed ab extrinſeco impellente, terra ſcilicet aut igne, ratione majoris gravitatis, vel levitatis: neq; aliud principium confingere neceſſarium eſt, cum adſignatum ſufficiat, maxime cum gravitas vel levitas non ſit principium contrariorum motuum. Adſcenſus autem aquæ, v. g. a loco terræ, vere contrariatur deſcenſui ejuſdem ad eundem locum, ideo nequeunt provenire ab eadem gravitate vel levitate.

IV. Etſi ignis concurrat ad mixtionem, ex eo tamen non ſequitur ignem ex ſua ſphæra deſcendere, atque ſic non eſſe elementum leve ſed grave. Nam multa non immediate ex igne generantur ſed remote, quia gignuntur ex corporibus quæ ex elementis ſunt compoſita. Quemadmodum in generatione miſti, non eſt neceſſe ut is aer qui in ſuprema regione, ſeu illa terra quæ eſt in centro concurrat, ſed ſufficit is aer qui eſt in inferioribus & terra propinqua quæ eſt in mixtis: Ita etiam non eſt neceſſe, quando ex elementis proxime generatur aliquid, ignem ex ſua ſphæra deſcendere, cum ignis tam ſupra quam intra terram reperiatur, nec raro ex aere & ex fumis motis gignatur.

V. Ignis deſcendit in candela non per ſe, ac ſi eſſet elementum grave, ſed per accidens propter pabulum ſive nutrimentum, quia quælibet natura eſt ſui conſervativa; cum ergo flamma non conſervatur abſque pabulo, ideo retrahitur ab alimento; ſemper tamen per pyramidem ipſam adſcendere videmus.

VI. Terra dupliciter conſiderari poteſt: 1. in ſua ſimplicitate & puritate, prout judicatur eſſe in centro, & prope centrum. Hoc modo terra dicitur graviſſima inter omnia gravia. 2. Ut eſt mixta cum viciniis elementis, aere & aqua, ut eſt hæc terra quam pedibus calcamus. Hoc modo aurum, plumbum, & argentum vivum ſunt terra graviora.

VII. Quod plumbum, in quo prædominatur aqua, gravius ſit lapide, in quo prædominatur terra, hoc non fit per ſe, ac ſi aqua eſſet gravior quam terra, ſed per accidens: Nam plumbum, quia corpus eſt ſolidiſſimum, gravitate pollet; Lapis autem, quia tam ſolidus ac compactus non eſt

est, sed poris locum concedit in quibus aer continetur, minorem obtinet gravitatem.

VIII. Cadavera, in quibus terræ elementum prædominatur, ad vadum feruntur, tamen post non multum temporis supra aquas emergunt & natant, quia corpora dum putrescunt, solvuntur in saniem plurimum habentem aerei flatus, cujus impulsu ad summam aquam redeunt ac supernatant.

Quæstio XIII.

An sub concavo Lunæ detur elementum ignis? Affirm.

I. Omnis qualitas prima corpori alicui simplici primo & per se inest. Summus calor est qualitas prima. Ergo corpori alicui simplici primo & per se inest. Non autem inest aeri, qui humiditatem summam cum aliquo calore sibi vendicat; nec aquæ summe frigidæ & aliquantulum humidæ; nec denique terræ, cum aliqua frigiditate summa siccitate præditæ. Ergo igni.

II. Si datur simpliciter & absolute grave, datur etiam simpliciter & absolute leve; quia quorum unum contrariorum est in natura, eorum in natura est etiam alterum, *l.* 4. *de cælo c.* 1. Atqui datur simpliciter & absolute grave, nimirum terra. Ergo datur etiam simpliciter & absolute leve, nempe ignis; qui cum sit corpus levissimum, proprius ejus locus erit supremus in regione elementari, qui est infra sphæram Lunæ.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter id quod igni per se & ratione essentiæ convenit; & inter id quod igni per accidens & ratione materiæ competit. Esse lucidum, ardere, &c. competit igni non per se, & ratione essentiæ, cum ardere, comburere, &c. sit actus secundus, qui non est rei essentia; sed per accidens, & ratione materiæ, quoniam pro diversitate materiæ ignis est magis vel minus densus; ut densior est in pice, quam in vino sublimato, & ferrum ignitum vehementius urit quam ignis in stipula; quia ibi materia est densior quam hic. *Quod igitur* ignis elementaris non, sicut noster ignis culinaris, videtur, fit propter ipsius raritatem, quia ipsum aerem & ventum, qui pari modo non videntur, exuperat: nam densa tantum corpora sunt lucida, visuique obvia.

II. Licet ignis de se sit maxime activus, non potest tamen ignis elementaris alia corpora destruere, tum quia ab influxu cœlorum cohibetur ejus acrimonia, *tum* quia rarissimus est, & propterea minus potens ad agendum. Secus vero se res haberet, si tota cœlestis machina ex igni coagmentata esset. Nam cum stellæ materiam densiorem, magisque compactam & cohærentem habeant, sintque tum mole tum numero longe amplissimæ, si igneæ forent, tantum ex se calorem funderent, ut eum nulla cohibere vis posset, atque adeo reliquis corporibus interitum adferrent.

III. Distinguendum est inter ignem contrariorum injuriis obnoxium, & inter ignem à contrariorum injuriis immunem. Ignis noster culinaris & impurus, quoniam contrariorum patet injuriis, nutrimento indiget ut subinde restauretur: Ignis vero elementaris in propria sphæra existens, quia illic tum sua magnitudine, tum activitate immunem se protegit à contrariorum injuriis, pastu non indiget ut conservetur.

IV. Potest

IV. Poteſt quidem ignis è miſto deduci, ſed ut comprobet ſuam ſphæram eſſe concavum Lunæ, in quocunque loco generetur, ſemper ſurſum adſcendit. Nunquam tamen adſcendit ad concavum Lunæ, etſi adſcendere conetur, ob contrariorum interjacentium reſiſtentiam.

V. Nihil refert, quod ignis calidiſſimus, ſummeque actuoſus copuletur cœlo omnium corruptricium qualitatum experti, quia cum cœlum indiſſolubile ſit, nullam ab igne noxam capit.

VI. Ignis quidem abſumit & deſtruit, niſi refringatur. Cum vero ignis ille, qui ad mixtionem venit, cum elementis contrariis congrediatur, ac per actionem contrariarum qualitatum vis ejus exuperans debilitetur & hebetetur, mixtionem ſine noxa ingreditur.

VII. Uſus ignis ſub concavo Lunæ eſt, complere illud ſpatium inter concavum Lunæ, & ſupremam aeris regionem, & eſſe partem mundi integram.

VIII. Quando *Ariſt. l. Meteor. c.* 4. docet, ſupra aquam eſſe aerem, & id quod ignem conſuevimus adpellare, ignem tamen haudquaquam eſſe; tunc nihil allud vult, quam nomine ignis proprie tantum ſignificari inferiorem ignem, qui ob denſitatem materiæ ex partium inter ſe cohæſione validiſſimus eſt & acerrime urit: illum autem, qui ſupra aerem conſiſtit, non proprie, ſed ex conſuetudine tantum eo vocabulo notari.

IX. In prima rerum creatione omnia quidem elementa fuerunt condita: *Moſes* tamen *Gen.* 1. duo ſolummodo inferiora elementa expreſſe enumerat, quia hæc tantum adſpectu percipiuntur, & rudi populo ad cujus captum ſeſe adcommodabat, notiora ſunt.

X. Corpus perveniens ad locum ſuum deſiſtit moveri, ſcilicet eo motu quo fertur ad ſuum locum. Sic ignis ſub concavo Lunæ non movetur ſurſum, ſicut movetur ad ſuum locum tendens, ſed motu circulari, raptus vel circumvectus à cœlo.

XI. Diſtinguendum eſt inter id quod eſt alicui naturale ratione efficientis, quando ſcilicet aliquid proficiſcitur non à principio extrinſeco ſed intrinſeco; & inter id quod eſt naturale ratione finis, quod licet à principio extrinſeco fiat, non tamen ordinatur ad deſtructionem, ſed potius ad perfectionem rei. Sic motus ignis in orbem eſt naturalis ipſi igni, ſcilicet ratione finis, quia ad conſervationem ejus dirigitur: ſed non eſt naturalis ratione efficientis, quia intrinſece conſideratus motus ſurſum naturaliter igni competit, motus vero in orbem extrinſece fit à cœlo.

Quæſtio XIV.

An aër ſit elementum humidiſſimum?

Affirm.

I. Quidquid inter omnia elementa facillime continetur terminis alienis, id ſumme eſt humidum. Atqui aer inter omnia elementa facillime continetur terminis alienis. Ergo aer ſumme eſt humidus.

II. Quod tranſit omnia membra, & undiquaque omnia humectat, id eſt humidius aqua, quæ, teſte experientia, humectat tantum in ſuperficie. Atqui aer tranſit omnia membra, & undiquaque omnia humectat. Ergo eſt humidior aqua, & per conſequens humidiſſimum elementum.

OBSERVATIONES.

I. Humor dupliciter poteſt conſiderari: 1. Pro facile terminabili alieno termino

ne, & sic primo competit aeri. 2. Pro crasso humore magis conducente pro constituendis mixtis humidis, & connectendis eorum partibus, & sic maxime humida est aqua

II. *Aer* interdum difficile alieno termino continetur, ut in ventis; sed id fit per accidens, propter impetum quo venti cientur, qui impetus aeri non est naturalis. Per se igitur aer alieno termino facile continetur.

III. Distinguendum est inter id quod magis humectat per se, & inter id quod magis humectat per accidens. Aqua magis humectat quam aer, non per se, sed per accidens, propter densitatem & crassitiem materiæ in qua est humiditas aquæ, quia enim aqua propter crassitiem corporibus magis adhærescit, diutiusque retinetur, humectare fortius valet: Humiditas autem aeris, quia in tenui est subjecto, actum humectandi habet remissiorem. *Præterea*, non ideo aliquid dicitur humidius, quod magis humectat, sed quod difficilius proprio & facilius alieno continetur termino; quemadmodum definitio humidi indicat, id quod aeri magis quam aquæ competit.

IV. Distinguendum est inter id quod exficcat formaliter & de se, & inter id quod exficcat materialiter & per accidens. Aer exficcat non formaliter & de se, siccitate enim in suo naturali statu omnino caret; sed materialiter & per accidens, quatenus in eo vel frigus vel calor dominatur: per frigus enim exprimit aer partes humidiores ex aliquo corpore, & sic illud exficcat: per calorem vero partes humidiores in halitum conversæ evaporant, quam evaporationem siccitas comitatur.

V. Pluvia non humectat aerem propria humectatione; id est, non illum magis habilem ad alienum terminum capiendum reddit, imo minus: Sed in eum conjicit aqueos vapores, quos propter densitatem sentimus. Illi igitur magis quam aer humectant, quia substantia eorum est crassior.

VI. Luna dicitur dominari aquæ propter miros effectus in mari: at ratione humiditatis etiam dominatur in aere; unde influxus Lunæ generat pituitam, mucosamque substantiam. Dominatur igitur Luna aquæ, non ob sympathiam humiditatis summæ, sed ejus quæ aquam denominat.

VII. Sola aqua ab *Arist. l. 2. de gen. & cor. c. 8. t. 49.* dicitur esse facile terminabilis, quia mixta terminabilia efficit propter densitatem humiditati conjunctam, quod non præstat aer, quia densitate caret, licet habeat intensiorem humiditatem.

Quæstio XV.

An aer sit calidus? Affirm.

I. Quidquid vi caloris generatur, & à frigore destruitur, id natura sua est calidum. Atqui aer actione caloris excedentis generatur, (*ut cum ignis aquam lebetis in aerem resolvit*) & contra à frigore destruitur & densatur in aquam. Ergo aer natura sua est calidus.

II. Omne leve est calidum: *quia* levitas est comes & consectatrix caloris; unde ea quæ calefiunt, magis rara magisque levia redduntur. Atqui aer est levis. Ergo aer est calidus.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter summe calidum, & inter moderate calidum. Aer est calidus non in summo gradu, sicut ignis, sed moderate. Cum enim aer sit humidus, humi-

humiditas obtundit calorem, ut summus esse nequeat.

II. Distinguendum est inter aerem purum, de quo hic quæritur; & inter aerem vaporibus admistum, & aliena qualitate affectum. Aer noctu & hyeme est frigidus, non quod ultro ad frigiditatem, ut naturæ suæ congruentem, sese referat; sed quia tum vapores & exhalationes, quæ per id tempus ad nativum frigus redeunt, tum cœlestium corporum influxus frigiditatem inducentes, tum aqua & terra frigida elementa, quorum actionem æstate & interdiu Solis præsentia impedit aut retardat, assidue ipsum refrigerat.

III. Distinguendum est inter aeris complexionem naturalem, & sic in omnibus suis regionibus est calidus; & inter ejus complexionem extraneam, & sic aer in diversis regionibus diversas obtinet qualitates; nam in media regione frigidior est quam in suprema vel infima, quia in suprema regione & motu, quo una cum igne circumagitur, & ignis vicinitate inardescit; in infima vero, repercussione radiorum solarium multum caloris concipit; at in media non solum hujusmodi adventitii caloris auxilia non habet, sed neque tueri potest suum naturalem calorem ob halitus è terra & aqua solutos, qui cum natura sint frigidi, ubi eo perveniunt, per antiperistasin ambientis caloris ad naturam redeunt, neque solum ipsi frigidiores evadunt, ita ut in pluviam & grandinem coeant, sed aerem etiam refrigerant.

IV. Aer duplici modo considerari potest: 1. Absolute, & sic non est frigidus, sed calidus. 2. Comparate seu respective, in respectu ad fuligines quæ ex corporibus nostris calidis foras protruduntur, sive in respectu ad Solis aut ignis intensiorem calorem: & sic aer frigidus dici potest, nos enim refrigerat; tum quia eo sumus calidiores, tum quia aer peregrino frigore alget, quo etiam aquam tepentem refrigerat.

V. Oleum, quod est aereæ naturæ, in hyeme crassescit non quod natura frigidum sit, sed quia præter naturalem suam constitutionem frigore correptum calore intereunte addensatur.

Quæstio XVI.

An terra, an vero aqua sit elementum frigidissimum? Affirm. Posterius, & Neg. Prius.

Quodcunque elementum cum elemento calidissimo, nimirum igni, maxime pugnat, illud est frigidissimum. Atqui aqua vehementissime & perpetuo cum elemento calidissimo pugnat. Ergo aqua est elementum frigidissimum. Si *enim* humiditas tantam pugnam causaret, multo magis id aer præstaret, quia aqua multum est humidior; quod tamen nequaquam fieri videmus.

OBSERVATIONES.

I. Terra non petit centrum orbis, id est, locum distantiorem à cœlo, ne incalescat; sed petit eum locum præcipue ob totius orbis prudentem administrationem, ad quam ipsa propendet ut pars universi.

II. Distinguendum est inter qualitates nativas, & inter qualitates adventitias, quæ interdum proveniunt à cœlo. Licet terra à fonte caloris, puta cœlo, magis distet quam aqua, non tamē ideo est judicanda frigidissima, quia calor & frigus competunt elementis non à cœlo, sed per propriam naturam: Sicuti enim frigus aquæ provenit à forma aquæ, ita etiam frigus terræ provenit à forma terræ, & non à cœlo.

III. Est

III. Est quidem terra elementum graviſſimum, ſed non frigidiſſimum: Nam ſicut ſumma levitas ignis non procedit ex ſolo calore ſummo, ſed ex aliis etiam qualitatibus ejus ſimul ſumtis; ita ſumma gravitas terræ non procedit ex ſola ejus frigiditate, ſed ex cæteris qualitatibus ſimul concurrentibus, nempe ſiccitate, denſitate, & aliis. *Deinde*, non eſt neceſſe, ut ſumma levitas & ſumma gravitas à qualitatibus ſummo gradu inter ſe contrariis (ſc. à calore ſummo, & frigore ſummo) gignantur: non enim par repugnantia in cauſa & in effectu inquirenda eſt.

IV. Diſtinguendum eſt inter cauſam congelationis adæquatam, & inter cauſam inadæquatam. Frigus eſt cauſa congelationis inadæquata, non vero adæquata. Nam acetum, quod perfrigidum eſt, nunquam gelu ſtringitur. Licet ergo aqua ex ſe frigiditatem ſummam poſtu'et, non eſt tamen natura ſua congelata quia frigiditas non puram aquam, ſed exhalatione terrea ſubtili mixtam congelat.

V. Diſtinguendum eſt inter aquam ſecundum nativam ſuam qualitatem, & inter aquam ſecundum adventitiam qualitatem conſideratam. Piſces non poſſent eſſe in aqua, ſi hæc in ſuo nativo temperamento relinqueretur. *Vel dicendum*: Si ideo aqua non eſt elementum frigidiſſimum, quia piſces in ea vivunt; ergo etiam terra non eſt elementum frigidiſſimum, quia in terra quædam quoque animantia vivunt.

VI. Diſtinguendum eſt inter cauſam per ſe, & inter cauſam per accidens. Si motus eſſet cauſa per ſe caloris, & quidem proxima, tunc immobilitas eſſet cauſa frigoris. Jam vero motus eſt cauſa caloris per accidens. Licet ergo terra ſit immobilis, non tamen inde ſequitur, quod ſit frigidiſſima.

Quæſtio XVII.

An terra ſit rotunda? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Elementa de ſe & ex propria ſua natura non vendicant ſibi certam figuram, ſed quatenus ſunt partes hujus univerſi habent figuram rotundam.

II. Diſtinguendum eſt inter rotunditatem mathematice ſeu adcuratiſſime ſumtam, ſic ut omnes lineæ à centro ad circumferentiam ductæ ſint æquales; & inter rotunditatem quoad ſenſum. Terra eſt rotunda non mathematice quia in ſe continet montes & multas inæqualitates; ſed quoad ſenſum, id eſt, tali modo, ut ſi quis eam è regione ſuperiori intueretur ſecundum ejus ſuperficiem continentem & ambientē, eam videret & diceret eſſe rotundæ figuræ. Quemadmodum enim tubercula in pomis aliquibus conſpicua, illis rotunditates ſuas non adimunt; ita montes, quantumvis vaſti, non impediunt, quo minus terra phyſice & quoad ſenſum ſit ac dicatur rotunda.

III. Terra vere interſecat Solem circulariter, ſeu in figuram arcus, ſed à nobis non ſic conſpicitur, quia nobis terra major Sole videtur, & ſic ſolum unam partem terræ interſecare, quæ etſi in ſe habeat altiſſimos montes, & profundiſſimas valles, tamen plana videtur, quia reſpectu tantæ molis fere nihil eſt, & terra ad cœlum comparata ſicut punctum ſe habet, unde non poteſt nobis impedire viſionem Solis, niſi per accidens, & ex defectu potentiæ.

IV. Non requiritur in terra figura cubica ad ejus ſtabilitatem ſeu conſiſtentiam

ſed ad hanc ſufficit, quod terra conſtituta eſt in loco ſuo proprio, ex quo ipſo evenit, ut quamcunque habeat figuram loco non dimoveatur.

V. Terra videtur plana propter immenſam ipſius molem; ex maximo enim circulo ſi quis exiguam tantum partem capiat, videbitur illi facere rectam lineam, licet imperceptibiliter incurvetur.

VI. Diſtinguendum eſt inter motum in proprio loco; & inter motum extra proprium locum. Motus in proprio loco arguit figuram; non vero motus extra proprium locum. Quando igitur terra tendens ad primum locum non movetur motu circulari, ſed motu recto deorſum, ille motus fit extra proprium locum; ideo ex eo non poteſt colligi, quod terra non habeat figuram rotundam.

Quæſtio XVIII.

An terra cælo comparata inſtar puncti ſe habeat? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. QUando dicitur, quod terra reſpectu cœli ſe habeat ut punctum, non intelligatur Phyſice & naturaliter eſſe punctum indiviſibile, cum vere ſit corpus trinam dimenſionem habens; ſed habere ſe inſtar puncti idem eſt ac habere inſenſibilem magnitudinem, non abſolute ſed comparate, nempe reſpectu cœli: *Id eſt*, tanta eſt magnitudo cœlorum, ut ſi comparemus ei terræ magnitudinem, terra videatur eſſe veluti punctum; ſicut granum arenæ eſt veluti punctum indiviſibile comparatum cum magno ædificio.

II. Terra comparatur *vel* cum firmamento, aliiſque orbibus ſuperioribus: *vel* comparatur cum orbibus inferioribus: Terra eſt inſtar puncti ſcilicet reſpectu firmamenti aliorumque orbium ſuperiorum, quia ſi cum inferioribus orbibus comparatio fiat, non eodem pacto ſe habet terra ad omnes. Imprimis enim reſpectu orbis Lunæ notabilem obtinet quantitatem.

III. Id quod de terra comparatione cœli dicitur, enunciatum quoque de globo, qui ex aqua & terra conſtat.

Sectio Secunda.

Quæſtio I.

An ſint quatuor primæ qualitates elementares? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. QUatuor hæ qualitates, *calor*, *frigus*, *humor*, *& ſiccitas* non ſunt abſolute primæ exiſtimandæ, ſed primæ inter corporeas & ſenſibiles, ut excludantur qualitates ſpirituales, & quæ non cadunt ſub ſenſum; Item ſunt primæ inter eas, quæ corporibus elementariis inſitæ ac peculiares ſunt, ut removeatur lux, figura, & occulta virtus atque influxus, per quem corpora cœleſtia in ſublunarem mundum agunt, & denique omnia, quæ tam corporibus diſſolubilibus, quam indiſſolubilibus communia ſunt.

II. Omnes aliæ qualitates, quæ vel elementis, vel concretis ex elementis conveniunt, his qualitatibus ſunt poſteriores, ideoque merito hæ dicuntur primæ inter elementares.

III. Potentiæ vitales non poſſunt dici primæ qualitates, quia præſupponunt in ſubjecto commixtionem & temperamentum

tum primarum qualitatum tanquam dispositiones necessarias, ut in eo recipiantur: Nam potentiæ vitales, ut vegetativa, generativa, & loco-motiva, atque etiam potentiæ sensitivæ non possunt recipi, nisi in organo vel parte corporis, aut in toto corpore talis temperamenti, ut debito modo possint suas operationes exercere: quare ordine naturæ, saltem in genere causæ materialis, præsupponunt qualitates primas; sed quia ab eis non procedunt tanquam à causa efficiente, non dicuntur qualitates secundæ.

IV. In elementis, præter quatuor vulgatas qualitates, non dantur qualitates virtuales; quamvis in mistis corporibus insint, quæ resultant ex varia commixtione quatuor primarum qualitatum.

V. Aliqua qualitas dupliciter potest dici prima. 1. Perfectione, quia est aliis perfectior. 2. Causalitate, quia aliarum qualitatum est causa: Et hoc secundo modo quatuor qualitates dicuntur primæ, quia ab istis cæteræ sensibiles & corporales causantur.

VI. Non sequitur; Motus localis prior est motu alterationis: ergo etiam ejus principia, nempe gravitas & levitas priora erunt quatuor primis qualitatibus, quæ sunt principia motus alterationis. Nam motus localis secundum *Aristotelem lib. 8. physs. c. 7.* est prior motu alterationis, si ille in genere sumatur, ut etiam cœlestem lationem, quæ omnem antecedit alterationem, complectitur; si vero in specie consideretur, ut solum motum localem elementorum comprehendit, non est prior alteratione.

VII. Quamvis gravitas & levitas sint causa motus, & motus sit causa caloris, non tamen gravitas & levitas sunt causa caloris, quia motus non est causa per se caloris, sed tantum per accidens: Ideoque gravitas & levitas, quæ dicuntur causæ motus, sunt tantum causæ alicujus causæ per accidens, & non per se caloris.

VIII. Ut calor sit prima qualitas sufficit, quod à nulla alia qualitate alterativa corporibus sublunaribus peculiari oriatur, quod certe verum est, etsi à motu & luce proficiscuntur, quocunque modo id fiat, sive per se, sive per accidens, quia motus non est qualitas; lux vero, etsi sit qualitas, non est tamen peculiaris qualitas sublunaribus corporibus, sed per omnes cœlestes globos diffusa.

IX. Siccitas producitur à calore & humor à frigore non per se, sed per accidens, quatenus scilicet calor resolvendo humidiores partes in vapores, siccas relinquit; & frigus uniendo humidiores cum siccis, impedit ne in exhalationem abeant. Ergo per accidens calor & frigus exsiccant & humectant, per se vero calefaciunt & infrigidant: Unde calor & frigus sunt distinctæ qualitates à siccitate & humiditate.

Quæstio II.

An Aristoteles lib. 2. de gen. & cor. c. 2. quatuor primas qualitates recte definierit? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. NOn definiuntur hæ quatuor qualitates per proprias & internas actiones, e. g. calidum per actum humectandi, &c. 1 *Quia* definitio debet definitum tanquam obscurum declarare, quod sane non fieret, si definirentur qualitates per internas actiones, nemo enim ignorat calorem calefacere. 2. *Quia* elementa considerantur hic quatenus sunt principia corporis misti: ergo

go etiam qualitates elementorum definiuntur per actiones, quas edunt in solis mistis.

II. Per *homogenea* in definitione caloris intelligi debent non solum quæ sunt ejusdem speciei, sed quæ similem habent temperiem, & in unam naturam converti possunt, cum in concoctione diversa alimenta in eandem chyli naturam coeant, & in eodem vase pix & cera liquefacta vi caloris simul admisceantur & congregentur. Sic per *heterogenea* intelliguntur non tantum quæ sunt diversæ speciei, sed etiam quæ diversi temperamenti, nec in unam naturam redigi possunt.

III. Quemadmodum interdum calor per accidens heterogenea congregat; ut quando lutum & paleæ luto permistæ vi caloris ita constringuuntur,& indurescunt, ut separari nequeant, quia calor partes tenuiores in luto aqua madefacto in halitus resolvit atque extrahit: Sic etiam per accidens frigus heterogenea disgregat; qua ratione lacrymæ per frigus intensum hyberno tempore ex oculis exprimuntur, quod fit propter lacrymarum tenuitatem quod non tam cum cæteris crassis corporibus constringantur, quam exprimantur atque à crassis elabantur.

IV. Aliquando calor disgregat res homogeneas, sed etiam per accidens, corrumpendo cujusque temperaturam: ut, vas cum rumpitur calore nimio, quem ferre non potest; quod si possit liquari vas, omnes ejus partes evaderent continua. Quando ergo *Aristoteles* dicit, calorem congregare ea quæ sunt ejusdem generis, intelligit, quando habent dispositionem ut possint congregari: Actiones enim recipiuntur in subjectis, secundum eorum dispositionem & naturam.

V. Saxa frigore dirumpuntur, non per se, sed per accidens, quatenus ipsorum partes nimis constringuntur frigore, & ideo dum se angustius coarctant, coguntur dissociari.

VI. Distinguendum est inter contrariorum effectus primarios, & inter secundarios. Contraria habent contrarios effectus suos primos, unde calefacere tanquam effectus caloris contradicit infrigidare ceu effectui frigoris: in secundariis autem possunt convenire; sic calidum & frigidum conveniunt in actione congregandi secundum aliam atque aliam rationem.

VII. Ignis non facile circumscribitur termino alieno, nempe continentis, quia corpora continentia ob agendi acrimoniam absumit; imo, si undique alieno termino cohibeatur, perit; ut in furno undique obcluso.

VIII. Glacies, licet sit humida, facile tamen continetur termino proprio, quia glacies habet etiam siccitatem aliquam admixtam ratione cujusdam terrenæ concretionis, & ideo ratione illius siccitatis proprio termino cohibetur.

Quæstio III.

An symbolica elementa in sese facilius transmutentur? Affirm.

Ubi erit facilior corruptio, ibi erit facilior transmutatio; quia corruptio unius est alterius generatio. Atqui inter symbolica elementa est facilior corruptio: cum contrarium non inveniat tantam resistentiam ad corrumpendum, sicut in eo, quod sibi per duas qualitates resistit, id est in non symbolico. Ergo, inter symbolica elementa erit facilior transmutatio.

OBSER-

OBSERVATIONES.

I. Elementa ſymbolica dicuntur, quæ habent qualitatem ſimilem, ſeu quæ in una qualitate conveniunt; ex gr. *ignis & terra* ſunt elementa ſymbolica, quia habent qualitatem ſimilem nempe ſiccitatem: *aqua & ignis* ſunt elementa non ſymbolica ſive aſymbola, quia nullam habent qualitatem ſimilem.

II. Facilius tranſmutari in hac quæſtione non idem ſignificat ac pauciora in conflictu amitti, ſed idem eſt ac celerius converti.

III. Inter elementa ſymbolica quæ qualitatem paſſivam, ſc. ſiccitatem vel humiditatem, habent communem, facilior erit tranſmutatio, quam inter elementa, quæ qualitatem activam, ſc. calorem vel frigiditatem, habent communem.

IV. Eſt quidem eadem proportio unius ad unum, quæ eſt duorum ad duo, ſcilicet cæteris paribus; id eſt, quando tantam proportionem & convenientiam habent duo ad duo, quam habet unum ad unum: Cum vero in ſymbolicis ſit major proportio, quam in non ſymbolicis, igitur non tanta erit difficultas in ſymbolicis propter unã qualitatem corrumpendam, quanta in non ſymbolicis propter duas.

V. Dum dicimus ſymbolica facilius tranſmutari, hoc intelligimus, ſi cætera ſint paria; ſi enim non eſſent omnia paria, poſſet inter non ſymbolica facilior eſſe tranſmutatio, ut ſi materia iſtorum non eſſet æqualis, impedimenta ex parte ſymbolicorum per accidens majora, & ſimilia: Hinc videmus guttam aquæ citius abſumi à magno igne quam pars parva terræ, quia terra, ſub qua multum eſt materiæ, magis reſiſtit quam gutta aquæ, quæ facilius conſumitur. Item aquæ portiuncula, quæ ob ſuam exiguitatem parum reſiſtit, celerius in ignem abit, quam magna aeris portio: cum tamen ignis & aqua inter non ſymbolica, aer & ignis inter ſymbolica numerentur. Sed hoc ex accidente evenit, ut patet.

VI. Diſtinguendum eſt inter actionem majorem, & inter actionem faciliorem. Ubi eſt contrarietas, ibi quidem major eſt actio, quia contraria reagunt; non vero ibi eſt etiam facilior actio, quia facilitas tranſmutationis non eſt repoſita in contrarietate, ſed in minori reſiſtentia. Quamvis igitur non ſymbolica ſint magis contraria quam ſymbolica, cum opponantur in utraque qualitate, tamen ex eo non poteſt colligi quod ſit facilior tranſmutatio.

Quæſtio IV.

An qualitates elementorum ſymbolicæ differant ſpecie? Negat.

QUæcunque diſtinguuntur ſpecie ſe mutuo non intendunt: quia intenſio qualitatum fit additione graduum ejuſdem ſpeciei, ex quibus una totalis conſurgit. Qualitates ſymbolicæ ſe mutuo intendunt & augent: Calor enim ignis intendit calorem aeris, & frigus aquæ augetur a frigiditate terræ. Ergo qualitates ſymbolicæ non diſtinguuntur ſpecie.

OBSERVATIONES.

I. Symbolicæ qualitates dicuntur, quæ ſub eodem nomine pluribus elementis inſunt: ut, calor aeri & igni, humiditas aquæ & aeri, ſiccitas terræ & igni, frigiditas terræ & aquæ.

II. Quamvis elementa ſpecie diſtinguantur, non tamen eorum qualitates, v.g. calor ignis & calor aeris, etiam ſpecie differunt: Nam cygnus & nix ſpecie diſtinguuntur

guuntur, & tamen una est horum albedo secundum speciem; unde diversitas subjectorum est materialis, & non formalis & specifica.

III. Distinguendum est inter rerum specie distinctarum proprietates quarti modi & reciprocas, quæ specie distinguuntur; & inter rerum specie distinctarum proprietates secundi modi & non reciprocas: quales sunt symbolicæ illæ qualitates respectu eorum elementorum specie differentium quibus insunt. Non enim v. g. calor est proprietas ignis reciproca, & quarti modi, sed tantum secundi, qui modus proprii est improprius, & ideo etiam potest aeri convenire: reciproca vero proprietas ignis (*& idem judicium de aliis elementis*) est combinatio duarum qualitatum siccitatis & caloris, quæ in nullo alio elemento reperitur.

IV. Est quidem siccitas in elemento terræ conjuncta cum densitate extrema; in elemento vero ignis cum raritate summa; ex eo tamen non sequitur, quod siccitas ignis & terræ differant specie; alioqui albedo in pomo amaro, & in lacte dulci distinguerentur specie. *Deinde*, raritas in igne non provenit ex sola siccitate, sed ex calore summo cum siccitate dominante; quæ complicatio cum non conveniat terræ, nihil mirum si tantam densitatem obtineat, ignis autem tantam raritatem; quod similiter quoad levitatem & gravitatem accidit.

V. Distinguendum est inter actionem immediatam, à qua specifica convenientia qualitatum petenda; & inter actionem mediatam. Humiditas aerea & aquea habet eandem specie actionem immediatam, quæ est humectatio, licet non eandem actionem mediatam, nec eundem specie effectum vendicet; nam humiditas aquea extinguit ignem, aerea fovet nutritque, ut videre licet in oleo & cera. Conservat itaque humiditas aerea ignem, non per se duntaxat ac vi sua, sed ob pinguedinem: aqua vero etiam præcalida & fervens igni superinjecta, eum ob suam crassitudinem suffocat, removendo aerem, sine cujus adpulsu & ventilatione neque flamma nec alius quivis ignis conservari potest.

VI. Calor ignis non differt specie à calore aeris, quamvis ille non possit esse cum summo humido, quemadmodum hic; id enim est propter intensionem majorem vel minorem, non tamen ob differentiam specificam: Sicut calor ut sex non potest esse cum frigiditate ut quinque, at calor ut tria potest; non tamen ob id colligitur calorem ut quinque, & calorem ut tria specie differre. Compatitur igitur caliditas aeris secum humiditatem, quia non est in summo caliditatis gradu, sicut caliditas ignis.

VII. Calor elementaris non differt specie ab animali & cœlesti. Nam tactus, qui tactilium qualitatum, de quarum numero est calor, optimus judex est, aliam differentiam non agnoscit inter omnes calores, à quocunque proficiscantur, quam accidentariam penes excessum & defectum, seu majus & minus, quæ speciem non mutant, sed accidentariò tantum discriminant.

Quæstio V.

An qualitates primæ sint elementorum formæ substantiales? Negat.

I. Quod uni est substantia, alteri non est accidens. At qualitates mixtis sunt accidentia

accidentia. Ergo elementis non sunt substantiæ.

II. Nulla forma substantialis est per sese sensibilis tactu. Qualitates sunt per se sensibiles tactu. Ergo non sunt formæ substantiales.

III. Substantiæ non sunt sibi invicem contrariæ. Qualitates sunt sibi invicem contrariæ. Ergo qualitates non sunt formæ substantiales.

OBSERVATIONES.

I. Corpus dupliciter considerari potest: 1. Ut est substantia composita ex materia & forma substantiali. 2. Ut est corpus sensibile: & hoc secundo modo, *Arist. l.* 2. *de Gen. & cor. c.* 2. *t.* 7. dicit, primas qualitates esse principia corporis sensibilis, ut sensibile est, & esse formas accidentales corpus sensibile qualificantes.

II. Distinguendum est inter differentias primas, essentiales, & maxime proprias; & inter differentias secundas, & accidentales. Qualitates primæ sunt elementorum differentiæ, non primæ, essentiales, & maxime propriæ, sed secundæ, & accidentales, nobis scilicet notæ, quia ignoramus intrinsecas differentias, & ita per notiores explicamus: Quando enim differentiæ rerum occultæ sunt, accidentia illis maxime conjuncta pro illis sumuntur.

III. Elementa in sua substantia non sunt contraria, sicut nec aliæ substantiæ inter se, sed ratione suarum qualitatum. Postquam enim, *Arist. l.* 2. *de gen. & cor. c.* 8. *t.* 49. dixit, *elementa esse contraria*, statim declaravit dicens, *prout contingit substantiam substantiæ contrariam esse*; ac si dixisset, illa contrarietas est in elementis, quæ substantiis permissa est, scilicet secundum suas qualitates.

IV. Quamvis ablatis qualitatibus elementa ipsa auferantur, & positis ponantur, non tamen qualitates sunt formæ elementorum substantiales, quia etiam propriæ passiones inseparabiliter inhærent substantiæ suæ propriæ. Ablato igitur calore aufertur ignis, non primo, sed quia calor ablatus aufert ipsam formam. Et hoc idem dicatur de aliis elementorum qualitatibus.

V. Distinguendum est inter agens, sive principium motus primum, & principale; & inter principium motus secundum, quod dicitur instrumentale, & secundarium, ut sunt primæ qualitates, & hoc potest esse accidens. Præcipuæ elementorum actiones oriuntur à primis qualitatibus, tanquam ab instrumentis formarum substantialium, principalius vero ab ipsis formis, quas oportet à qualitatibus distinctas esse.

VI. Essentia elementorum cognoscitur quidem à qualitatibus tanquam à posteriori, ipsæ autem non largiuntur essentiam elementis, sed proxime ab ipsa fluunt.

Quæstio VI.

An actio sit in agente, an vero in patiente?

Negat. prius, & Affirm. posterius.

I. IN quo subjective est terminus actionis, in eo subjective est ipsa actio. Sed terminus actionis est in patiente: ex. gr. cum ignis calefacit aquam, calor productus, qui est terminus calefactionis, non est in igne calefaciente, sed in aqua. Ergo etiam ipsa actio est in patiente.

II. Si actio transiens esset in agente, agens per eam mutaretur. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens. *Consequentia*

quentia probatur præsupponendo agens actione transeunte aliquando agere, aliquando non; quod patet in magnete, qui aliquando trahit ferrum, aliquando non. Ponatur igitur agens antea non egisse, jam autem agere, certum est ipsum esse mutatum, si in eo est actio, quia illud mutatur, in quo jam est aliquid quod prius in eo non fuit.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter actionem immanentem, quales sunt volitiones & cognitiones; & inter actionem transeuntem. Non est hæc quæstio de actione immanente, quæ non est extra suum principium effectivum: sed tantum quæritur de actione transeunte, per quam fit mutatio subjecti exterioris.

II. Duplex est forma denominans: una denominans intrinsece, alia vero denominans extrinsece. Forma quæ denominat intrinsece subjectum, est in eo tanquam in subjecto; quemadmodum albedo, quæ denominat parietem intrinsece album, est in pariete tanquam in subjecto: Forma vero quæ denominat subjectum aliquod extrinsece, minime in subjecto denominato continetur; quemadmodum locus denominat rem locatam extrinsece, qui quidem non est in illa, sed in corpore locante. Hujusque generis est actio, quæ denominat agens extrinseca denominatione, cum tamen non sit in agente, sed in patiente.

III. Distinguendum est inter principium actionis, & inter subjectum. Cujus est potentia, illius etiam est actio, scilicet tanquam principii à quo fluit, quia actio fluit à subjecto habente potentiam agendi: Illius vero cujus est potentia agendi non est actio, scilicet tanquam subjecti, ita ut in subjecto in quo est potentia debeat etiam esse actio: Sic potentia creandi est in Deo, in quo tamen non est creatio.

IV. Actio immanens est perfectio agentis; actio transiens non est perfectio agentis, sed patientis. Si enim actio transiens esset perfectio agentis, agens per eam perficeretur, & sic mutaretur, quod est absurdum.

V. Illud, in quo est actio sub ratione actionis, denominatur agens: in quo vero est sub ratione passionis, illud non debet denominari agens. Et ita quamvis actio sit in patiente, non tamen dicitur patiens agere, quia non est in eo sub ratione actionis, sed sub ratione passionis: non enim est in patiente ut fluit ab agente, hæc enim est propria ratio actionis, ut actio est; sed ut recipitur in patiente, quæ est peculiaris ratio passionis.

VI. Non sequitur, nulla passio est in agente, quatenus est agens, ergo nec ulla actio est in patiente, quatenus est patiens: quia de ratione patientis est ut aliquid in se recipiat, & ut ipsi aliquid insit; sed de ratione agentis est, non ut ipsi aliquid insit, sed ut ab eo aliquid fit.

VII. Distinguendum est inter effectum secundum esse & denominationem, quemadmodum album est effectus albedinis; & inter effectum secundum denominationem, non tamen secundum esse, quemadmodum vestitum esse est effectus vestium, & esse locatum est effectus loci. In subjecto in quo est effectus secundum essentiam & denominationem reperiri etiam debet forma denominans, non tamen esse necesse ut in subjecto, in quo est aliquis effectus secundum solam denominationem, sit etiam forma denominans. Licet igitur agere, quod est effectus agentis, sit in agente, non tamen etiam actio, quæ est forma denomi-

nominans, in ipso reperitur, quia agere est effectus agentis secundum solam denominationem.

VIII. Actio illa, qua plura ligna ab uno igne incenduntur, sumi potest dupliciter; 1. Ut fluit ab igne. 2. Ut recipitur in lignis. Primo modo actio illa est una numero quia fluit ab uno igne numero: Secundo modo non est una numero, sed multiplex, quia ligna, quæ sunt subjecta, sunt multa numero. Unde quamvis actio sit in passo non tamen inde sequitur, idem accidens numero esse in diversis subjectis.

IX. Quamvis in eodem subjecto in quo est relatio, sit etiam fundamentum illius, non tamen ex eo potest colligi, quod actio sit in agente; quia fundamentum relationis in agente non est actio, sed vis & facultas agendi; actio enim tantum est modus quidam, sive conditio sine qua non; facultas vero sive vis agendi in agente, sicut & ipsa relatio, reperitur.

Quæstio VII.

An inter agens & patiens detur actio reciproca? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Dicitur hic agens agendo pati, cum sic agit in passum, ut etiam passum agat in ipsum, & hæc passi actio reactio est: v. g. aquam calefacit manus calida, ita ut aqua, quæ patitur, frigefaciat manum, tunc manus agens repatiatur.

II. Hæc quæstio non de qualibet actione, sed de physica, atque ea præsertim quæ in quatuor primis qualitatibus versatur, intelligi debet. Excluduntur ergo res spirituales; cum enim illæ non agant actione transeunte, sed immanente tantum, una non potest in aliam agere, nec una ab alia pati, & sic in illis reactio & repassio non reperiuntur.

III. Duplex est reactio: Una quæ fit per contrarias qualitates; ut, si ignis per calorem agit in aquam, & vicissim aqua per frigiditatem in ignem: Altera est secundum qualitates non contrarias, sed tantum diversas; ut, si ignis ageret in aquam per calorem, & aqua in ignem per humiditatem. Quæstio hæc intelligatur non tantum de posteriori, sed etiam de priori reactione.

IV. Distinguendum est inter actionem inchoatam & imperfectam, qua agens passum non totum immutat, sed saltem labefactat, atque aliquem qualitatis gradum ipsi imprimit; & inter actionem perfectam & completam, qua agens omnino sibi simile patiens reddit. In priore actione semper agens repatitur in agendo, & patiens contrarium reagit in agens, modo sit in debita distantia & quantitate, & etiam fiat actio per contactum corporeum: In posteriori vero actione non ita datur reactio, nihil enim aliquid perfecte potest destruere, & simul ab eodem destrui.

V. Unum & idem in reactione est fortius & debilius, sed diverso respectu; fortius in agendo, & infirmius in resistendo: v. g. Si calidum ut quatuor agens in frigidum pariter ut quatuor, ab ipso frigido repateretur, frigido diceretur fortius in agendo, quia revera in ipsum ageret per qualitatem activiorem, nempe calorem; infirmius tamen in resistendo, quia qualitas frigidi, nempe frigus, majoris est efficacitatis ad resistendum, quam qualitas calidi, nempe calor.

VI. Quamvis detur actio reciproca, nihilominus tamen agens potest sibi adsimilare passum: fortius enim agens progressu

gressu temporis ita debilitabit & franget vires inferioris, ut amplius reagere non possit, sed subcumbat, omninoque superetur.

VII. Distinguendum est inter motum localem, & inter motum alterationis. Licet non omne quod aliud loco movet ab eo moveatur, ut patet in magnete adtrahente ad se ferrum, & in eo qui lapidem dejicit, aut jaculum intorquet; non tamen inde sequitur, quod nulla detur reactio in alterabilibus, ubi est resistentia & contradictio qualitatum. Dispar igitur est ratio in motu locali, & in alteratione, quia resistentia motus localis non est activa. non enim reagit gravitas vel levitas in agens; at resistentia in alteratione, quæ hoc loco intelligitur, est activa, scilicet qualitas contraria.

Quæstio VIII.

An alteratio sit nobilissima motus species? Affirm.

CUjuscunque motus terminus ad quem est nobilior aliorum motuum terminis, ille motus etiam est nobilior. Alterationis terminus ad quem, qui est qualitas, est nobilior aliorum motuum terminis: *Nam* qualitas præstat tum quantitati, quæ est terminus augmentationis; tum ubi, quod est terminus lationis. Ergo etiam alteratio est nobilior reliquis motibus.

OBSERVATIONES.

I. Vocabulum *motus* hac in quæstione sumitur stricte, ita ut generatio non sit motus: Si vero late loquendo generationem etiam vocari velimus speciem motus, tum sane generatio nobilior esset alteratione; cum generationis terminus sit substantia, alterationis vero solùm accidens.

II. Alteratio dupliciter potest comparari cum latione sive motu locali: Primo, ratione termini; & sic alteratio est nobilior motu locali, quia qualitas, quæ est terminus, est nobilior quam ubi. Secundo, ratione mobilis; & sic alteratio est imperfectior quam latio. 1. Ratione universalitatis, quia motus localis convenit corruptibilibus & incorruptibilibus, scil. corporibus cœlestibus; motus vero alterationis competit tantum corruptibilibus rebus: 2. Ratione majoris uniformitatis & invariabilitatis quia in motu locali solum diversa ubi adquiruntur; in motu alterationis vero adquiritur nova forma, vel novus modus formæ. Et hoc modo *Aristot. l.* 8. *phys. c.* 7. motum localem inter omnes species motus primatum obtinere dixit.

III. Distinguendum est inter munus sustentandi, & inter munus operandi. Quamvis quantitas quoad sustentandi officium propinquior sit substantiæ quam qualitas, non tamen quantitas sive motus ad quantitatem est præstantior qualitate sive motu ad qualitatem, quia aliud est munus, cujus merito qualitas substantiæ vicinior evadit, nimirum operationes exequi; siquidem qualitas est principium immediatum operandi, quantitas vero nullam agendi vim obtinet. Constat autem præstantius quid esse operari quàm sustentare more subjecti; illud enim actum, hoc vero potentiam denotat.

IV. Licet enim quantitas possit dici sequi formam, quoad modum seu præscriptionem mensuræ; tamen si absolute spectetur quantitas, dicitur sequi materiam, qualitas vero sequitur formam, scilicet in operando, & ista est propria consecutio formæ. Ergo quantitas non est judicanda nobilior qualitate.

V. Motus

V. Motus localis circularis ab *Arist. l. 8. phys. t. 76.* dicitur mensura aliorum motuum, scilicet causalitate, uniformitate, & duratione ; & his modis motus localis circularis aliis motibus præstat : Sed ratione termini non est nobilior alteratione.

Quæstio IX.

An detur substantialis generatio ? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. NEgandum est, quod res naturales sint substantiæ simplices, vel quod uno tantum simplici principio constent, quia experientia constat, proprias passiones & operationes rei naturalis, quæ à forma & substantia ejus tanquam à radice procedunt, prorsus deficere, & ex consequenti deficere formam substantialem : Aliquid tamen ejusdem substantiæ remanet, quod est materia sub alia nova forma : Ergo res naturales duobus principiis, nempe materia & forma, constant, & ideo sunt generabiles & corruptibiles.

II. Licet materia non producatur de novo, ex eo tamen non sequitur, quod etiam res non generentur, quia totum non ideo dicitur produci de novo, quod omnes ejus partes de novo producantur ; sufficit enim per earum unionem incipere esse illud compositum, quod antea non existebat : *Imo*, si nulla pars producatur de novo, nihilominus tamen potest produci totum, quia totum est substantia illa completa quæ resultat ex substantiali unione partium, de qua verum est, quod ante unionem non erat, licet essent omnes partes, ex quarum unione resultat.

III. Non ens simpliciter sumitur dupliciter : 1. Ut est negatio totius entitatis, & tunc idem est ac nihil, quia negat absolute tam ens in actu, quam potentia : & hoc pacto negari debet substantiam, quæ est ens simpliciter, fieri ex non ente simpliciter, quia ex non ente seu nihilo nihil fit. 2. Ut solum negat ens in actu : & ita concedendum est, substantiam simpliciter fieri ex non ente simpliciter, hoc est, ex non ente in actu, sed solum in potentia, quod est materia.

IV. Substantia fit per generationem secundum essentiam & existentiam : ita quidem ut essentia sit terminus factus, existentia vero modus sub quo fit, vel ratione cujus fit extra causas. Et quamvis essentiæ dicantur æternæ, nihilominus substantia fit per generationem secundum essentiam ; qui essentia dupliciter potest sumi : 1. Secundum connexionem prædicatorum essentialium abstrahentium ab existentia actuali, imo ab entitate reali extra causas, 2. Pro natura reali extra causas ex suis principiis. Sub prima acceptione perpetuæ sunt essentiæ ; sub secunda vero perpetuæ non sunt, sed possunt de novo produci atque incipere.

Quæstio X.

An generatio substantialis ab Aristotele lib. 2. de gen. & cor. t. 23. recte definiatur ? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. VOcabulum *totius* in definitione generationis non omnes corporis naturalis partes significat ; materia enim prima non corrumpitur : Sed integritatem, absolutionem, & perfectionem corporis naturalis, in forma specifica consistentem, quæ inde totum appellatur, quia totam rei essenti-

essentiam complet & perficit. *Vt enim* numeri species mutantur unica unitate demta, ex. gr. septenarius desinit esse septenarius ablata unitate, etsi reliquæ sex unitates maneant: ita ex interitu ultimæ & specificæ corporis naturalis formæ totum mutari & perire dicitur, etsi forma tantum interierit, corpus adhuc supersit.

II. Illud quod vulgo fertur, *Generationem & corruptionem non esse formæ, neque materiæ, sed compositi & totius*, non ita est intelligendum, quasi omnes partes corporis naturalis corrumpantur, vel de novo generentur; materia enim in omni generatione & corruptione superstes manet; sed quod ex ultimæ & specificæ formæ mutatione compositum ipsum mutetur, novamque denominationem accipiat.

III. Distinguendum est inter terminum generationis principalem, & inter minus principalem. Principalis est compositum, idque tantum proprie dicitur generari: Nam cum generatio tendat ad esse rei, id tantum dicetur generari quod per se existit; Forma autem per se non existit, sed duntaxat compositum. Minus præcipuus vero, qui tamen per se formaliter speciem tribuit generationi, est Forma: ideoque etiam generatio recte definiri potest mutatio ad formam.

IV. In nulla substantiali generatione idem subjectum sensibile utriusque formæ, adquisitæ scilicet & deperditæ, manere potest: Etsi enim materia prima servetur, ipsa tamen sensibilis non est.

V. Distinguendum est inter sensibile; & ut est idem subjectum. In generatione potest quidem manere aliquod sensibile; ex. gr. humiditas in generatione aeris ex aqua manet, aer enim humidus est: sed non manet sensibile, ut est idem subjectum; sic humiditas quæ manet, nec formæ aquæ, nec formæ aeris subjectum est, sed accidens.

VI. Generatio denominat materiam secundum commune nomen mutationis, dicitur enim materia proprie mutari; non eam tamen denominat secundum peculiarem notionem ipsius generationis. Nec oportet omne accidens absolute adpellare subjectum cui inhæret, præsertim cum adpellat subjectum principale: Sic v. g. Socrates, qui est subjectum principale generationis, dicitur generari.

Quæstio XI.

An corruptio sit dicenda naturalis? Affirm.

Illud quod rei naturam ejusque principia consequitur, naturale est dicendum. Corruptio rei naturam ejusque principia consequitur; sequitur enim rem corruptibilem corruptio: Nam *si materiam* spectes, ea per corruptionem tanquam medium fertur in formam substantialem, quia materia undiq; perfectionem, quæ est ex varia formarum receptione, adpetit: sin vero *formam* intuearis, eam necessario sequitur corruptio; formæ enim sunt corruptibiles naturaliter, quia ut materiam informent, certas requirunt dispositiones, quibus amissis servari amplius non queunt. Ergo corruptio etiam naturalis est dicenda.

OBSERVATIONES.

I. Naturale tripliciter sumitur: 1, Pro eo quod artificiali & supernaturali opponitur: & sic corruptio est naturalis respectu materiæ subjective, respectu formæ terminative, & respectu compositi; non enim corruptio est opus artificiale vel supernaturale. 2. Pro eo ad quod res ad suam perfe-

perfectionem propendet: Et ſic corruptio eſt naturalis, ſcilicet reſpectu materiæ, quæ formas expetit, ut ſuam perfectionem, quibus non niſi interveniente corruptione potiri poteſt: reſpectu vero formæ & compoſiti, corruptio hoc modo non eſt naturalis, quia forma & compoſitum inſitam à natura propenſionem habent ad tuendum perpetuandumque ſuum eſſe, & ideo ad interitum ut ad ſuam perfectionem propendere nequeunt. 3. Pro proprietate ſequente naturam & conditionem rei: Hoc modo corruptio eſt naturalis omnibus compoſitis ex contrariis, quia eorum continua pugna unum fortificat, & aliud debilitat uſque ad interitum & mortem.

II. Id quod alteri propria contrarietate opponitur, ut calor frigori, non eſt eidem naturale: at corruptio non ita opponitur rei intereunti, ſed eatenus ei contraria adpellatur, quatenus per illam amittit eſſe, ad quod ingenitam habet propenſionem. Nihil vepo obſtat, quo minus id, quod ita adverſarium eſt, naturale eſſe poſſit, ſi naturale ſumatur pro eo quod rei naturam ſequitur.

III. Quæſtio eſt non de morte violenta, quæ per externam vim infertur, & contraria eſt naturali: ſed de corruptione ab intrinſeco, id eſt, per deficientiam caloris naturalis & humidi radicalis. *Deinde*, etiam mors violenta poteſt dici naturalis in ordine ad cauſas, quia naturale eſt animali reſpirare, ſi autem ex. gr. per ſuſpenſionem reſpiratio ſubducatur, oportet animal deficere.

IV. Corruptionem non habere cauſas, bifariam intelligi poteſt: 1. Per ſe, & ſic non habet, ſi formaliter conſideretur, ut eſt non-ens 2. Per aliud, ut eſt privatio eſſe compoſiti, & ſic habet pro cauſa materiali materiam, quæ corruptionem in ſe recipit; pro efficiente, diſſolventem compoſitum; pro finali, ut altera res generetur.

V. Diſtinguendum eſt inter id quod natura intendit per ſe; & inter id quod natura intendit per accidens. Ad corruptionem nulla res tendit per ſe, cum omnia in bonum ferantur: Per accidens vero natura videtur intendere corruptionem, quatenus intendit novam formam ſuſcipere, illamque adpetit; quæ tamen introduci non poteſt, niſi ea, qua informatur, recedat & corrumpatur.

Quæſtio XII.

An unius generatio ſit alterius corruptio; & contra? Affirm.

I. MAteria prima non poteſt eſſe ſub duabus ultimis formis ſpecificis ſimul; alias, una res haberet duos actus ſpecificos ſimul, quod eſt impoſſibile. Adcedente igitur una forma neceſſe eſt ut altera recedat, atque ita ſemper unius ſubſtantialis compoſiti generatio, cum alterius corruptione conjuncta eſt.

II. Materia non poteſt exiſtere ſine forma ſubſtantiali. Cum igitur corruptio fiat per receſſum formæ à materia, neceſſe eſt, aliam formam adcedere, quod eſt generari; atque ſic unius corruptio eſt alterius generatio.

OBSERVATIONES.

I. Diſtinguendum eſt inter ſenſum formalem & identicum; & inter ſenſum qui nexum vel cauſam indicat. Hæc propoſitio, *Unius generatio eſt alterius corruptio*, eſt vera, non in ſenſu formali & identico, generatio enim & corruptio idem eſſe non poſſunt; ſed in ſenſu, qui nexum vel cauſam indicat: *Id eſt*, generatio unius dicitur

tur corruptio alterius, *vel quia* hæc duo mutuo connexa & complicata sunt, ita ut alterum sine altero non detur; *vel quia* unum alterius causa est, quatenus corruptio saltem dispositive causat generationem, generatio quodammodo effective corruptionem: quo loquendi modo eclipsis dicitur interjectio terræ inter Solem & Lunam.

II. Hæc quæstio proprie est intelligenda de eo, quod per se corrumpitur ac generatur: Hoc autem est compositum. Quamvis igitur anima hominis non corrumpatur, tamen compositum sive homo ipse corrumpitur, & sic generatio cadaveris est cum corruptione hominis.

III. Semper corruptio unius formæ substantialis inducit generationem alterius, quia materia non potest existere sine forma: Non tamen contra, semper generatio unius formæ inducit corruptionem alterius. Cum enim homo moritur, generatur forma cadaveris, non tamen corrumpitur anima, quia est immortalis.

IV. Licet anima sit immortalis, secundum quid tamen & improprie in morte corrumpitur, quatenus desinit esse in illo corpore, & non est forma actu. Similiter omnes ejus dispositiones corrumpuntur, & potentiæ, quas communes habebat cum corpore, sicut sunt potentiæ vegetativæ, & sensitivæ. Loquimur enim de forma vel secundum se, id est, secundum suum esse absolutum; vel ut forma dicitur formaliter, id est, quatenus habet actum informandi.

V. Distinguendum est inter generationem substantialem, & inter generationem accidentium. Hæc propositio, *Unius generatio est alterius corruptio*, intelligatur de generatione substantiali, non vero de productione accidentium. Nam generatio unius accidentis interdum amissionem alterius conjunctam habet; ut in primis qualitatibus videre est: interdum vero non habet; ut in productione luminis, & aliorum complurium accidentium.

VI. Quando in animalis nutritione cibus destruitur, est ibi quædam partialis generatio, puta quia nova forma intrat in illam materiæ partem, in qua erat forma cibi præcedens.

VII. Quamvis unius generatio sit alterius corruptio, non tamen inde sequitur quod semper sit idem numerus individuorum; quia ex una materia possunt produci plures formæ, ut, ex uno cadavere plures vermes, & ex pluribus materiis potest fieri informatio unius formæ, ut, dum homo ex multis nutritur, unde non est una ratio multiplicationis, & ideo generatio & corruptio sibi succedunt, sed non in numero.

Quæstio XIII.

An elementa secundum suas formas maneant in mixto? Neg.

I. SI elementa permanent in mixto secundum proprias formas substantiales, vel præter illas habet mixtum aliam substantialem formam; vel non: Si non habet aliam, sequitur nullum dari mixtum animatum, quia forma elementorum non sunt animæ, imo nec mixta corpora distingui specie inter sese, neque ab elementis. Si vero dicatur habere aliam formam, sequitur in singulis partibus materiæ dari duplicem ad unitus formam, quia forma mixti, quæ datur distincta à formis elementorum debet informare totam materiam

teriam elementorum, ut totum corpus sit mixtum. Ergo debet etiam informare singulas partes ejus. Et sic nullum mixtum esset unum per se, quia multis formis substantialibus constaret.

II. Elementa, quæ miscentur, suasque formas substantiales retinent, aut in eodem situ permanent, aut in diverso. Sed neutrum dici potest. Non primum, quia cum quodlibet elementum sit aliquod corpus, multa in eodem loco & simul esse possent corpora, quod naturaliter fieri nequit: Neque item secundum, quia si elementa illa sunt in diverso situ & loco, non omnis pars mixti erit ex illis mixta, quia in qualibet parte non erunt elementa, sed unum in una, & aliud in alia parte.

OBSERVATIONES.

I. Non sequitur ubicunque est affectio alicujus subjecti, ibi etiam est subjectum: quia in aqua calefacta est calor, qui est affectio ignis, & tamen ipse ignis in aqua non est: ideoque hæ limitationes adhibendæ sunt. 1. Ubicunque est propria affectio alicujus subjecti, scilicet eo modo & in eadem perfectione, qua insidet in subjecto ac propria est, ibidem etiam est ipsum subjectum & subjecti forma. Affectiones autem seu qualitates elementorum insunt mistis, non in eo gradu & perfectione qua sunt proprie affectiones elementorum, sed refractæ & ad temperiem redactæ. 2. Ubicunque est passio alicujus subjecti, ibi est ipsum subjectum, scilicet vel materialiter vel formaliter. Elementa igitur sunt in mixtis non formaliter, sed tantum materialiter.

II. Mixtio dupliciter consideratur. 1. Præcise prout non includit prævias alterationes: atque sic elementa in mixtione non alterantur, 2. Adgregate prout simul cum alterationibus prævliis sumitur, atque sic elementa in mixtione alterantur: cum enim fit mixtio, elementa dividuntur in parvas particulas, & conjunguntur inter sese, postmodum mutuo in se invicem agunt, qualitates quoque refringunt, ac ob id Aristoteles mixtionem definit per unionem *alteratorum*, quia dum mixtio est, elementa alterata sunt, mixtione vero perfecta & finita, mixtum manet: in hoc autem elementa destructa sunt.

III. Distinguendum est inter mixta considerata absolute, prout consideratur ipsorum substantia; & inter mixta considerata comparate, respectu virtutum & qualitatum elementorum. Si mixta absolute considerantur, æque sunt simplicia ac elementa; sicut enim elementa ita etiam mixta essentialiter solum ex materia & forma constat: Si vero comparate considerantur respectu virtutum & qualitatum elementorum, in quæ omne mixtum est resolubile, tunc elementa longe sunt simpliciora mixtis. Corpora igitur mixta dicuntur mixta, non quod formas substantiales habeant magis compositas, sed quod ex quatuor qualitatibus congruentur adtemperatis constent.

IV. Distinguendum est inter elementi formam; & inter elementi virtutem. Ut mixtum moveatur motu elementi prædominantis, non opus est aliquod elementum prædominans secundum formam suam in mixto esse, sed sufficit, ut adsit ejus virtus & qualitas, quæ in tali mixto dominatur: Unde etiam mixtum movetur motu quo elementum prædominans movetur.

V. Quando *Arist. l. 1. de gen. & cor. c. 10. t. 84.* dicit, *ea quæ miscentur non interire*, loquitur de corruptione, qua

nihil

nihil rei corruptæ manet præter materiam, sic enim non intereunt elementa, quia remanent secundum virtutes & qualitates, licet non secundum formas substantiales.

VI. Cum elementum *l.* 5. *Metaph. c.* 3. t. 4. definitur *id ex quo quidpiam fit ita ut insit*, verbum *inesse* late sumendum est, nimirum pro inesse actu vel potentia. Quod ipse Aristoteles monuit *l.* 3. *de cælo c.* 3. *t.* 31. hisce verbis, *Sit igitur id corporum elementum in quod cætera dividuntur, in quibus inest potentia aut actu.*

Quæstio XIV.

An temperamentum sit quinta qualitas à primis diversa? Negat.

RElìquæ qualitates vel superstites manent in mixto, vel iis in congressu pereuntibus illa quinta nova qualitas tantum viget. At horum neutrum dici potest: *Non primum*, quia supervacanea tunc erit ejusmodi quinta qualitas; omnes enim ejus functiones, nempe calefactio, refrigeratio, humectatio, & exsiccatio abunde præstari possunt à quatuor istis primis qualitatibus: *Neque etiam alterum* dici potest, quia cum una qualitas sibi ipsi non adversetur, nulla jam esset in genito contrariorum repugnantia, atque ita res viventes non circumferrent secum internam causam morbi, senii, interitus; quod falsum & à communi philosophorum sensu alienum.

OBSERVATIONES.

I. Naturales temperamentorum virtutes in peculiari aliqua qualitate, quæ in singulis membris pro cujusque munere variatur, non consistunt: Nam si ventriculi temperamentum ad aliud membrū transferretur, cum iis quæ ventriculum ad concoctionem perficiendam juvare solent, cujusmodi sunt vicinia cordis, jecoris, lienis & diaphragmatis, id membrum gignendi chyli vim haberet.

II. Distinguendum est inter formam substantialem, & inter formas accidentarias. In quolibet composito non nisi una forma substantialis dari potest: At nihil obstat, quo minus plures formæ accidentariæ in eodem simul inveniantur, præsertim cum reipsa dari aliunde etiam ratio convincat.

III. Etsi causæ adventitiæ aliquantulum intendant minuantue qualitates, quarum moderatione temperamentum continetur; ex. gr. corpus humanum à vini potu, æstu, balneis, exercitatione incalescit vehementius, sicuti & ex contrariis causis refrigeratur: non tamen proinde dici potest corpus aliud temperamentum adsumere, quia semotis iis causis mox se ad pristinam constitutionem revocat, nisi forte earum adpulsus acer nimis & diuturnus sit, tunc enim contingit ut corpus à proprio temperamento omnino desciscat, & ad aliam habitudinem, quam impos erum servet, traducatur.

IV. Temperamentum dicitur proportio primarum qualitatum; non quod temperamenti esse in ipsa proportionis relatione consistat, sed quia ejusmodi relationem quasi connotatam necessario importat; ac si diceretur temperamentum esse primas qualitates sub certa proportione.

Sectio

Sectio Tertia.

Quæstio I.

An Anima sit Accidens? Neg.

QUidquid tanquam pars essentialis constituit substantiam, illud est substantia. Anima tanquam pars essentialis constituit una cum corpore substantiam, ipsum compositum, seu corpus animatum. Ergo anima est substantia, & non accidens.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter accidens prædicabile, & inter accidens prædicamentale. Quæstio præsens intelligatur de accidente prædicamentali, quod opponitur substantiæ.

II. Quamvis anima insit corpori, ex eo tamen non sequitur quod sit accidens: Accidens enim ita inest subjecto, ut non sit pars; anima vero est pars, licet non corporis, cui inest, tamen alicujus tertii, quod una cum corpore constituit, nimirum compositi, seu corporis animati.

III. Dissoluto temperamento corporis statim quidem perit animal, quia non potest corpus ab anima informari, nisi congrua ad vitam dispositione præditum sit; sed ex eo non potest colligi, quod anima sit temperamentum, & per consequens accidens: Nam quo deficiente, ut forma substantiali, à qua recipit esse, moritur animal, illud est anima; non vero quo deficiente ut dispositione necessaria ad conservationem formæ in materia, qualis necessaria dispositio ex parte corporis est temperamentum.

IV. Passiones atque operationes diversæ duobus modis adtribuuntur alicui: *vel* tanquam causæ principali & principio à quo procedunt, & hoc est anima; *vel* tanquam causæ disponenti materiam, & hoc est temperamentum, ex cujus variatione variantur passiones, vel diversæ procedunt, quia variata dispositione, alio modo se habet anima in corpore, & variata ratione materiali passionis, variatur etiam formalis ratio ejus.

Quæstio II.

An Anima ab Aristotele l. 2. de anima c. 1. t. 6. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

QUando *Aristoteles l. 2. de anima c. 1. t. 11.* post traditam definitionem dicit; *Hoc igitur* τύπῳ, *id est, universaliter, sive in communi de anima determinatum descriptumve sit:* Non significat, quod quodammodo solum sive minus adcurate & perfecte animam descripserit; sed quod plenius & exquisitius singulæ animæ & earum potentiæ, quæ generali tantum ratione descriptæ fuerant, deinde ab ipso explicandæ.

II. Vocabulum ἐντελεχείας tripliciter sumitur: 1. Pro accidentali perfectione seu actu imperfecto, quando videlicet res de imperfectione ad perfectionem accidentariam tendit, vel quando habet aliquos perfectionis gradus, & porro jam aliquos adquirit, cujusmodi ἐντελέχεια motus est. 2. Pro operatione, quæ à forma oritur, & dicitur actus secundus. 3. Pro completa & absoluta perfectione, quæ significat ipsam formam, & dicitur ἐντελέχεια πρώτη, actus primus. In qua posteriori significatione hic accipitur.

III. Per vocabulum *corporis physici* vel *naturalis*

naturalis excluduntur tum corpora artificialia, quæ anima non informat, & si aliquando moventur, principium istius motus non est internum, sed externum, videlicet ipsum efficiens; tum formæ separatæ, quæ quidem ἐντελέχειαι primæ sunt, sunt vero ἐντελέχειαι corporis, illudque informant. Unde hæc definitio competit neque intelligentiis, cœli (*juxta nonnullorum sententiam*) motricibus, quæ corpus cœleste non informant, sed duntaxat adsistunt; neque angelo respectu corporis adsumti, quia non est actus seu forma talis corporis, sed tantum motor.

IV. Esse actum primum corporis, vel illud informare, dupliciter sumi potest: 1. Pro actuali exercitio informandi & actuandi, & est animæ accidentale, h. e. ad essentiam animæ non pertinet. 2. Pro aptitudine ad exercitium illud, quæ ad essentiam animæ pertinet, & in definitione intelligitur: Quando enim natura definiti non in solo actu, sed in actu vel in aptitudine consistit, verba definitionis ejus unum vel alterum importare censendum est.

V. Quando *Arist. l. 2. de an. c. 1. t. 21.* dicit, *quasdam partes à corpore esse separabiles, propterea quod nullius corporis sint actus:* per illas partes non intelligit animam rationalem, quasi illa non esset actus corporis; sed loquitur de quadam potentia ejus, quæ est intellectus, de quo verum est, non esse potentiam organicam, sicut sensus, & ideo nullius corporis esse actum, h. e. nullam partem corporis informare, sed inhærere in anima immediate.

VI. Per vocabulum *organici* excluduntur, corpora physica similaria & inanimata, quæ non sunt organica, h. e. prædita certis atque multiplicibus organis, quæ anima, ut functiones suas plurimas simul & diversissimas possit obire, requirit. Unde res inanimatæ non habent illa organa, quæ requiruntur ad seipsa perficienda, ultra eam perfectionem quam habent in primo instanti generationis: Viventia vero habent organa apta ut se quotidie perficiant, & consequenter habent qualitates altioris ordinis, quales exiguntur ad vitales functiones. Licet igitur nonnulli lapides videantur habere organizationem, tamen quia carent dispositionibus ad vitam aptis propter defectum excellentiorum qualitatum, ideo corpora organica non sunt.

VII. Nomine *organi* duo importantur: 1. Certæ figuræ compositio cum temperie adcommodata: Et sic organum antecedit animam prioritate naturæ in genere causæ dispositivæ & materialis, quia sic est præparatio necessaria ad introductionem animæ in materiam. 2. Potentia vitalis, quæ propria organi forma est, & cujus propria actus est vitalis operatio, per idem organon tanquam per instrumentum exercenda. Unde organa in corporibus illis ab Angelis adsumtis, etsi veræ res sint, non tamen sunt vera propriaque organa, illis enim non inhærent tales potentiæ.

VIII. Per illa definitionis verba, *vitam habentis in potentia*, distinguitur anima à forma cadaverica, & aliis præ se ferentibus nescio quam organorum speciem, quæ licet habeant ea organa, sunt tamen inepta ad quemvis vitalem usum. Unde organa quæ sunt in cadavere, non sunt absolute organa, sed quædam illorum simulacra.

IX. Actus importat non solum ordinem ad propriam potentiam, hoc est, materiam, quam aptus est informare, sed etiam

am ad proprium effectum formalem, nempe ad compositum, quod cum ea constituere aptus est: & hoc compositum, nempe animatum, quamvis sit effectus animæ, ideoque in genere causæ formalis posterius, & secundum naturam ignotius; nihilominus tamen, cum ex alia parte sit etam finis proximus ejusdem animæ, cujus gratia facta est à natura, in genere causæ finalis natura prius & notius est quam anima.

Quæstio III.

An anima ab Aristotele l. 2. de anima c. 2, t. 24. recte definiatur? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. IN superiori definitione, *l. 2. de anima c. 1. t. 6.* definita fuit anima respectu corporis, quod informat: Hic vero *l. 2. de anima c. 2. t. 24.* definitur respectu operationum, quas in corpore edit.

II. Hæc definitio non est multiplex, sed una, per quam definitur non aliqua species animæ in particulari, sed anima in communi, quia colligitur ex contextu cap. 2. voluisse *Aristotelem* definire animam eandem prius à se definitam. Definitum autem prioris definitionis est unum, & animæ in communi. Ergo etiam hujus.

III. Ratio communis animæ, sicut quælibet alia generica, dupliciter sumi potest. 1. Ut se in tantum consideratur abstracta à suis speciebus, hoc est, sine ullo ordine extensionis ad easdem species: Sic anima accipitur in communi prima definitione, in qua nihil ponitur per quod talis extensio significetur. 2. In ordine ad easdem species, in quantum ad illas se extendit, & per eas contrahi potest: Sic sumitur anima in communi, ut est definitum hujus posterioris definitionis, nimirum ut se extendit ad animam vegetativam, sensitivam, & rationalem, quam extensionem explicare voluit Aristoteles per proprias operationes in eadem definitione positas.

IV. Distinguendum est inter sensum compositum, & inter sensum divisum. Verba hujus definitionis non sunt accipienda in sensu composito, cum non quælibet anima sit principium, quo simul vivimus, sentimus, & intelligimus; sed in sensu diviso, non quidem ut singula verba disjungantur; quasi dicendum, Anima est id quo vivimus, aut sentimus, aut intelligimus; Sed ita ut disjunctio cum copulatione ad præcedentes partes fiat, dicaturque Anima vel est id, quo primo res aliqua vivit; vel est id, quo primo vivit, & sentit; vel est id, quo primo vivit, sentit & intelligit.

V. Per vocabulum *Quo* debet intelligi principium vitæ internum, quod Deo respectu rerum viventium minime competit: Licet enim Deus cunctis rebus intime illabatur, conferens illis esse, non tamen eas intrinsecus constituit, unde ei posterior hæc animæ definitio non competit.

VI. Vita dupliciter sumitur: vel pro vita substantiali, à qua ut è fonte vitales actiones dimanant; vel pro operatione, & tunc τὸ *vivere* iterum dupliciter sumitur: 1. Prout significat communem rationem omnibus operationibus vitalibus, nempe vegetativis, sensitivis, & intellectivis. 2. Pro speciali operatione animæ vegetativæ, in qua acceptione vivere in præsenti definitione accipitur.

VII. Notanter additur particula *primo*, quia licet corpus, vel pars ejus, ut cor, sit principium vitæ, uti dicit *Aristoteles l.2. de anima c.2. t.24.* tamen hoc ei non convenit nisi ratione animæ, à qua habet quod vivat, & consequenter quod sit vitæ principium. Ergo neque corpus, neque aliqua pars ejus potest esse primum principium vitæ, sed sola anima, cui soli hæc definitio convenit.

VIII. Quamvis anima rationalis in se spectata sit id quod intelligit, collata tamen ad ipsum compositum est id *quo* intelligimus. Unde non absurde in definitione dicitur, *Anima est id quo*, &c.

IX. Hanc posteriorem animæ definitionem proponit Aristoteles, ut per eam demonstret priorem hoc modo: Id quo primo vivimus, sentimus, & intelligimus, est actus primus corporis physici organici vitam habentis potentia. Anima est id quo primo vivimus, sentimus, & intelligimus. Ergo anima est actus primus corporis physici organici vitam habentis potentia.

X. Operationes animæ dupliciter considerari possunt: 1. Ut finis, cujus gratia anima informat corpus. 2. Ut effectus animæ. Si priori modo considerantur, tunc per hanc posteriorem definitionem demonstratur prior animæ definitio à priori: Si vero posteriori modo considerantur, per hanc posteriorem definitionem demonstratur prior à posteriori.

Quæstio IV.

An anima recte distribuatur in Vegetantem, Sentientem, & Intelligentem? Affirm.

TRes esse animarum species vel genera ita probamus. Quot modis anima ex propria natura est principium internum ac radicale vitalis operationis, tot debent distingui genera vel species animarum. Sed tribus modis universalibus est principium omnium operationum vitalium. Ergo tria sunt genera vel species animarum. *Primum genus* constituit anima in communi considerata, quatenus est principium internum ac radicale vitalis operationis per modum naturæ, ad multiplicandam, conservandam, & augendam vitam per se ordinatam sine cogitatione. *Secundum* genus constituit anima in communi considerata, in quantum est principium radicale atque internum operationis vitalis per modum cognitionis imperfectæ, h. e. sensitivæ, vel cognitionem sensitivam consequentis, ut comprehendatur operatio appetitus sensitivi ab eadem anima procedens, atque etiam motus progressivus, qui media eadem cognitione & appetitu sensitivo fit. *Tertium genus* constituit anima, quæ est principium vitalis operationis per modum perfectæ cognitionis, non elicitæ per organum corporeum, nec per potentiam in eo existentem, sed immediate ab eadem anima; & hæc est sola anima rationalis.

OBSERVATIONES.

I. Non consideratur hic anima ut Totum Essentiale, quod dividitur in partes vel physicas, id est, materiam & formam; vel metaphysicas, h. e. genus & differentiam; neque consideratur ut Totum Integrale, quod dividitur in partes integrantes, atque extensas sive per se, sive per accidens: Sed consideratur hic anima ut Totum Universale, quod ut Genus (est autem anima Genus Logicum, ubi sat est, ut sit quoddam commune prædicatum quidditativum, licet non sit natura completa, quemadmodum Genus Physicum) dividitur in suas species.

II. Mem-

II. Membra hujus divisionis dupliciter considerari possunt. 1. Quatenus sunt in uno eodemque subjecto, seu quatenus sibi invicem subordinantur, ita ut sub sentiente sit vegetans, & utraq; sub rationali. Hoc modo membra hujus divisionis possunt dici gradus. 2. In diversis subjectis, hoc est, quatenus per vegetantem intelligitur non sentiens, quæ tantum reperitur in plantis; per sentientem irrationalis, quæ tantum est in brutis, *&c.* Sic membra hujus divisionis non sunt gradus, sed species.

III. Membra hujus divisionis nec omnia sunt genera, nec omnes species sc. specialissimæ. Nam anima vegetans & sentiens, quæ sub se plures continent species, sunt dicenda genera vel species subalternæ; Intelligens vero anima est specialissima, quia in inferiores species ulterius dividi nequit.

IV. Quamvis anima vegetans & sentiens distribuantur in plures species, ex eo tamen non debet colligi, quod anima in plura membra quam illa tria sit dividenda, quia omnes animæ vegetatrices sortiuntur inter se eundem modum operandi; similiter etiam sensitivæ.

V. Ingens error Platonis est, qui putavit plantas sentire, & ita animam sentientem non esse distinctam ab anima vegetante. Si enim plantæ sentiendi vim haberent punctæ aut percussæ doloris significationem darent sese contrahendo vel alio modo se movendo, uti animalia. *Quod viro* utiles succos adtrahunt & inutiles rejiciunt, item salutaria prosequuntur ac noxia declinant, non provenit ex aliqua cognitione sensus: sed illud ex virtute vitali ac naturali utiles succos adtrahente, & inutiles expellente; hoc vero ex interna ac naturali antipathia & sympathia; ut suo modo etiam fœcunditas.

VI. Aristoteles quidem quatuor animatorum vel viventium genera statuit, ex eo tamen non sequitur, quod quatuor etiam sint animarum genera, quia divisio viventium vel animatorum duobus modis sumi potest: 1. Præcise, secundum essentiales gradus vitæ ad invicem separatos; & sic tria tantum distingui possunt animatorum genera, quia tria tantum distinguuntur genera animarum. 2. Non ex solis essentialibus, sed in ordine ad subjecta, nempe animata, in quibus diversum genus potentiæ vitalis reperitur sine aliis, vel ab eis separatum: & sic sumitur ab Aristotele, quando quatuor viventium genera statuit. Primum constituunt animata illa in quibus reperiuntur potentiæ vegetativæ, hoc est, generativa, nutritiva, & augmentativa, sine sensitivis, & intellectivis, Secundum constituunt animata illa in quibus reperiuntur potentiæ sensitivæ cum appetitiva. Tertium constituit potentia locomotiva separata ab eodem gradu sensitivo, atque etiam sine intellectivo reperta in animalibus perfectis. Quartum constituit potentia intellectiva.

Quæstio V.

An Anima sit in toto corpore, an vero in aliqua tantum ejus parte? Affirm. prius. Neg. posterius.

I. Ubicunque anima operatur, illic est, *quia* facultates ejus sine ipsa operari non possunt. Anima operatur non tantum in una corporis parte, v. g. cerebro, vel corde, sed in omnibus, in quibus vitæ operationes cernuntur, omnes enim partes nutriuntur & augentur, Ergo, &c.

II. Si anima non esset in singulis corporis partibus, singulæ partes singulas formas postularent. Sed consequens est falsum, *quia* vivens non esset unum per se, sed per adgregationem multarum formarum; quod nemo dixerit. Ergo, &c.

OBSERVATIONES.

I. Quando anima dicitur per omnes corporis partes diffusa, nec in una tantum parte substantiali residere, id intelligendum est secundum naturalem viventis constitutionem: quando enim corrumpitur & moritur animal, anima prius quasdam partes deserit, quam alias, & ultimò in corde mori dicitur. Sicque anima non in omnibus corporis partibus existit.

II. Distinguendum est inter animam immaterialem & indivisibilem, quæ est rationalis; & inter animam materialem & divisibilem, ut sunt vegetativa & sensitiva. Anima indivisibilis & rationalis tota est in toto corpore & tota etiam in qualibet parte, totalitate essentiali, quia in qualibet parte existit secundum totam essentiam; non tamen totalitate integrali, quia non est totum integrale, cum sit in hoc genere indivisibilis, partibus carens. Anima vero divisibilis, ut vegetativa & sensitiva, est tota in toto corpore totalitate integrali, non tamen tota in qualibet parte, quia non est ea secundum omnes partes integrantes; nec est tota in qualibet parte totalitate potestativa, quia non est secundum omnes potentias & virtutes, licet sit secundum unam vel plures. Sed adhuc anima hæc divisibilis est tota in singulis partibus totalitate essentiali, cum tribuit vitam partibus singulis, & aliquam operationem vitalem.

III. Est quidem anima actus corporis organici, quoniam vero dissimilares partes, quæ vocantur organicæ, componuntur ex similaribus, ut digitus ex carne, osse, & nervis, ideo eo ipso quod anima est actus organici corporis, & organicas partes ejus informat, necesse est etiam, quod informet homogeneas, ex quibus componuntur organicæ; & consequenter est necessarium, quod in omnibus suo modo sit, & omnibus tribuat actum aliquem vitæ, & aliquam operationem vitalem.

IV. Distinguendum est inter mutationem productivam, & adductivam. In nutritione anima crescit non mutatione productiva, quasi de novo animæ aliqua pars substantiæ adcresceret, quod est in formis materialibus: sed adductiva, qua anima virtualiter in magnam longitudinem se extendere potis est, actu se ad certam partem non auget, sed promovet, quemadmodum angelus nunc est in majori, nunc minori spacio pro libertate, nuspiam tamen crescit secundum essentiam.

V. Distinguendum est inter facultates animæ, quæ ab ipsa solum in conservari dependent, eamque etiam extra corpus consequuntur; ut sunt intellectus, voluntas, & memoria intellectiva: & inter facultates animæ à toto composito ex anima & corpore in esse & conservari dependentes; ut sunt omnes facultates vegetativæ, & sensitivæ. Priores facultates sunt cum anima ubicunque existit, & sic intellectus & voluntas æque resident in manu & pede secundum substantiam, ac in capite. Ad posterioris vero generis facultates, quæ scilicet à toto composito & non à sola anima dependent, quod adtinet, anima potest esse sine illis facultatibus, quia licèt eas ex sinu suo profundat, nunquam tamen ipsas potest

test nisi in materia bene disposita effundere, & in certis quibusdam partibus organicis, quæ ad eas facultates suscipiendas sunt bene dispositæ.

VI. Licet intellectus & voluntas æque resideant in pede & manu secundum substantiam, ac in capite: non tamen propterea homo in pede vel manu intelligit, & vult sicut in capite, quia non sunt in illis partibus organa sicut in capite, per quæ traducantur rerum species ad intellectum, ut eliciat intellectionem. *Distinguendum igitur est* inter essentiam; & inter operationem. Anima est in omnibus partibus per essentiam; sed non est in omnibus secundum operationem. Quemadmodum eadem mulier in officina est textrix aulæorum, in taberna eorundem venditrix, in culina coqua, in cubiculo uxor, inter liberos mater: sic anima in diversis partibus diversa obit munia.

VII. Anima dupliciter potest considerari: 1. Ratione informationis, juxta quam est in toto corpore. 2. Ratione motionis & operationis, juxta quam est in corde, tanquam in principe corporis parte Anima igitur dicitur esse in corde, & cerebro, juxta operandi quendam modum insigniorem & eminentiorem.

VIII. Corde vulnerato hominem mori, causa non est, quod anima ibi sit secundum essentiam, ita ut alibi non; sed quia cor est fons caloris nativi, quo pereunte necessaria est animæ solutio. Est igitur anima in corde radicaliter, in reliquis vero partibus derivative, nusquiam tamen exclusa intima ipsius animæ præsentia.

IX. Quamvis anima, *v. g. sensitiva*, sit in qualibet parte animalis substantialiter, non tamen quælibet pars dici potest animal: non enim animal dicitur à sola existentia animæ sentientis in aliqua corporis parte, sed ab existentia ejusdem in omnibus partibus organicis: cum enim anima prædita sit pluribus facultatibus, requirit necessario corporis varia instrumenta, quæ facultatibus correspondeant.

X. Non sequitur, si tota anima est in quavis parte; ergo mota una parte, & altera quiescente, anima simul movetur & quiescit: quia anima proprie non movetur, sed movet. Non est autem absurdum, secundum aliquam corporis partem eam movere, secundum alteram quiescere.

XI. Manu amputata anima nec perit, nec manet separata & scissa, sed retrahitur non sui ipsius duplicatione, sed virtuali ea contractione, qua sine quantitatis augmento vel decremento Angelus se per totum musæum diffundere, & libere in punctum potest contrahere.

XII. Anima consideratur vel secundum essentiam, & sic est tota ubivis: vel secundum extensionem, non quantitativam, sed virtualem; sic totam suam extensionem non habet in quavis parte, sed in hac ut & extra hanc. Ergo evulso oculo non necesse est totum hominem mori, nam illo evulso anima quidem ibi desinit informare, sed non desinit esse: & ita est ibi, ut & alibi extra τὸ τοῦ oculi in reliquis partibus.

Quæstio VI.

An in uno vivente sint plures animæ?

Negat.

ANima in corpore, quod constituit, tantum una est. *Si enim* plures animæ in uno essent corpore, essent etiam plura esse, vel plures essentiæ; & ita in uno composito essent plura individua, quod absur-

dum. Ergo dicendum quod in uno animato corpore non possunt esse plures animæ. *Ergo una*, quia unum esse specificum constituit.

OBSERVATIONES.

I. Neque in eodem animali sunt duæ animæ, vegetativa, & sensitiva; neque in eodem homine duæ vel tres, nempe vegetativa, sensitiva, & rationalis: Sed in animali uno una est anima, & ea est sensitiva, virtute continens vegetativam; & in homine uno una est anima, & ea est rationalis, virtute alias, nempe sensitivam & vegetativam continens.

II. Dupliciter res una aliam virtute continere dicitur; vel quia potest eam producere, quo pacto Deus creaturas omnes, & lux calorem continet: vel quia etsi non possit eam producere, potest tamen exercere operationes & officia, quæ ab illa exercentur. Sic anima rationalis in homine dicitur virtute continere animam sensitivam & vegetativam, quia valet operationes, quæ ab his oriuntur, quatenus sensitivæ & vegetativæ sunt, præstare: etsi nequeat exercere illas, quæ formas specificas brutorum & plantarum consequuntur; non enim potest v. g. edere actionem hinniendi, quæ consequitur formam equi.

III. Gradus vegetativus & gradus sensitivus possunt accipi dupliciter: 1. Generaliter; prout vegetativus dicit tantum principium vitæ, abstrahendo ab inferioribus modis, & distinctis rationibus quibus determinatur ad vitam plantæ, vitam animalis, & vitam hominis; & sensitivus prout includit tantum principium sentiendi, præcidendo ab his peculiaribus modis, quos habet in brutis animalibus & hominibus. Sicque tam gradus vegetativus includitur in anima sentiente & rationali, quam sensitivus in rationali, estque aliquid commune omnibus viventibus. 2. Specialiter ac determinate; & sic vegetativus non includitur in sensitivo & rationali, nec sensitivus in rationali, quia sic dicunt aliquos modos quibusdam rebus proprios & aliis minime convenientes: Vegetativus quidem modum insensibiliter vegetandi, qui neque in sensitivo gradu neque in rationali includitur: Sensitivus quoque non solum dicit principium sensus absolute, sed quatenus conjunctum cum illo particulari modo quo bruta sentiunt, & eo pacto in gradu ratiocinandi non continetur.

IV. Dupliciter intelligi potest, quod in homine sint contrariæ operationes; scilicet vel simul, vel diversis temporibus. Hoc posterius non solum in eadem anima, sed etiam in eadem potentia accidere potest: Illud autem prius non est verum de anima hominis intellectum de propria contrarietate. Nam quando voluntas & appetitus simul moventur affectibus contrariis, tendunt in contraria sub diversis rationibus, & diverso etiam modo. Nam cum affectus unius est efficax, alterius est inefficax, ex eo potius colligitur, istos diversos appetitus in eadem anima radicari. Motus enim unius retardat motum alterius, si sit aliquo modo repugnans: Si autem inter se consentiat, facilius indicatur ista identitas.

V. Ubi est operatio propria alicujus formæ, ibi est ipsa forma aut secundum se, aut secundum virtutem, seu virtualiter & eminenter. In homine sunt quidem operationes vegetantis & sentientis animæ, sed ipsæ formæ & animæ non nisi virtualiter adsunt, quoniam ab intelligente, tanquam altioris gradus anima, virtute continentur.

VI. Partes

VI. Partes viventis corporis dupliciter possunt considerari: 1. Ut partes unius totius, & secundum suam substantiam, & sicut unius speciei sunt; habent enim eandem formam substantialem, scilicet animam. 2. Ut organa & instrumenta variarum operationum; & sic specie differunt non essentiali, sed accidentali, quia forma instrumenti, ut instrumentum est, est potentia ipsa; & quia sunt potentiæ specie differentes in variis, ideo aliquo modo specie differre dicuntur: quod si in osse non est sensus, sicut in carne, inde non colligitur non habere eandem animam; nam anima una non omnes suas potentias omnibus communicat partibus, aliàs in oculo esset auditus, cum sit eadem anima in utroque.

VII. Distinguendum est inter formam specificam, sive propriam, & inter formam genericam. Generales formæ cum propriæ non sint, cujusmodi in homine sunt sentiens & vegetans, propterea hominem non constituunt: Intelligens autem specifica forma est, & reliquas in se continet. Igitur esse hominem & esse animal non sunt plura esse, sed sunt unum esse; nam essentia generica & specifica sunt unum esse à parte rei, multitudo autem est solum secundum majorem vel minorem præcisionem. Proinde ad hanc multitudinem satis est una & eadem anima præcisius vel minus præcise sumpta.

VIII. Distinguendum est inter operationes diversas in diversis suppositis, & inter operationes diversas in uno supposito sive subjecto. Operationes diversæ arguunt diversas formas, supposita diversitate subjectorum: At in uno subjecto solum arguunt formam altioris & eminentioris naturæ, virtute multa continentis, diversisque utentis potentiis; qualis est anima rationalis, & post hanc sensitiva. Licet ergo in homine sint operationes genere differentes, puta intellectio, sensatio, vegetatio: non tamen in eo sunt differentes animæ.

IX. Anima vegetans & sentiens dupliciter considerantur: 1. Quatenus propriæ sunt formæ brutorum & plantarum, & sic sunt corruptibiles. 2. Quatenus in homine idem sunt cum anima intellectiva, neque de materiæ potentia eductæ, & sic mortales esse nequeunt.

X. Quoniam anima ad suas operationes organis utitur, & eorum aptitudinem requirit, hæc ipsa autem instrumenta primis diebus ad actiones nobilissimas exercendas minus sunt idonea, ob id anima primo tantum opera exercet vegetationis, quia fœtus corpus ad sentiendum & intelligendum organa apta nondum habet; successu autem temporis sensus quoque & rationis operationes exerit, quando scilicet fœtus organa his operationibus opportuna est consecutus. Hinc *Arist. l. 2. de ge gen. anim. c. 3*, ait, *Homo prius vivit vita plantæ, deinde vita animalis, tandem vita hominis.*

Quæstio VII.

An omne vivens, quamdiu vivit, nutriatur?
Affirm.

VIta non consistit nisi in calido & humido adcommodata sibi qualitate & quantitate correspondentibus: quæ proportio cum diu durare non possit, quia humidum, quod est caloris pabulum, ab eo continua actione consumitur, requiritur necessario nutritio, per quam alimentum suppeditetur, quod humidi jacturam, fluxumque materiæ resarciat.

OBSER-

OBSERVATIONES.

I. Nutritio duobus modis poteſt uſurpari: Complete & perfecte, prout comprehendit omnes concoctiones, ipſamque alimenti converſionem in rei viventis ſubſtantiam. 2. Incomplete, pro aliquâ tantum ex actionibus, quibus præparatur alimentum, ut in viventis ſubſtantiam tranſmutetur. Si priori modo ſumatur nutritio, certum eſt illam non ſemper fieri, cum alimentum non ſit ſemper apte diſpoſitum & præparatum, ut tranſmutetur in ſubſtantiam viventis. Si vero poſteriori modo ſumatur, concludendum eſt nutritionem ſemper fieri.

II. Diſtinguendum eſt inter id quod fit per ſe, & inter id quod fit per accidens. Nihil agit ad ſui corruptionem, ſcilicet per ſe, per accidens vero poteſt, Unde nihil mirum, ſi calor, conſervare ſe deſiderans, ſeipſum interimat, non enim per ſe & ex inſtituto in ſui perniciem agit, ſed ex accidente, quatenus abſumit pabulum, quo exhauſto extingui unà cum eo neceſſe eſt: ſicut lucerna per ſe intendit lucere, etſi per accidens oleum conſumat.

III. In nutritione calor per ſe primo calefacit humidum, & per conſequentiam deſiccat ipſum per evaporationem ab eo cauſatam. Tunc autem idem non agit in ſeipſum, nec in ſuo ſimili, quia invenit nutrimentum in ſuo principio ei diſſimile, unde illud alterat, digerit, & concoquit, ut illud adſimilet viventi, cujus eſt inſtrumentum.

IV. Corpora calidiora, & quæ magis exercentur, vivaciora ſunt. Illa, quod ob innati caloris vim melius decoquant alimenta, & majorem humidi copiam reparent: Hæc, quia propter excrementorum vacuitatem uberius etiam nutriuntur, quas ob cauſas viri magis longævi ſunt quam fœminæ. Ita vero licet calor humidum conſumat, non inde tamen ſequitur ubi plus eſt caloris, ibi humidum ob aſſiduam reſolutionem magis deficere, niſi forte id non reſpondeat proportione calido.

V. Diſtinguendum eſt inter nutrimentum internum, & inter nutrimentum externum. Licet animalia quædam hyeme latitantia, veluti glires, urſi, &c. nutrimentum externum non adſumant, aluntur nihilominus interno alimento. Nam æſtate multos crudos ſuccos collegerunt, qui cum caloris imbecillitate concoqui non potuerint, hyberno tempore nativus calor in eos incumbit & concoquit, atque inde nutriuntur.

VI. Qui atrophia vel lienteria laborant, non prorſus ceſſant à nutritione, dicuntur tamen ejus munere privari, quod ægre admodum cibum concoquant.

VII. Diſtinguendum eſt inter potentias quæ operantur adplicatæ ab agente & movente; & inter potentias quæ operantur naturaliter, & per modum naturæ. Fatigatio in eas tantum facultates corporis cadit quæ agunt per adplicationem agentis, qualis eſt potentia motiva; non autem quæ operantur per modum naturæ, ut nutritiva; quamvis hæc etiam à contrariis repatiendo debilitetur, progreſſuque ætatis frangatur & hebeſcat. *Propterea* autem natura non tribuit otium altrici facultati, quod ejus opus totius vitæ fundamentum ſit, quo ſublato, vivens in occaſum ruit.

Quæſtio

Quæstio VIII.

An fames & sitis ab Aristotele lib. 2. de anima cap. 3. t. 28. recte definiantur?

Affirm.

OBSERVATIONES.

I. ALiud est esse appetitum formaliter, aliud est esse appetitum causaliter. Fames non est appetitus formaliter, sed quædam ventriculi afflictio: causaliter vero dicitur appetitus, quia illa afflictio ventriculi causat appetitum cibi.

II. Fames formaliter est in appetitu sensitivo, quia iste est qui dolorem adprehendit; materialiter vero est in ventriculo, quia iste est qui læsionem sentit, & divulsionem percipit.

III. Distinguendum est inter actus appetitus subditos voluntati, qui sunt in nostra potestate saltem obedientialiter; & inter actus appetitus sequentes necessitatem materiæ, vel effectus ab extrinseco, qualis est fames. Nam si corpus dilanietur, ventriculus affligatur, aliquod corporis membrum torqueatur, non poterit appetitus sensitivus hunc dolorem tollere.

IV. Fames bifariam sumi potest: 1. Proprie, & sic ad famem non solum est necessarium alimentum, verum etiam est opus divulsione ventriculi, & sensione ejus doloris. 2. Communiter, ut tantum dicit indigentiam cibi. Primo modo solum est in animalibus; secundo vero modo in plantis. Definitio intelligitur de fame proprie considerata.

V. Distinguendum est inter cibi substantiam, & inter ejus condimentum. Dulcedo in cibis non expetitur ut quid faciens cibum, sed ut ei dans condimentum & delectationem. Sapor igitur & cibi suavitas non pertinent per se primo ad famem. Et *licet* multa animalia cibos consectentur propter saporem, non sequitur tamen, quod sapor seu dulcedo sit illud quod natura primo intendit, quia operationes non sunt propter voluptates, sed voluptates propter operationes.

VI. In definitione famis particulæ *calidi & sicci* non sunt simpliciter & absolute intelligendæ, quasi per famem adpetamus tantum calida & sicca, cum sæpe humida exoptemus; ut, lactucas, & alia alimenta, quæ constat esse humida: sed intelligendæ sunt comparate, scilicet facta comparatione ad sitim, quæ est adpetitio frigidi & humidi, vel saltem minus calidi & sicci.

VII. Poculenta nec omnia, nec quovis modo spectata pertinent ad sitim; sed ea quæ frigida & humida sunt, vel quæ saltem alterum eorum vendicant, & qua talia. Quomodo vinum non ut calidum est, sed quatenus humidum, ad sitim spectat.

VIII. Humidum aqueum, si modum excedit, nativum calorem perimit: si autem moderate adhibeatur, esto calori adversetur, non parum emolumenti adfert animantibus, quatenus efficit ne humidum à calore præpropere absumatur.

IX. Licet frigus non concurrat per se ad opera vitæ, per se tamen expetitur tanquam id quod calorem modificat. Recte ergo sitis definitur appetitus frigidi, quia potus est ad sitim domandam, sitis autem ex calore generatur, unde potus adpetitur ad temperandum calorem sua frigiditate, & non ad extinguendum ipsum omnino, ut facit frigus externum.

Quæstio

Quæstio IX.

Ad quod augetur, ejus qualibet pars augeatur? Affirm.

SUbjectum augmentationis est totum vivens secundum omnes suas partes spectatum. *Arist.l.2. degen. c.5. t.32.* Quia per omnes corporis partes venæ quædam sparguntur, quæ sanguinem deferunt omnibus illis corporis partibus, quo nutriantur, & consequenter augescant. Hinc progressu temporis illæ omnes viventis partes grandiores existunt, quam essent à principio.

OBSERVATIONES.

I. Eæ partes tantum nutriuntur & augescunt, quæ per se ac sine aliarum interstitio alimentum adtingunt, eoque potiuntur. Verum id non impedit, quo minus cæteræ harum interventu, sive mediate pariter increscant.

II. Quamvis augmentum fit per adventum alicujus extrinseci corporis, nec tamen si viventis quælibet pars augetur, datur penetratio, nec divisio fit; sed per poros communicatur alimentum solidis partibus.

III. Pori, qui recipiunt alimentum, quandoq; possunt esse constricti, & accipiendo nutrimentum dilatari, sicut flatu utres inflantur; & quandoque possunt, esse repleti, sed humore cedente, vel possunt se dilatare, & sic majus corpus recipere.

IV. Non sequitur; Si quælibet pars augeretur, auctum æqualiter porrigeretur in omnes dimensiones, & sic homo in rotundum conglobaretur. Nam augmentativa facultas, dum viventium membra quoquoversum porrigit, sequitur regulam formatricis virtutis, quæ hominem non rotunda, sed procera corporis forma decoravit, & in sublime erexit. Quare sic homo incrementa versus omnes partes accipit, ut in prædictam figuram semper conformetur.

V. Non omnes viventis partes æqualiter augentur, siquidem in ampliorem longe molem abeunt brachia, quam digiti; licet hi proinde ac brachia in longum, latum & profundum excrescant.

VI. Distinguendum est inter partem omnino aridam & vita privatam, quæ nec nutritur, nec crescit, quia caret principio nutriente *scilicet anima*; & inter partem aridam adhuc aliquo modo viventem, quæ nutritur & ipsa, etsi ita bene non deprehendatur, propterea quod & in ea calor aliquid detrahit, unde restauratione semper indiget.

Quæstio X.

An generare sibi simile sit naturalissimum & præstantissimum opus viventis? Affirm.

QUod magis & prius est intentum à natura, dicitur, & est magis naturale. Generatio est opus magis & prius intentum à natura quam nutritio & augmentatio. Ergo, &c. *Minor probatur*, *quia* generationis finis, cujus gratia à natura intenditur, est bonum speciei, consistens in perpetua conservatione ejus: Nutritionis vero finis est conservatio individui. Sed commune bonum speciei perfectius est, & quasi divinius bono particulari cujuslibet individui; & ideo magis ac prius intentum à natura, quæ propter conservationem speciei intendit conservationem individui.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter generationem viventium; & inter generationem non

non viventium. Quæstio hæc intelligatur tantum de generatione viventium, quæ est propria animatis.

II. Generatio inter opera vegetativa est naturalius & perfectius opus viventis. Non enim hic fit comparatio inter omnia opera omnium viventium, sed solum inter opera, quæ ex gradu vitæ omnibus communi procedunt, cujusmodi sunt nutritio, augmentatio, & generatio, inter quæ generatio est opus naturalissimum & præstantissimum.

III. Aliud est aliquid magis esse necessarium; & aliud est aliquid magis esse perfectum. Potest enim aliquid esse necessarium magis, at minus perfectum: ut, tactus magis quidem necessarius est animalibus; at visus magis est perfectus. Ita nutritio magis est viventi necessaria, quia omnibus inest viventibus; sed non magis est perfecta; nam generatio est perfectior, & ob id naturalior.

IV. Distinguendum est inter finem qui per se primo, atque immediate intenditur; & inter finem qui secundario, aut ex consequenti intenditur. Nutritio per se primo intendit conservationem individui, ex consequenti autem & secundario intendit bonum & conservationem speciei, quia propterea natura nutrit ac fovet individuum, ut in eo conservet speciem. Generatio vero nullo modo respicit bonum individui, sed per se primo & solum bonum speciei, & propterea est opus naturalius nutritione.

V. Si nutritio conservaret perpetuo individuum, esset perfectior: cum tamen non conservet nisi ad tempus, ideo generatio est perfectior. Nam nobilius est perpetuum esse in specie, quam ad tempus in individuo.

Quæstio XI.

An species aliquæ sensibus ad operationes obeundas imprimantur? Affirm.

I. QUando objectum distat à potentia, non potest in illam agere & ipsam immutare, nisi per aliquid cum ea conjungatur; quia omnis actio fit per contactum. Atqui illud non potest esse aliud quam species, quæ emissa ab objecto in ipsa potentia recipitur, illique ipsum objectum repræsentat. Ergo dantur species,

II. Per inspicilla concava quidam acutius vident, quam per plana, cujus nulla ratio reddi potest, nisi quia in centro illorum magis uniuntur species objecti, & efficaciores redduntur in repræsentando. *Item*, notitia hominis semel visi jam vero absentis in memoria sensitiva permanet: Sed hoc esset impossibile, nisi aliqua ejus similitudo permaneret in memoria, quæ internus sensus est. Ergo negari non possunt species.

OBSERVATIONES.

I. Species sensiles vocantur intentionales, non quasi non sint reales, quo sensu entia rationis dicuntur habere esse intentionale; sed quia 1. habent esse aliquod incompletum, & imminutum, degenerans à realitate objectorum, quæ repræsentant; hoc primo modo: etiam lumen à quibusdam dicitur esse in medio intentionaliter, si referatur ad illud esse quod habet in corpore luminoso. 2. Quia hæ species requiruntur ad cognitionem, quæ vocatur intentio. 3. Quia sunt id, quo potentia tendit in sua objecta.

II. Distinguendum est inter signum instrumentale, & inter signum formale. Species sensibilis non est signum instrumentale

mentale, qua'e est statua Cæsaris, ex qua prius cognita Cæsarem agnosco; sed est signum formale quo res non in specie, specie cognoscimus. *Sive* species sensilis non est id *Quod*, sed id *Quo* sentimus. Licet ergo speciebus rem cognoscamus, non tamen debent species ipsæ quoque cognosci: nam non oportet à nobis cognosci id quo, sed in quo aliquid percipimus.

III. Distinguendum est inter similitudinem in essendo, & inter similitudinem in repræsentando. Species est similis objecto, non entitative,, sive in essendo, quia species sunt accidentia immaterialia; sed in repræsentando & virtualiter, quatenus est causa producendi speciem expressam, quæ est formalis similitudo objecti.

IV. Species albi & nigri, quæ recipiuntur in eodem subjecto,nempe oculo, non sunt proprie contrariæ, quia à contrariis causis, præsertim æquivocis,non semper contrarii effectus prodeunt. At objecta sunt causæ æquivocæ respectu imaginum quas à se mittunt.

V. Species sensibilis est indivisibilis in repræsentando, divisibilis in essendo. *Vel*, species sensibilis est divisibilis ex parte subjecti in quo recipitur; est vero indivisibilis ex parte objecti, quod repræsentat; neque enim divisibiliter repræsentat objectum, quasi hæc pars speciei repræsentaret quandam partem objecti, alia aliam; sed quælibet minima pars speciei repræsentat totum objectum: nam per minutissimam rimam in papyro factam totum objectum sentitur.

VI. Quamvis species sit spiritualis, objectum vero materiale, non tamen inde sequitur, quod species tanquam effectus sit nobilior sua causa: Quia immaterialitas speciei non est ex perfectione, sed imperfectione, ob entitatis suæ exiguitatem, quemadmodum relatio similitudinis resultans ex albedine, minus materialis est quam albedo ipsa.

VII. Species sensiles concurrunt ad sensationes, non tantum objective, sed etiam effective, eo fere modo quo habitus concurrunt ad actus similes illis à quibus sunt producti. Unde pertinent ad primam speciem qualitatis, quia per se primo ordinantur ad operationem, non tamen dant primam vim agendi, sed illam supponunt, & determinant.

Quæstio XII.

An sint quinque sensibilia communia? Affirm.

SEnsibilia communia quinque recensuit *Arist. l. 2. de anima c. 64.* videlicet *motum*, *quietem*, *numerum*, *figuram*, *&* *magnitudinem*. Exactum autem esse hunc numerum ex eo demonstratur, quod nullum aliud sensibile commune recenseri possit, quod ad unum ex illis, tanquam ad generale caput, revocari nequeat.

OBSERVATIONES.

I. Nomine sensibilis communis non intelligitur illud, quod à sensu communi percipitur, quia sensus communis etiam propria omnium sensuum externorum objecta,puta colorem,sonum,& alia percipit, quæ tamen sensibilia communia non dicuntur: Nec intelligitur illud, quod ab omnibus plane sensibus externis percipitur: Sed nomine sensibilis communis intelligitur illud, quod pluribus sensibus externis percipi potest.

II. Aristoteles *l. 2. de anima c. 6. t. 64.* distinguens propria sensibilia à communibus adserit, *illa esse propria, quæ ab uno tantum*

tantum ſ enſu percipiuntur, communia quæ ab omnibus: Non quod omnia ſenſibilia communia percipiantur ab omni ſenſu externo, ſed quia omnia fere ſenſibilia communia ab omnibus ſenſibus percipi poſſunt. Unde Ariſtoteles eodem loco ſe explicuit, probans motum eſſe ſenſibile commune, quia per viſum & per tactum percipitur.

III. Motus dupliciter ſumitur: 1. Formaliter, pro fluxu continuo, & prout dicit rationem formalem viæ aut fieri termini. 2. Materialiter, ſeu pro ſola ratione materiali conſiſtente in variatione ſitus & loci, aut localis præſentiæ. Motus eſt ſenſibile commune, non quatenus priori, ſed quatenus poſteriori modo ſumitur. Si enim motus priori modo ſumitur, comprehendi nequit ſine memoria & vi collectrice, quæ partes præteritas & futuras colligat, & inter ſe conferat: hoc autem altioris eſt potentiæ, & non externorum ſenſuum.

IV. Numerus dupliciter cognoſcitur: 1. Recenſendo unum poſt aliud, ſeu replicando numerū majorem ſupra minorem, aut novam unitatem minori numero addendo; qui modus cognoſcendi ſolis hominibus convenit. 2. Percipiendo duntaxat plura diſcreta, quæ numerum faciunt, ut duos aut tres ſonos, tres quatuorve lapides inter ſe diſtinctos: quo pacto numerus externis tam hominum quam brutorum animantium ſenſibus dignoſcitur.

V. Quies bifariam ſumitur: 1. Pro ſola privatione motus; quo pacto non ſentitur per ſe, nec proinde eſt ſenſibile commune. 2. Pro permanentia rei ſenſibilis in eodem ſitu vel loco; quo pacto quies eſt ſenſibile commune.

VI. Ariſtoteles non omnia ſenſibilia communia ſpeciatim enumerat, ſed quinq; generalia capita, ad quæ cætera revocari debent. Et ad numerum quidem referuntur diſcretio & unitas, quia numerus & diſcretionem importat, & principium ejus unitas eſt. Obtuſum vero & acutum, aſperum & lene, curvum & rectum ad figuram: diſtantia & ſitus ad magnitudinem referuntur.

VII. Tempus non eſt peculiare ſenſibile commune, ſed ad motum reducitur, vel ſub eo comprehenditur; quia licet per ſe ſenſu percipiatur, ut docet *Ariſt. l. 4. phyſ. c. 11. t. 98.* non tamen ſecundum rationem formalem temporis, ſed ſolum ut conſequitur motum, eique conjunctum eſt.

VIII. Licet actio tranſmittendi ſpecies ad inſtrumenta ſenſuum ſubſtantiis, uti primariis cauſis effectricibus, adtribuenda ſit, non proinde tamen ſubſtantiæ inter ſenſibilia communia numerandæ ſunt; cum per ſe primo ſenſus non afficiant, quia id ſolis qualitatibus alteratricibus convenit; nec per ſe ſecundaria ratione, quia id proprium eſt eorum, quæ motum ſenſibilium propriorum determinant, ac modificant; quod nulli ſubſtantiæ in ſe ſpectatæ convenit, ſed ut magnitudine, motu, quiete, aut aliquo alio communium ſenſibilium affecta eſt.

Quæſtio XIII.

An ſint quinque Senſus externi?

Affirm.

Quinque eſſe ſenſus externos probatur, *quia.* 1. Quinque ſunt organa ſive ſenſoria. 2. Quinq; ſunt diverſa objecta formalia quæ à ſenſibus poſſunt percipi. 3. In perfectis animalibus non plures ſenſus quam

quam quinque reperiuntur, nec etiam pluribus animal indiget.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter animalia perfecta quæ habent omnes sensus; & inter animalia imperfecta, quæ pro diverso gradu carent uno, vel pluribus; omnia tamen habent tactum, quia tactus est maxime ad vitam conservandam necessarius, cum versetur circa primas qualitates, quarum excessus vel defectus multum nocet animali.

II. Distinguendum est inter tactum late & communiter sumtum pro quavis potentia, quæ non percipit rem sine contactu; sic enim Gustus dici potest Tactus: & inter tactum stricte & proprie sumtum pro potentia solas qualitates tangibiles ut tales percipiente; & sic sensus Tactus est distinctus à sensu Gustus, ob diversum subjectum formale.

III. Quamquam anima sentiens in omnibus animalibus existat, non tamen in illis omnibus effundit omnes suas facultates; quia in illis omnibus non reperit organa disposita, *v. g. in talpa organum visus.* Quare ut quinarium sensuum externorum numerum retineamus, satis est, quod in aliquo animali illi quinque sensus reperiantur, & in nullo plures.

IV. Quod obstructa via qua cerebrum in sensus externos influit, ipsi externi sensus illico sua obire munera desinant, non ex eo fit, quod unum tantummodo sit instrumentum omnium sensuum externorum, nempe cerebrum, vel quod in organis non sint ipsæ sensitivæ facultates; sed ex eo, quod perenni spirituum animalium influxu indigeant, qui quidem impeditur obstructis meatibus illis, per quos derivari solebant.

V. Non eodem modo se habet sensus ad sensibilia, quo intellectus ad intelligibilia. Nam facultas intellectiva cum sit multo altioris ordinis, potest ea, quæ per plures sensus sparsa & distributa sunt, in unum colligere complectique. Unde non sequitur, unus est intellectus ergo etiam unus sensus.

VI. Propter sensibilia communia non est statuendus alius sensus; nam cum sensibilia communia illa à quinque sensibus non per accidens, sed per se sentiantur, frustra est eorum alium sensum quærere & constituere.

VII. Non datur aliqua facultas sentiens, cui incumbat advertere ad objectum in quod singuli sensus feruntur. Quod enim oculus interdum rei præsentis imagine imbutus non elicit visionem, id non ex eo provenit, quod desideretur actio alterius facultatis, cujus sit ab objectum advertere; sed quia ipsa vis cernendi non tendit in objectum, quod tunc accidit, cum in rem aliam vehementi adplicatione intenti sumus.

VIII. Titillatio & sensus venereus non est distinctus sensus: nam illa titillatio diversa non est à tactu, nisi accidentaliter, quatenus nempe secundum certam nervorum dispositionem aliter atque aliter efficitur tactus.

IX. Distinguendum est inter famem consideratam materialiter, & inter famem consideratam formaliter. Fames materialiter est quædam contorsio, quia venæ conantur extrahere à stomacho sanguinem in alimentum, quæ contorsio sensu tactus percipi potest: formaliter autem est adpetitio cibi, quæ non sentitur directe per aliud actum, sed indirecte & per actum exercitum, quatenus est actio vitalis

lis elicita & recepta in appetitu sensitivo, quo modo omnes sensus percipiunt suos actus. *Idem est de siti, voluptate etiam, & dolore.* Non igitur præter quinque sensus adsignandus est alius, quo percipiantur fames, sitis, dolor, & voluptas.

Quæstio XIV.

An sensus lædatur ab excellenti sensibili? Affirm.

IDeo sensibile excellens sensum lædit, quia sensorium seu organum sensus aliquam requirit temperiem & qualitatum proportionem, quæ adventu insolentis cujusdam sensibilis perimitur. Sic ingens splendor dissipat visum, & lædit spiritus visivos; vehemens sonus offendit auditum; valde calida & frigida molestant tactum; imo tactus organum aliquando plane destruunt.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter id quod lædit per se, & inter id quod lædit per accidens. Nihil naturaliter inclinatur in id, à quo per se læditur: Objecta vero sensuum, ad quæ potentiæ omnes nativa propensione non minus quam ad operationes inclinantur, non lædunt sensus per se, sed ex accidente, cum ad exuperantiam deflectunt, organumque lædunt.

II. Distinguendum est inter objectum, quod cum organo proportionem habet, hoc sensum perficit; & inter objectum excellens, quod non perficit, sed lædit sensum; cum omne nimium sit naturæ inimicum.

III. Potentiæ sensitivæ non habent, contrarium, nec etiam per se corrumpuntur sed soluta organi temperie: hæc autem evertitur excessu, qui mediocritati, in qua temperies consistit, adversatur.

IV. Quamvis non materiales, sed spirituales tantum & intentionales qualitates h. e. rerum sensibilium solum imagines & simulacra à sensuum organis recipiantur, non tamen omnis vis in lædendo organo ipsis deroganda est. *Vel dicendum*, species, per quas objecta agunt in sensus, non per se, sed ratione aliarum qualitatum, quæ ipsas comitantur, & ab objecto una trajiciuntur, læsionem efficere.

V. Dispar est ratio sensus & intellectus: quia Sensus est organo corporeo affixus, & ita turbata ejus temperie per vehemens sensile læditur: Intellectus vero non item, & propterea non læditur ob læsionem temperamenti organi debiti; imo cum illustria objecta, ad quorum cognitionem adsurgit, non ingerant organo qualitatem ejus temperiem turbantem, facile intelligimus quare non lædatur intellectus rerum præstantium cognitione, sicut sensus vehementiori sensibili.

Quæstio XV.

An visio fiat recipiendo, an vero emittendo? Affirm. prius. Neg. posterius.

I. VIsio fit per immissionem vel receptionem imaginum ab objecto in oculum immissarum: *quia* 1. Ubi instrumentum visionis est, ibi fit visio: sensus enim non fit extra organum. At instrumentum visionis nempe humor crystallinus est intra oculum. Erga ibi quoque fit visio. 2. Unusquisque sensus aliquid recipit, auditus sonum, olfactus odorem, *&c.* Ergo etiam visus. 3. Quidquid subjectum aliquod destruit, illud ab eodem subjecto recipiatur necesse est. Excellens sensibile destruit instrumentum visus. Ergo

go ab instrumento visus tanquam subjecto recipiatur necesse est.

II. Visio non fit per emissionem radiorum ex oculis ad rem visivam : *quia* 1. Non est credibile ex tam exigua pupilla tantam exilire lucem, ut objectum ingentis magnitudinis, utpote cœlum, collustret, illudque faciat visibile. 2. Lux illa ex oculis egressa, ad objectum, v. g. ad cœlum usq; producta, ad oculi pupillam resilire non potest, cum solares radii longe sint validiores, nec tamen à terræ densitate repercussi ad mediam usque aeris regionem reflectuntur. 3. Illud quod ex oculo emittitur, vel est substantia, vel est accidens. Sed neutrum dici potest. Non est substantia, quia visio non posset fieri in instanti, cum nullum corpus momento moveatur; fieri etiam posset, ut hæc emissa substantia stante magno vento huc atque illuc moveretur, atque visio impediretur: Nec est accidens, quia omne accidens est in subjecto per realem inhæsionem, quæ variari non potest per transitum ejusdem accidentis ad illud subjectum.

OBSERVATIONES.

I. Quamvis visio fiat non per emissionem sed per receptionem, non tamen visus ea quæ à tergo sunt potest contueri: nam objecta visibilia non agunt in facultates, nec species suas immittunt, nisi per lineam rectam, si fuerint ante ipsum oculum; vel per lineam reflexam, si fuerint retro, & speculum objiciatur, à quo ad oculum species resiliant.

II. Plurimæ rerum imagines ab uno oculo simul & semel recipi possunt, quia eæ non sunt materiales, nec corporeæ, sed tantum intentionales & spirituales, quæ res ipsas repræsentant: unde nec potentiam, nec organum degravant; nec se mutuo perturbant, aut impediunt; nec corpora, quæ has species de se fundunt, debilitant; multo minus una alteram expellit. Non etiam est absurdum species intentionales simul & semel ad plures posse defluere: ut, turris à pluribus simul videtur.

III. Distinguendum est inter rerum magnitudines reales & materiales; & inter magnitudines intentionales, quas oculus tantum recipit. Non enim recipitur ipsa montis aut turris magnitudo materialis, quæ per foramen tam parvum, quantum pupilla est, ingredi minime potest; sed ejus imago & species, quæ est immaterialis sive spiritualis, ea in oculo, non aliter ac imago in speculo, admittitur.

IV. Distinguendum est inter objecti substantiam, & inter objecti imaginem sive speciem. Objectum, quod videtur secundum suam substantiam, est in proprio loco: Imago vero sive species, quæ ad oculum defertur, est in oculo. Eadem ratione non est in speculo quod speculamur in illo, sed effigies tantum.

V. Res pupillæ imposita videri nequit, non ideo quod radii non possint ex oculo exire, sed quod lumen in tanta adproximatione non possit adtingere objectum, nam oportet objectnm lumine illustrari.

VI. Habet quidem pupilla aliquid connatæ lucis, non tamen ideo illi datum ut forinsecus emittatur, sed ut, quasi tessera, hospitem & affinem suum, h.e. lucem qua species vehitur, sese extrinsecus insinuantem recipiat, eique ut minister familiaris præsto adsit.

VII. Distinguendum est inter oculos consideratos ut sunt organum visus; & inter oculos consideratos ut sunt objectum

ctum visibile. Quando oculi ex se splendorem emittunt; non sunt organum visus, quia per hoc visio non fit; sed habent rationem objecti visibilis, quoniam emittunt splendorem, per quem receptum videntur.

VIII. Qui nebuloso aere circumfusus est, nebulam proximam non videt, non ideo quod radii visorii cum primum ex oculis emicant fortiores sint, sicque vicinam nebulam penetrent; sed ideo quia nebula proprior adhuc habet rationem diaphani, si comparetur cum remotiori, quæ clarius videtur, quia ob partium subitionem crassescere videtur, & quia omne remotius nobis adparet nigrius, uti arborum apices virides quidem sunt, sed distanti adparent nigræ.

IX. Neque basiliscus interficit hominem, neque mulier menstruosa speculum inficit intuitu, vel radio ex oculo exeunte, sed contactu, afflatu, halitu, expiratione, & qualitate nociva, quæ nihil ad visionem confert.

X. Qui reconditos habent oculos longius & acutius vident, quam qui prominentes habent, quia in reconditis oculis melius uniuntur species, & motus qui fit ab objecto in potentiam per immissionem specierum, in vastum non dissipatur, sed recto tramite procedit. *Deinde*, quia prominentiores oculi nimia luce perfunduntur, & magna ex parte offuscantur, ideo imperfectus & ad minorem distantiam adspicere possunt: Oculi vero reconditi lucem magis temperatam suscipiunt, à qua non impediuntur, sed potius adjuvantur.

XI. Quoties aliquid diligenter adcurateque contueri volumus, contrahuntur oculi, ne lux intermedia visui se ingerens eundem offendat, & debilitet: & clauduntur oculi, non ut lumen exprimatur, sed ut virtus visiva adjuvetur, quia virtus unita est fortior.

XII. *Aristoteles*, quando quibusdam in locis videtur adserere, visionem fieri per emissionem, non loquitur ex propria mente, sed ex recepta suo tempore perspectivorum sententia, vel nihil certi ea de re nondum confirmata vult statuere.

Quæstio XVI.

An Sonus sit in corporibus sonantibus, an vero in corpore intercepto, v. g. aere? Negat. prius, Affirm. posterius.

SOnus subjective inest non corporibus sonantibus, sive extremis, quæ colliduntur, sed corpore intermedio, quod intercipitur & frangitur. *Si enim* sonus subjective inesset corporibus extremis, vel esset in uno, vel in utroque. Non in uno, cum non sit major ratio cur in hoc potius, quam in altero recipiatur; ut, cum duæ manus se percutiunt: Non etiam in utroque, quia sic duplex oriretur sonus: Et cum sonus sit accidens simplex, in diversis subjectis esse non potest. Erit ergo in corpore medio.

OBSERVATIONES.

I. Non eadem omnium qualitatum sensibilum est ratio. Nam quamvis calor, odor, sapor, & qualitates quæ sub sensum cadunt, inhæreant in objecto, & non in medio; Sono tamen peculiare ac proprium est non hærere in objecto. Cujus discriminis causa est, quia cæteræ qualitates sensibiles habent esse fixum & stabile; sonus vero non est, nisi dum fit, ideoque ubi gignitur; hoc est, in medio corpore, ubi ut in subjecto recipitur.

II. Distinguendum est inter prædicationem accidentis de suo subjecto, & inter prædicationem effectus de sua causa. Quando corpora sonantia dicuntur sonare, ea prædicatio non est accidentis de suo subjecto, quia sonus eis subjective non inest; sed est prædicatio effectus de sua causa: *hoc est*, corpora extrema, v. g. duo lapides qui colliduntur, dicuntur sonantia non objective, sed effective.

III. Cymbalo manu cohibito impeditur sonus, non ideo quia in ipso cymbalo subjectatur, sed ideo sonus deficit, quia in aere contento intra poros cymbali subjectatur.

IV. Ad soni productionem tria requiruntur corpora: corpus percutiens, corpus percussum, & corpus intermedium, quod intercipitur & frangitur; quæ tamen non semper supposito distinguuntur, plures enim partes corporis subplent vires trium: ut in tempestate, quando colliduntur venti, tantum est occursus diversarum partium aeris. Sic quando virga vehementer mota per aerem efficit sonum, tunc aer secundum diversas partes habet rationem collidentis & resilientis, sive corporis intercepti: Illæ enim partes, quæ tangunt virgam & illam collidunt, sunt collidentes, aliæ vero partes expulsæ sunt resilientes sive fractæ. *Nihil* etiam impedit, quin unus idemque aer, secundum diversas partes, sit soni subjectum, & soni medium.

Quæstio XVII.

An odor consistit in sicco comprehendente & superante humidum? Affirm.

OBSERVATIONES.

I. Subjectum odoris est corpus mixtum, quia odor oritur ex commixtione primarum qualitatum, quæ tantum reperitur in mixtis. Ergo elementa, si pura sint, & nullam permixtionem alterius corporis habeant, odore carent. Nam dum terra post nimiam siccitatem madefacta redolet, per mixtionem humiditatis aquæ id habet, non ex ratione elementari.

II. Distinguendum est inter omnimode siccum, & inter siccum cum humido aliquo caloris operatione bene contemperatum. Odor consistit non in sicco omnimode, nam quæ torrentur odorem amittunt, quod adparet in cineribus ligni odorati: sed in sicco cum humiditate aliqua caloris operatione bene contemperato, in quo tamen adhuc prædominatur siccitas. *Hinc*, cum post terræ siccitatem sit pluvia, solet in principio odor terræ diffundi, tunc enim humidum incorporatur sicco, abundat tamen siccum: At post longam pluviam non sentitur odor, quia tunc humidum excedit.

III. Vinum, aquæ ex herbis fragrantibus distillatæ, & alia sunt valde humida, & nihilominus tamen etiam odorifera, quia ejusmodi corpora mixta duorum generum partes habent: Alias ficciores & calidores, quarum ratione sunt odorabilia; Alias humidiores & frigidiores, quarum ratione nullum de se fundunt odorem, sed potius saporem exhibent. Si ergo contingat eundem cibum & odorem & saporem exhibere, constabit necessario partibus siccioribus, & humidioribus.

IV. Flores & suffimenta è longinquo suavius olent, quia ad locum aliquantulum remotum defertur odor secretior à portione terrea, & defæcatior à fumo, crassisque vaporibus, qui odorem vitiant, & ipsam odorandi vim habetant. Verum

oportet

oportet non tantam esse distantiam, ut odor in trajectu pereat.

V. Distinguendum est inter calorem summum & igneum, & inter calorem moderatum. Ad odorem requiritur calor, non summus & igneus, qui consumit, sed moderatus, cujus operatione siccum, in quo consistit odor, cum aliquo humido contemperatur. Ideo mastyx in cinere acriorem spargit odorem, quam in igne, quia ignis est calidior cinere.

VI. Quamvis *Moschus* dicatur fieri ex sanguine feræ cujusdam, & *Zibetum* ex sudore quorundam felium: non tamen inde sequitur, quod odor non consistat in sicco. Nam odor Moschi oritur non ex sanguine puro, sed ex sanguine concreto, & siccefacto. Habet igitur Moschus siccitatem, quæ odori sufficit, esto sanguis, dum non concrescit, perhumidus sit. Idem etiam de concreto illo sudore felium pronunciandum est.

Quæstio XVIII.

An Gustus distinguatur à Tactu? Affirm.

GUstus & Tactus differunt, 1. *Objecto*, quod in tactu est qualitas prima; in gustu qualitas secunda, nempe Sapor. Hinc terra prope centrum tactilis est, non vero gustabilis. 2. *Organis*, quia non ubique gustamus, at ubique tangimus. 3. Fieri potest ut incolumi tactu pereat gustus in lingua. 4. *Gustus* varias habet differentias, est enim dulcis, amarus, pinguis, acutus, austerus, &c. quæ differentiæ non inveniuntur in tactu.

OBSERVATIONES.

I. Tactus tripliciter sumitur: 1. Communissime, prout tantum dicit simultatem corporum per extrema indivisibilia. 2. Magis proprie, pro contactu potentiæ vitalis necessario ad percipiendum objectum proprium: In qua significatione convenit gustus cum tactu. 3. Strictissime, pro contactu potientiæ vitalis solas qualitates tangibiles ut tales percipientis. Et in hac significatione tactus est sensus distinctus à gustu.

II. Omne gustabile est tactile, 1. non formaliter, sed subjective. 2. analogice, quia gustus & tactus objecta sua percipiunt tangendo, alii vero sensus eminus. 3. Propter concomitantiam, quia nihil potest gustari, quin prius tangatur.

III. Lingua potest habere suam operationem tactus, sine operatione gustus; ut, si quis aquam pure elementarem bibat nullum saporem habentem, sentit per tactum humiditatem & frigiditatem ejus, nullam habens sesantionem saporis, nec gustus. Ergo adhuc in parte illa, in qua concurrit sensatio tangendi & gustandi, sunt separabiles atque distinctæ, siquidem una potentia operatur non operante alia.

IV. Tactus dicitur sensus alimenti, sicut & gustus, quia vis gustandi & vis tangendi circa eundem cibum versantur, ratione tamen diversarum qualitatum; quia tactus circa humidum & siccum, gustus circa saporem, qui ex horum commistione fit, occupatur: Et utraque facultas ita in has qualitates incumbit, ut gustus non tendit in suas, nisi tactus in eas quæ ipsi propriæ sunt, saltem prius natura feratur.

V. Quod neque gustus neque tactus medio externo indigeat, nihil refert ad identitatem eorum: sicut nec refert, quod tres alii sensus indigeant eodem medio externo, ut non censeantur distincti.

VI. Sapor immutat potentiam gustus secundum distinctam proportionem ac immutat qualitates tactiles, de quibus evidens est immutare linguam, in qua est gustus, nullam efficientes sensationem tactus: ergo distinguunt tactum a gustu.

VII. Distinguendum est inter organum adæquatum, & inter organum inadæquatum. Lingua est organum adæquatum gustus, quia in illa & in nulla alia parte corporis residet: est vero organum inadæquatum tactus, quia tactus non solum in lingua reperitur, sed in cæteris corporis partibus.

Quæstio XIX.

An sensus Tactus sit unus? Affirm.

UBi unum est objectum formale, ibi est unus sensus; *nam* ab unitate objecti formalis unitas cujuslibet facultatis desumitur. Atqui unum est objectum formale tactus, nempe tangibile, quatenus tangibile, quod obtinet unum modum immutandi organum. Ergo tactus est unus.

OBSERVATIONES.

I. Diversi constituuntur sensus, quia habent specialia sua objecta formalia inter se distincta; ut visus visibile, auditus audibile, &c. Hoc vero non reperitur in tactu, in quo non datur nisi unum tangibile quatenus tangibile est, sub quo non constituuntur varia objecta formalia variis tactibus convenientia. Ergo unus est tactus, & non plures.

II. Distinguendum est inter objectum tactus materialiter consideratum; & inter objectum tactus formaliter consideratum. Quamvis objectum tactus materialiter spectatum non unnm sit, sed multiplex, & non unam tantum, sed plures contrarietates in se contineat: Formaliter tamen, sive prout tactile, unum est, quia unus est modus immutandi organum. Unde cum potentiarum distinctio ab objectis secundum rationem formalem consideratis sumenda sit, ratum manet, tactum unum esse, non plures.

III. Dolor formaliter non est sensatio tactus, sed hæc solum ad dolorem concurrit tanquam conditio materialis; nec nova aut distincta est sensatio, sed ejusdem rationis & objecti, cum versetur circa primas vel secundas qualitates eodem modo immutantes. Unde propter dolorem non est tactus multiplicandus. *Idem de delectatione & titillatione* sentiendum est, in quibus, sicut in dolore, nihil distinctum à sensatione qualitatum tangibilium ut talium includitur: Quare nec pro eis distinctus tactus multiplicari debet.

IV. Quilibet sensus certum & unum tantum habet organum, solo excepto tactu, qui cum ad tuendam animalis vitam, & noxios primarum qualitatum excessus, quippe qui vitam lædunt, declinandos peculiariter animali à natura datus sit, ideo non uni solum, sed omnibus corporis partibus debuit inesse.

V. Dolor in determinata corporis parte non causatur, sed in omnibus, quia solutio continui aut distemperies in quibuscunque partibus corporis sensui capacibus causari potest, & ex consequenti dolor. Aliqua vero voluptas & titillatio in determinata tantum parte corporis fiunt, non tamen propterea tactus pro eisdem actibus multiplicari debet, quia sensatio tactus in eisdem reperta eandem rationem formalem habet, ex eadem ratione immutandi objecti desumta.

Quæstio

Quæstio XX.

An sensus exterior suam animadvertat sensationem? Negat.

SEnsus exterior suam sensationem non percipit, *e. g. visus non animadvertit se videre*, sed hæc functio sensibus interioribus, nempe sensui communi proprie competit: *quia* 1. Sensus exterior non agit, nisi moveatur à suo objecto. At à suis operationibus non moveri, neque affici potest. Ergo easdem non sentit. 2. Si quo actu videmus, eodem etiam sentiremus nos videre, nunquam visio fieret quin simul eadem sentiretur. At non semper sentitur visio: Certum enim est hominem aliquando videre, nec tamen sentire quod videat, sed hoc paulo post animadvertere. Ergo, &c.

OBSERVATIONES.

I. Quamvis intellectus percipiat suos actus, & supra eos reflectatur, non tamen etiam sensus. Cum enim intellectus immaterialis, spiritualis, & inorganicus sit, ideo operandi modum nobiliorem habet, quam sensus.

II. Sensuum delectationes consequuntur ex perceptione convenientium objectorum: sed ad eas non requiritur cognitio ejusmodi perceptionis in eodem sensu, quia ut delectatio non pertinet proprie nisi ad appetitum; ita ad phantasiam spectabit percipere rem, è qua voluptas sensitiva oritur, eamque appetitui offerre.

III. Visus non proprie sentit tenebras, nec alius sensus suorum objectorum privationes simpliciter dignoscit, sed admodum improprie, quasi per actionem negativam. Eatenus enim dicitur visus percipere tenebras, quatenus apertis oculis nihil videt, non autem quod cognoscat se non videre, sed hoc alii animalis potentiæ adscribendum est, non illi quæ est in oculo.

IV. Non necesse est ut omnis sensatio ab alio sensu cognoscatur, sic enim esset processus in infinitum: sed satis est, si exteriorum sensuum sensationes à sensu communi cognoscantur.

V. Distinguendum est inter objectum proprium & adæquatum, & inter objectum partiale. Non est absurdum versari visum circa colorem tanquam circa proprium & adæquatum objectum: aliam vero altiorem facultatem, id est, sensum communem, circa eundem colorem occupari, tanquam circa partiale suum objectum.

VI. Duo habet sensatio externa seu species expressa ejus: 1. quod comparetur cum objecto cujus est formalis similitudo. 2. quod comparetur cum potentia interna, cujus est immutativa. In priori comparatione non est quod cognoscitur; sed quo aliud, vel in quo aliud expresse cognoscitur à sensu externo: In posteriori autem comparatione est quod cognoscitur, vel cognosci potest, simul cum objecto quod repræsentat tanquam sensatum. Et ideo imprimit speciem sensui interno tanquam modus ejusdem objecti; & cum ex re & modo unum fiat modificatum, producitur à sensatione externa una tantum species modificata, repræsentans utrumque per modum unius.

Quæstio XXI.

An sensus externi sint in corde, an vero in cerebro? Neg. prius, Affirm. posterius.

I. PArs, quæ principium est nervorum, ea etiam est principium sensus, qui per nervos administratur. Cerebrum est principium

cipium nervorum. Ergo etiam eſt principium ſenſus.

II. Qua parte læſa læditur ſenſus, illa ſenſus eſt principium. At læſo cerebro læditur ſenſus, non vero læſo corde. Ergo cerebrum eſt principium ſenſus.

OBSERVATIONES.

I. Quamvis cerebrum cranio ceu in proprio quodam domicilio ſit concluſum, non tamen eſt pars ab aliis diſcontinua, (ſic enim non eſſet principium ſenſus) ſed continuatur & conjungitur cum aliis partibus corporis per nervum, qui eſt ejuſdem naturæ cum cerebro.

II. Diſtinguendum eſt inter cerebri partes à nervis remotiores; & inter cerebri partes nervis proximas. Licet non ſit ſenſus in quibuſdam cerebri partibus, tamen in his quæ nervis ſunt proximæ, in quibus ſenſoria interna ſunt, ſenſus ineſt. Unde caput aliquando etiam interius dolet. Ergo cerebrum non omnino ſenſu caret.

III. Ad ſenſum non requiritur ſanguis: nam nervi, qui carent ſanguine, maxime pollent ſenſu: ſimiliter ſenſoria ſenſuum particularium, ut meninga, pupilla, & reliqua. Unde non ſequitur; Cerebrum caret ſanguine: Ergo non eſt principium ſenſus.

IV. Frigiditas cerebri non poteſt eſſe impedimento, ut ſit radix virtutis ſenſitivæ; quin potius cum ſpiritus generentur & à corde procedant calidiſſimi, & ideo facile mobiles, neceſſarium eſt ut frigiditate cerebri temperentur, & conſequenter reddantur minus faciles ad motum, & ideo aptiores ad recipiendas ſpecies ſenſibiles ab externis ſenſibus, & hoc medio tranſmittendas ad internum ſenſum.

V. Cor quidem ſitum habet in centro corporis, ſed inde non ſequitur, quod ſit principium ſenſus; nam non ea pars quæ in medio, ſed quæ eo in loco, ubi ſenſuum organa ſunt, reſidet, eſt ſenſus principium. Cum igitur ſitus cordis longe diſtet ab externis ſenſibus, cerebrum vero proximius ſit, propterea magis adcommodatum eſt pro ſede interni ſenſus, quam cor.

VI. Diſtinguendum eſt inter motum naturalem, qui ſe primum exerit in animali; & inter motum animalem, qui ſit de loco in locum. Cor eſt venarum, arteriarum, motuſque naturalis principium; Cerebrum vero nervorum, & motus animalis, ſeu ſenſitivi: Cum enim motus naturalis & ſenſitivus ſint diverſi, diverſas partes corporis poſtulant, & diverſo modo temperatas, imo in diverſo collocatas ſitu.

VII. Quod appetitus ſenſitivus ſit in corde & à ſenſu interno moveatur, non probat in eodem corde eſſe debere utramque potentiam, nempe appetitivam & ſenſitivam; ſed, licet in diſtinctis partibus reſideant, ſufficit, quod in eadem anima radicentur per naturalem ſubordinationem unius cum altera, & quod per concurſum ejuſdem animæ cum utraque operentur, ut cognoſcitiva poſſit movere appetitivam.

Quæſtio XXII.

An bruta valeant ratione, an vero phantaſiæ ope & per inſtinctum naturalem opera ſua perficiant? Neg. prius, Affirm. poſter.

Bruta non valent ratione & intelligentia, ſed ſuas mirificas operationes edunt ope phanſaſiæ, & per inſtinctum natu-

naturalem, quæ est operatio phantasiæ determinata ad judicium convenientis aut commodi, determinansque appetitum ad fugam vel persecutionem: *Quia* 1. Bruta non agunt libere & diversimode. Ergo ratione carent. 2. Bruta non cognoscunt universalia. Ergo non possunt uti ratione. 3. Si bruta essent rationalia, nullum essentiale discrimen esset inter ipsa & hominem, possentque informari ad pietatem.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter ipsam prudentiam seu virtutem, quæ est habitus electivus; & inter simulacrum prudentiæ. Non ipsa prudentia seu virtus, neque vitium morale, sed aliqua solum simulacra seu umbræ virtutum & vitiorum in brutis conspicua sunt.

II. Distinguendum est inter habitum, & inter potentiam naturalem. Bruta maxime concinna edunt opera, non per quendam artis habitum, quemadmodum homo ex artis habitu rationis beneficio mediantibus crebris effectionibus comparato operatur; sed per naturalem quandam potentiam, quæ omnibus ejusdem speciei individuis peræque competit, nec studio comparatur.

III. Sunt quædam bruta melioris phantasiæ, quæ per assiduam adsuefactionem & institutionem discunt aliqua, quæ tamen tanta non sunt, ut artis habitus dici mereantur; ex.gr. aves illæ, quæ quasdam voces possunt exprimere, non vero sermocinantur, sed potius dant sine mente sonum.

IV. Quædam bruta præsagiunt quasi & prænunciant futuram tempestatem, non mentis aut rationis acumine, sic enim rationis acrimonia ipsum hominem superarent, sed quia pro vario cœli influxu varie afficiuntur, quos suos affectus internos per certa aliqua externa edunt indicia.

V. Duplicia sunt naturalia, quæ per media certa ad finem certum procedunt. Quædam finem præcognoscunt, & media illi obtinendo adcommodata eligunt; quod sine ratione fieri nequit, & soli homini competit: Quædam finem, propter quem agunt, non cognoscunt, nec ex prælectione feruntur in media, sed instinctu & ductu naturæ sumunt media, quæ ad consequendum finem sunt idonea; quo modo bruta citra rationem per certa media ad suos contendunt fines.

VI. Quod animalia quædam medicamentis certis vel se præservant, vel curant, id non ad rationem, sed ad instinctum naturalem referendum est, quo in ea feruntur, quæ sibi sunt convenientia, eo modo quo viti ulmus est gratissima, ad illam se inclinat, & illi adligata felicissime crescit.

VII. Distinguendum est inter judicium intellectivum, & inter judicium sensitivum. Conceditur bestiis judicium sensitivum, quo æstimant tale objectum sibi non esse conveniens, sed judicium intellectivum nondum obtinetur.

VIII. Non sequitur, bestia persvadetur hominis sermone: ergo hunc intelligit. Nam hominis dicto audit, non quia argumentorum ponderibus rhetorice suadetur, sed quia vox physice cogit; idque obtinere bestia potest virtute memoriæ sensitivæ. Nam hujus gratia memoria servat verbera & plagas, quibus hi vel illi sermones fuerunt conjuncti. Judicio igitur æstimativo colligit verbis illis esse parendum sub metu plagarum.

Quæstio XXIII.
An anima rationalis sit forma adsistens, an vero informans? Neg. prius. Affirm. poster.

Anima rationalis non est forma hominis adsistens, sed informans. *Nam* quod homini dat esse, & per quod homo primo à cæteris omnibus animalibus distinguitur, id est forma hominis informans. Anima rationalis homini dat esse, & per animam rationalis homo primo à cæteris omnibus animalibus distinguitur. Ergo anima rationalis est forma hominis informans.

OBSERVATIONES.

I. Licet anima rationalis, quæ est substantia spiritualis, sit improportionata materiæ quoad entitatem, habet tamen rationem actus, & materia rationem potentiæ receptivæ.

II. Distinguendum est inter formam quatenus informat; & inter formam quatenus est separata. Nulla forma informans quatenus informat existit per se, sed à sua materia, quam informat, dependet: Atque sic etiam anima humana non existit per se. Quando vero forma informationis munere non amplius fungitur, absurdum non est, ut forma quædam, puta anima rationalis, post interitum compositi remaneat, atque per se existat.

III. Anima humana *l. 2. de gen. anim. c.* 13. forinsecus dicitur adcedere non simpliciter, nec ita ut aliunde adveniat, atque corpori adsistat, sed sic, ut non educatur è potentia materiæ, quemadmodum anima vegetans & sentiens educuntur.

IV. Distinguendum est inter ipsam mentem, sive animam rationalem; & inter mentis operationem. Quando *Aristot. l. 1. de anima c. 2. t.* 24. inquit, *Ea mens cui prudentia tribuitur, non cunctis hominibuo inesse videtur:* per mentem intelligit non ipsam animam rationalem, quæ ceu forma informans, omnibus peræque inest hominibus; sed mentis operationem, quæ in diversis hominibus diversa est, nec in omnibus pari bonitate reperitur, propter diversam corporis constitutionem & adparatum organorum diversum.

V. Quamvis anima informet corpus, non tamen corpus intelligit: quia actio formæ solum tribuitur habenti formam, & eam potentiam ex qua immediate oritur actio. Jam autem corpus non habet eam potentiam, neque aptum est ut possit fieri intelligens & spirituale, sed tantum efficitur animatum, vegetans, & sentiens. Intelligit quidem anima in corpore; sed non per corpus, quia in hac actione nullo utitur corporeo instrumento.

VI. Anima, quæ est immortalis & forma nobilissima, informat quidem corpus, non tamen etiam nobilissimo modo, scilicet in se parabiliter illud informat; quia unio & informatio dependent non à nobilitate formæ, sed à dispositionibus corporis, & materiæ, quæ necessariæ sunt, ut anima remaneat unita, quibus à contrario destructis, destruitur unio animæ cum corpore. Non ergo, quo forma est nobilior, eo arctius sibi unit materiam.

VII. Anima unitur corpori per aliquid substantiale, nempe per suam substantiam, cum habitudine quadam sibi interna ad corpus ipsum debite dispositum. Nec hinc sequitur, dissoluta unione animam aliquid suæ substantiæ perdere, manet enim semper tota; sed tantum sequitur, habitudinem illam substantialem amittere ad corpus

corpus sufficienter dispositum, ob recessum ipsarum dispositionum.

Quæstio XXIV.

An anima rationalis sit immortalis? Affirm.

QUidquid habet operationem à corpore & materia imdependentem, illud etiam habet esse independens à corpore & materia, h. e. potest sine corpore esse, & ab eo separari, sicut potest sine illo operari; *quia modus operandi sequitur modum essendi.* Anima rationalis habet operationem à corpore & materia independentem; nam in intellectione & volitione organo corporeo non utitur. Ergo anima habet esse independens ab eodem corpore, & potest separata ab eo consistere, quod est esse immortalem & perpetuam ex propria natura.

OBSERVATIONES.

I. Aliquid esse immortale & incorruptibile potest stare dupliciter: 1. Ab intrinseco, quod scilicet nullam sui esse agnoscit materiam, & qualitates contrarias, quæ statuuntur principia proxima corruptionis & mortalitatis: & sic anima rationalis dicitur immortalis & incorruptibilis, item angeli. 2. Ab extrinseco, quod scilicet non tantum nullam agnoscit materiam, & qualitatum contrarietatem, verum etiam excludit omnem causam efficientem, à qua in esse dependeat: & sic solus DEUS est immortalis & incorruptibilis.

II. Distinguendum est inter hominis & jumentorum ortum & interitum quoad corpus; & inter eorundem ortum & interitum quoad animam. Unus est hominum & jumentorum ortus & interitus quoad corpus, non vero quoad animam: hominis enim anima non educitur è potentia materiæ, sicuti animæ brutorum. *Deinde*, unus est hominis & jumentorum interitus & æqua conditio quoad moriendi necessitatem, sed non quoad conditionem mortem consequentem.

III. Ad intelligendi functionem pro hujus vitæ conditione adhibentur quidem phantasmata, ut res tum singulares, tum etiam communes ipsis contentas mens contempletur, non autem ut in parte corporea recipiatur intellectio. Anima igitur separata non dependet in intelligendo à phantasmatibus, sicuti nec angeli.

IV. Distinguendum est inter naturalem animæ separatæ appetitum; & inter animæ separatæ entitatem & essentiam. Anima à corpore separata est aliquo pacto in statu violento ratione sui appetitus naturalis, quia semper propendet in corpus, cujus est forma: Non autem est in statu violento ratione suæ entitatis aut essentiæ, quia hæc est independens à corpore. Quando ergo *Arist. l. 2. de cælo t.* 18. negat, *aliquando violentum esse durabile sive perpetuum*; violentum sumitur pro eo, quod est extra locum in quo tantum consistere potest. Hoc ad animam separatam adplicari nequit.

V. Licet anima sit immortalis, homo tamen timet mortem. Hic horror mortis nascitur ex appetitu sensitivo, qui dolorem ex separatione animæ à corpore reformidat; vel etiam ex appetitu rationali, quando exitura anima grave peccatorum onus persentit: non autem quando anima nihil sibi conscia è corpore ad cœlũ migratura egreditur; sic enim solutionem à corpore cupit, juxta illud D. Pauli, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

VI. Quod sic est in materia, ut in omnibus

nibus suis operationibus pendeat à dispositionibus materiæ, illud corrumpitur separatum à materia. Licet igitur anima rationalis sit in materia, non in omnibus tamen operationibus ab ea pendet, & ideo quantum ad hoc manebit. Unde etiam fit, ut non ipsa anima, sed ejus sola unio cum corpore pendeat à dispositionibus.

VII. Quando *Arist. l. de cælo t.* 102. inquit, *Omne quod habet initium, habet quoque finem*: illud intelligatur de rebus ex materia generatis: Anima autem rationalis forinsecus adcedit. Quare licet anima incipiat cum corpore, non tamen ideo esse desinit cum illo, sed permanet.

Quæstio XXV.

An singulare sensibile intellectu percipi possit? Affirm.

I. QUidquid distinguit singularia ab universalibus, & sensum circa singularia errantem corrigit, illud singularia percipit & cognoscit. Intellectus distinguit singularia ab universalibus, & sensum circa singularia errantem corrigit. Ergo intellectus singularia percipit.

II. Quod potest in subordinatis virtus inferior, id multo magis potest superior: *e. g.* quæ sensus externus percipit, eadem & phantasia sentit. Atqui phantasia, quæ est inferior intellectu, cognoscit singularia. Ergo ea multo magis cognoscit intellectus, qui est facultas superior.

OBSERVATIONES.

I. Duplex adsignatur objectum intellectus: Unum motivum, quo scilicet intellectus movetur, & adjuvatur ad cognitionem, licet ipsum in se non cognoscatur actu; & tale objectum est phantasma: Alterum est objectum terminativum, illud scilicet, quod per phantasma repræsentatur, & cognoscitur ab intellectu, unde dicitur terminativum, quia terminat actionem intellectus, & hoc est omne ens, in quantum est verum, & cognosci potest, sive sit singulare, sive universale, sive materiatum, sive immateriatum.

II. Distinguendum est inter objectum proprium, & inter objectum commune. Universalia sunt intellectus objectum proprium, quia solus intellectus universalia cognoscit: Singularia vero sunt intellectus objectum commune, quia non tantum intellectus, sed etiam sensus circa singularia versatur. In eo ergo differt intellectus à sensu, quod sensus sola singularia, intellectus vero universalia, sed non tantum dignoscat. Pari modo distinguitur sensus internus ab externo, quod hic præsentia, ille absentia, sed non tantum percipiat.

III. Distinguendum est inter singularium sensibilitatem, & inter singularium intelligibilitatem. Singularia aliam rationem formalem sortiuntur dum cadunt sub sensum, & aliam rationem formalem dum recidunt sub intellectum. Nam singularia pertinent ad sensum sub ratione sensibilitatis, ad intellectum vero sub ratione intelligibilitatis.

IV. Quamvis intellectus sit quid immateriale, & spirituale, singularia vero à sensu precepta sint materialia & corporalia, nihilominus tamen intellectus potest cognoscere singularia. Nam proportio essentiæ inter cognoscens & cognoscibile non semper est necessaria, sed potest res quoad essentiam eminentior & superior inferiorem cognoscere, v. g. Deus res à se creatas: imo ex parte inferior quoad essentiam potest cognoscere superiorem, ut

homo

homo Deum, cum quo nulla sibi ratione essentiæ intercedit proportio.

V. Distinguendum est inter rationem *Qua*, & inter rationem *Sub Qua* sive formale. Quando intellectus, qui est immaterialis, cognoscit singulare materiale, tunc ratio *Qua* potest esse quid materiale, non vero ratio *Sub Qua* sive formale, nam singulare qua materiale ne quidem sensus recipit: & ut hic homo componitur ex hac materia, ita homo universalis ex materia communi, proinde nec universale caret omni materia. Intellectus igitur speciem sensilem prius deornat materialitate sua, & ex phantasmate elicit speciem spiritualem, deinde demum illud in augustissimum suum palatium admittit, sed non sine suis conditionibus individuantibus: Non abstrahit intellectus ab objecto, sed à modo; nam objectum ut singulare & materiale cognoscit, sed modo spirituali.

VI. Intellectus universaliter præscindit à conditionibus individuantibus, quæ rem materiali modo repræsentant, quia cognoscit modo spiritali per speciem spiritalem, non autem præscindit necessario à conditionibus vel rationibus constituentibus rem in esse singularibus.

VII. Licet singulare sit cognitum ab intellectu, non tamen frustra ponitur intellectus agens: nam intellectus agens non ideo ponitur, ut abstrahat naturam à differentiis individuis, h. e. eam ponat in statu, in quo non nisi absque iis differentiis intelligi possit; sed ut à singularium rerum phantasmatibus eliciat species intelligibiles, sine quibus res ab intellectu non possunt percipi.

VIII. Distinguendum est inter potentias subordinatas, & inter potentias non subordinatas. In potentiis subordinatis superior cognoscit objectum inferioris, & alia alterius, non vero in potentiis non subordinatis. Cum igitur sensus intellectui subordinatus sit, ideo non valet hic argumentandi modus: Ita se habet sensus ad singularia, sicut intellectus ad universalia. Sed sensus tantum singularia percipit. Ergo intellectus tantum universalia.

IX. Quamvis intellectus cognoscat singularia, non tamen frustra ponuntur sensus, quemadmodum non frustranea est cognitio, qua sensus communis omnia externorum sensuum objecta cognoscit ac dijudicat: nam intellectus cognoscit quidem singularia; sed non ab iis immutatur, sed mediante imaginativa, sicut imaginativa mediis aliis sensibus, qui superflui non sunt.

X. Distinguendum est inter viam inquisitivam, & viam auscultativam. Quando *Aristoteles lib. 1. phys. cap. 1.* inquit, *Ex universalibus ad singularia procedere oportet*; non loquitur de via inquisitiva, nam *l. 1. post. anal. c. 15.* scribit, *scientiam illi defuturam esse, cui deest sensus*; sed de via auscultativa. Nihil ergo est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

Quæstio XXVI.

An voluntas reipsa differat ab intellectu?
Affirm.

1. QUæcunque potentiæ distinguuntur per diversos modos operandi, quos habent ex propria natura, illæ reipsa differunt: Intellectus & Voluntas distinguuntur per diversos modos operandi, quos habent ex propria natura, *quia* modus operandi intellectus est adtrahendo objectum ad se, illudque sibi conjungendo

per se, vel per suam similitudinem; modus autem operandi voluntatis est tendendo in objectum, seque ei conjungendo.

II. Illa reipsa distinguuntur, quæ se mutuo movent, *unum* enim & idem reipsa nequit seipsum movere, & à seipso moveri. Atqui intellectus & voluntas se mutuo movent. Ergo reipsa distinguuntur.

OBSERVATIONES.

I. Distinguendum est inter facultatem quæ neque intelligit, neque præeuntem sequitur notitiam; & inter facultatem quæ quidem non intelligit, præeuntem tamen notitiam sequitur. Prior faclutas, quæ scilicet neque intelligit, neque præeuntem sequitur notitiam, naturæ impetu & non libere in objectum fertur; sed ejusmodi facultas voluntas non est: etsi enim voluntas non intelligat, sive rem cognoscat, sequitur tamen cognitionem intellectus, à quo ei res amplectenda vel declinanda objicitur.

II. Electionem esse appetitum intellectus, vel intellectivum appetitum *l. 2. Eth. c. 2.* non probat, quod intelligere & velle sint actus ejusdem potentiæ; sed sic esse subordinatos, & adeo intrinsecam habere connexionem, quamvis diversarum potentiarum sint, ut actus voluntatis intrinsecum ordinem importet ad actum intellectus, tanquam ad conditionem intrinsecam sui objecti, & actus intellectus intrinsecum ordinem ad actum voluntatis, in quantum præstat objecto ejus conditionem omnino necessariam ut sit appetibile.

III. Separabilitas actuum efficaciter quidem probat distinctionem realem; Inseparabilitas vero non probat efficaciter identitatem, cum possit ex extrinseca rerum distinctarum connexione provenire. Sic intellectus & voluntatis actus non possunt separari, cum voluntas non possit ullo modo adpetere nisi bonum cognitum, non tamen intellectus & voluntas sunt unum & idem. *Sunt igitur* istæ duæ potentiæ realiter distinctæ, sed sic subordinatæ per intrinsecam connexionem, ut nec voluntas possit ferri in bonum nisi cognitum per intellectum, sibique ab eo repræsentatum.

IV. Ut voluntas libertatem habeat, non quidem sat est inhærere eam libero supposito, non tamen necesse est ut ipsamet sui actus judicium exerceat, sufficit enim posse arbitratu suo proprium actum exercere, vel suspendere, esto prædictum judicium ab alia facultate ipsam regente, in qua libertas ut in fonte & radice insidet, administretur.

V. Identitas realis potentiarum non sumitur ex identitate reali objecti, cum constet sensum & intellectum versari circa eandem rem, nam omne objectum sensibile est etiam intelligibile. Licet igitur etiam intellectus & voluntas versentur circa eandem rem, cum bonum, quod est objectum voluntatis, non sit res distincta ab ente, circa quod versatur intellectus; non tamen inde sequitur, quod intellectus & voluntas sit unum & idem.

FINIS.



PRÆCEPTA METAPHYSICÆ

EX

Probatis Autoribus collecta, & adjuvandæ memoriæ causa TABULIS Synopticis inclusa,

---

A

M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



LONDINI,

Typis *I. R.* Impensis *Iohan. Williams*, sub Signo Anchoræ Cæruleæ, in Vico Vulgo Voc. *Little Brittaine*. Anno Dom. 1666.

Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac Domino,

DN. ERNESTO,

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, Landtgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravensburg, Dynastæ Ravestine, *&c.*

Domino suo Clementissimo.

εὖ δράττειν.

CUM prolixa & intricata tam docendi, quam dicendi ratio ingenium perturbet, memoriam labefactet, doctrinam obscuret, & studiosæ juventuti non raro fastidium creet; operæ precium faciunt illi, qui antequam controversiarum pelago se committunt, aut spinosis subtilitatibus animum suum industriamque consecrant, in qualibet Scientia præcepta prius scitu maxime necessaria prælibant, atque fundamentum jacent, resectis & rejectis minus necessariis. Licet vero ejusmodi prima Scientiarum elementa & rudimenta variis disponi propinque possint modis, omnium tamen commodissima hactenus multis præclaris viris visa & probata est methodus ea, qua præcepta disciplinarum in memoriæ subsidium Tabulis Synopticis inclusa ordine & breviter traduntur: Sic enim nucleus cujuslibet capitis, qui alioquin in diversorum autorum pagellis non sine tædio esset conquirendus, artificiose sub uno habetur intuitu; & quæ passim & sparsim sapientissimi & acutissimi Philosophi bene dixerunt captum adolescentiæ non superantia, sub una peculiari & perpetua fere forma methodice disponuntur, hoc quantum subsidii studiis & memoriæ adferat, æstimant ii, quorum judicia nec odii nec amoris affectibus adulterantur. Hunc ergo in finem non tantum TABULAS LOGICAS, ETHICAS, PHYSICAS, & ASTRONOMICAS in meum, meorumque usum privatum ex fontibus Aristotelis, nec non saniorum interpretum commentariis, quondam à me congestas, superioribus annis publici juris feci; sed nunc etiam, amicis ita pervincentibus, communissima METAPHYSICÆ PRÆCEPTA, juvandæ memoriæ ergo, in TABULAS redacta, typis prodo: Præcepta inquam communissima, non nova sed passim usitata, & potissimum collecta atq; selecta ex SUAREZIO, communi illo omnium Metaphysicorum do-

ctore ac magistro, FONSECA, MENDOZA, aliisq multinominis autoribus, quibus suo jure quodam adjicio Clarissimum Philosophum Jenensem Dn. M. STHALIUM, Præceptorem meum honoratissimum. Nam si universam disciplinarum philosophicarum seriem paulo adtentiori intueamur animo, & sigillatim unamquamque trutina ponderemus æquissima; Metaphysica, sive ipsius dignitas spectetur, sive utilitas adtendatur, ultra reliquarum sortem quodammodo elevata est, *tantum caput effert, quantum lenta solet inter viburna cupressus:* cum sine hac Scientia nemo vel ambigua distinguere, vel obscura explicare, vel vera confirmare, vel falsa impugnare commode possit, & refellere. Has vero TABULAS METAPHYSICAS Vestræ Celsitudini, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, submississime dedicare volui, subjectissimam meam affectionem erga illustris. Vestram Celsitudinem declararem. Toti omnino Germaniæ, imo Europæ innotuit, quam constanti sinceræ religionis Illustris. Cels. Vestra ducatur zelo, quam heroicis & omnigenis decorata præfulgeat virtutibus, quam serio ac sedulo laboret, ut in ditionibus sibi subjectis literarum studia undique floreant atque vigescant. O beatum & æternis laudum præconiis dignissimum Principem, qui muneris divinitus sibi commissi tanta cura ducitur! Ut ergo Illustris. Cels. Vestra hoc levidense meum munusculum vultu benigno & sereno suscipiat, ac suo patrocinio exoptatissimo me meaque studia commendata esse gratiosissime concedat, ea, qua par est, animi subjectione & observantia peto atque contendo. Deus ter Opt. Max. Ilustr. Cels. Vestræ concedat ea omnia, quæ primæva Ecclesia, *Tertulliano teste in Apologet. c.*30. Imperatoribus precari consueverat; vitam nimirum prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes. Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Principis Christiani vota sunt. Dabam die 9. Octob. Anno 1634.

Illustriss. Celsit. Vestræ.

Subjectiss.

M. JOANNES STIER.



Lectori

Lectori Benevolo atque Candido *S. P.*

Cum in omnibus disciplinis mire prosit initio breve quoddam Compendium tradere, ut eo melius præparentur animi ad interiorem doctrinam recte percipiendam, maxime id quoque necessarium duxi in Disciplinarum Regina, hactenus spatiosissimis voluminum palatiis ostentata, vulgo Metaphysica *dicta.*

Deinde, quia secundum illud vulgatum, tantum scimus quantum memoria tenemus, *memoria vero mirum in modum inservire possunt* tabulæ Synopticæ, *siquidem in iis nucleus cujuslibet capitis, qui alioquin in diversis pagellis non sine tadio esset conquirendus, uno fere intuitu artificiose ostenditur, quo ordine unum sequatur aliud facile cognoscitur, quotve membra in quolibet capite notanda veniant statim animadvertitur, idem quoque non denegare potui huic ipsi Disciplinæ.*

Habebis autem hic præcepta *non de novo inventa, vel ex proprio cerebello deprompta, sed communissima, et in Scholis Metaphysicorum tritissima: imprimis vero selecta ex Metaphysicorū Doctoribus ac Magistris,* Suarezio, Fonseca, Mendoza, *aliisq; multi nominis* autoribus, *quibus suo jure quodam adjicio Clarissimum Philosophum Ienensem.* Dn. M. Sthalium, *Præceptorem meum honorandum.*

Neque enim eos imitari animus unquam fuit, qui, quod ab aliis hausere, non ut alienum, sed suum nundinantur: cum candidi & ingenui hominis sit fateri, per quos profecerit.

Si quid igitur recte dictum hisce in tabulis inveneris, illud omne prædictis autoribus acceptum referas: Sin vero minus, & quædam tuo palato minime adriserint, iisque tuum denegaveris calculum, eadem quoque ex iisdem, cum quibus prius transigas, quam hæc præcepta taxes, me hausisse scias, Ignosces igitur, ut eandem veniam apud alios impetres. Vale, mihique fave. Dab. Anno 1641.

Tabula Generalis totius METAPHYSICÆ Synopsin adumbrans.

Partes METAPHYSICÆ sunt *duæ.*

- *Generalis,* quæ agit tum
  - *De Natura & Destinctionibus Entis.* Cap. I.
  - *De Affectionibus Entis*
    - *In Communi.* Cap. II.
    - *In Specie.* Affectiones Entis sunt vel
      - *Simplices*: ut
        - 1. *Unum.* Cap. III.
        - 2. *Verum.* Cap. IV.
        - 3. *Bonum.* Cap. V.
      - *Disjunctæ* eæque
        - *Immediata*: ut
          - 1. *Actus.* Cap. VI. / *Potentia.* Cap. VII.
          - 2. *Principium & Principiatum.* Cap. VIII.
          - 3. *Causa & causatum*
            - *In Communi.* Cap. IX.
            - *In specie.* Causæ sunt vel
              - *Internæ*: *Materia.* Cap. X. / *Forma.* Cap. XI.
              - *Externæ*: *Efficiens* Ca XII. / *Finis.* Cap. XIII.
          - 4. *Necessarium & contingens.* Cap. XIV.
        - *Mediatæ*: ut
          - 1. *Simplex & Compositum.* Cap. XV.
          - 2. *Totum & Pars.* Cap. XVI.
          - 3. *Idem.* Cap. XVII. / *Diversum,* vel
            - Sine pugna, unde *Distinctio.* Cap. XVIII.
            - Cum pugna, unde *Oppositio.* Cap. XIX.
          - 4. *Universale & Singulare.* Cap. XX.
          - 5. *Finitum & Infinitum.* Cap. XXI.
          - 6. *Perfectum & Imperfectum.* Cap. XXII.
- *Specialis,* quæ agit tum
  - *De Substantia.* Cap. I.
  - *De Accidentibus,* tum
    - *Primariis.* Cap. II.
    - *Secundariis,* Cap. III.

Procœmium.

De Natura & Constitutione Metaphysicæ.

De Natura & Constitutione Metaphysicæ sex not.

- **I.** *An detur Metaphysica?* R. Aff:
  - 1. *Quia* datur distinctum objectum, & modus considerandi objectum diversus à modo illo, qui datur in aliis disciplinis: nam in Metaphysica consideratur ens, quatenus ens.
  - 2. *Quia* nulla alia datur disciplina, in qua proprie tam de affectionibus entis *e.g. Uno, Vero, Bono,* quam de ejusdem differentis & divisionibus, *ut, in substantiam & accidens,* agatur.
- **II.** *Nomen,* circa quod observ.
  - 1. *Etymologia.* Metaphysica dicitur à μετὰ post vel trans, & φυσικὴ, vel
    - 1. *Quia* Metaphysica agit de iis, quæ res naturales transscendunt, & supra Physicam sunt.
    - 2. *Quia* Metaphysica post Physicam est inventa. Non igitur sic dicitur ratione ordinis naturæ; (*Cum quoad ordinem naturæ ea, quæ in Metaphysicis considerantur sint priora rebus Physicis;*) sed ratione ordinis inventionis.
  - 2. *Synonymia;* Metaphysica etiam vocatur.
    - 1. *Phylosophia,* absolute, & quasi per antonomasiam, quia est nobilissima pars philosophiæ.
    - 2. *Philosophia prima,* quia primos conceptus, primaque principia considerat, in quibus reliquarum omnium scientiarum principia fundantur.
    - 3. *Theologia naturalis,* quia quantum lumine naturæ fieri potest, de rebus immaterialibus, incorruptibilibus, actibus puris, *&c.* tractat.
    - 4. *Sapientia,* quia de primis rerum causis, & supremis ac difficillimis rebus, & quodammodo de universis entibus disputat.
- **III.** *Quid sit?* R. METAPHYSICA est scientia, quæ contemplatur ens quatenus ens; vel METAPHYSICA est scientia, quæ ens in quantum ens, seu in quantum à materia abstrahit secundum esse, contemplatur. *Suarez. disp.* 1. *sect.* 3.
- **IV.** *Subjectum* sive *Objectum* est ens quatenus ens, *h. e. secundum rem & rationem à materia abstractum.* Res considerata, sive Objectum materiale, est *ens:* Modus vero considerandi, sive Objectum formale, est *quatenus ens.* Sumitur autem particula illa reduplicativa, *qua* vel *quatenus* non specificative, sed reduplicative; ita ut illud *quatenus ens* dicat causam, vel rationem cur prædicatum illud, *esse subjectum Metaphysicæ,* subjecto videlicet *enti* attribuatur.
- **V.** *Divisio.* Metaphysica dividitur in partem
  - *Generalem* seu *Communem,* quæ de communi entis natura, ejusq; communissimis affectionibus agit. *Vide pag.* 2. *& seqq.*
  - *Specialem* seu *Propriam,* quæ agit de speciebus entis analogis, ut sunt substantia & accidens. *Vide pag.* 23. *& seqq.*
- **VI.** *Theoremata.*
  - 1. Metaphysica est disciplina generalissima & communissima.
  - 2. In Metaphysica dantur principia demonstrativa.
  - 3. Primum omnium principiorum est, *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Vel, *Impossibile est idem simul affirmari & negari de eodem.*

Pars



Pars Generalis Metaphysicæ.

CAP. I.

De Natura & distinctionibus Entis.

De Ente in Communi duo not.

- **I. NATURA ENTIS; Ubi not.**
  - I. *Quid sit?* R. ENS est, quod non repugnat existere. *Mendoza disp.* 2. *sect.* 1. *Vel*, ENS est, quod habet essentiam realem, id est, non fictam, sed veram & aptam ad realiter existendum. *Suarez. disp.* 2. *sect.* 4.
  - *II. Distinctiones.* Ens
    - 1. *Accipitur* vel
      - 1. *Nominaliter* sive *Substantive*, quatenus est nomen verbale, & significat essentiam, vel rem ratione essentiæ suæ, sive actu existat, sive non. ESSENTIA est id, quod primo accipitur de re. *Suarez.* 1. *d.*
      - 2. *Participialiter* sive *Adjective*, ut est participium verbi *Sum*, & significat existentiam, sive rem actu existentem. EXISTENTIA est illa ratio, per quam res sunt extra causas in rerum natura, sive actu. *Mendoza disp.* 8.
    - 2. *Significat* vel
      - 1. *Id Quod habet essentiam.* Sic nihil adpellatur ens, nisi ponat aliquid in re, sive, nisi sit aliquid positivum; *Unde privationes & negationes entia dici nequeunt.*
      - 2. *Veritatem propositionis.* Sic omne illud ens vocari potest de quo propositio affirmativa potest formari; *Hoc modo etiam privationes, negationes, & entia rationis, entia vocari possunt.*
    - 3. *Est* vel
      - *Reale*, quod habet esse à parte rei actu vel potentia. *Mendoza disp.* 19. *sect.* 1.
      - *Rationis*, quod habet esse objective tantum in intellectu *Seu*, quod à ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat. *Suarez disp.* 45.
    - 4. *Est* vel
      - *Per se*, quod præcise habet ea, quæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis entis in suo genere per se & intrinsece requiritur. *Suarez.*
      - *Per accidens*, quod constans ex aliquo, quod neque ad essentiam, neque ad integritatem, nec ad complementum rei in suo genere per se & intrinsece requiritur.
  - *III. Conceptus Entis*, estque
    - *Formalis*, & dicitur actus ipse seu verbũ quo intellectus rem aliquam, seu communem rationem concipit. *Suar. disp.* 2.
    - *Objectivus*, & dicitur res illa, vel ratio, quæ proprie & immediate per conceptum formalem cognoscitur, repræsentatur. *Ibid.*
  - *IV Theoremata.*
    - 1. Ens est primo cognitũ, *cognitione originali, & actuali confusa.*
    - 2. Ens in respectu ad inferiora, *nempe ad Deum & creaturas, substantiam & accidens*, non est æquivocum, neque univocum, sed analogum.
    - 3. Ens, qua tale, non habet principia.
- **II. ADTRIBUTA, sive AFFECTIONES ENTIS.** *De quibus cap. seq.*

CAP. II.

De Affectionibus Entis in communi.

De AFFECT. Entis not:

1. *An ens habeat veras aliquas affectiones?* R. Affirm. Quia enti competunt aliqua, quæ cum ipso reciprocantur, nec tamen sunt primus ejus conceptus, sed primum conceptum sequuntur: *e. g. Unum, verum, bonum, esse actu vel potentia.*

2. *Quotuplices?* R.
   - *Simplices*, quæ enti adæquate insunt, & cum eo convertuntur sub uno conceptu, *De quibus cap. 3. & seqq.*
   - *Disjunctivæ*, quæ cum ente reciprocantur sub disjunctione: *Suntque*
     - *Immediatæ*, quæ entis conceptum immediate sequuntur, vel saltem non mediante aliquo adtributo simplici. *cap. 6. & seqq.*
     - *Mediatæ*, quæ mediante aliquo attributo simplici enti conveniunt. *cap. 15. & seq.*

3. *Theoremata.*
   1. Affectiones entis sunt reales, *quia competunt enti citra mentis operationem.*
   2. Affectiones vel Vttributa entis de ente possunt demonstrari.
   3. Affectiones entis non differunt reipsa ab ente, sed ratione.

CAP. III.

De Uno.

AFFECTIONES SIMPLICES sunt,

I. UNUM, de quo quatuor not.

I. *Quid sit?* R. UNUM est, quod est in se indivisum.

II. *Quotuplex?* R.
- 1. vel
  - *Per se.* Hoc idem est, quod ens per se, supra cap. 1. definitum.
  - *Per Accidens.* Hoc constat ex iis, vel
    - *Quæ* sunt revera in se divisa, vel
      - Sine ordine: ut, *acervus lapidum.*
      - Cum ordine: ut, *exercitus.*
    - *Quæ* non sunt divisa sed unita, vel
      - Artificialiter: ut, *domus.*
      - Naturaliter: ut,
        - Subjectum & accidens.
        - Duo accidentia.
- 2. vel
  - *Indivisibile*, quod nec actu divisum est, nec dividi potest.
  - *Indivisum*, quod actu quidem divisum non est, aptum tamen ut dividatur. *Hoc dicitur compositum.*
- 3. vel
  - *Universale:* unitas Universalis consistit in divisione alicujus naturæ in plures naturas similes, sub eodem nomine & ratione, cum aptitudine ut in eas dividatur. *Suarez. disp. 6. sect. 13.*
  - *Formale:* Unitas formalis appellatur, quæ per se & immediate convenit essentiæ sive naturæ prout præscindit ab esse quod habet in individuis.
  - *Individuale:* Unitas Individualis non solum dicit indivisionem, sed etiam ineptitudinem ad divisionem in plura, quæ talia sunt, quale est ipsum divisum. *Suarez. l. d.*

III. *Oppositum*; estque MULTUM, quod actu divisum est.

IV. *Theoremata*
1. Quod non est unum, illud nec est quidem.
2. Tantum de uno quæque habent, quantum de ente.
3. Unum non addit supra ens aliquod positivum.

II. VERUM, *de quo cap. 4.*

III. BONUM, *de quo cap. 5.*



CAP.

CAP. IV.

De Vero.

De VERO quinque not.

I. *Nomen*, circa quod observ. *Veritatem considerari*
- 1. *In actu exercito*, seu *materialiter*, quando certæ alicujus rei veritas requiritur. *Hæc consideratio ad omnes pertinet disciplinas: Quid enim vere sit ens, substantia, accidens, Metaphysicus tractat; quid vere sit linea, Mathematicus.*
- 2. *In actu signato*, seu *formaliter*, quando ipsa natura veri formalis, quod scilicet sit, in se consideratur.

II. *Quid sit?* R: VERUM *sive* VERITAS est conformitas intellectus cum re.

III. *Quotuplex?* R. Veritas est
- 1. vel
  - *Incomplexa*, quæ est ipsius rei veritas, qua quodvis ens in sua essentia dicitur verum, quia habet essentiam sibi debitam.
  - *Complexa*, quæ in compositione & divisione terminorum simpliciũ consistit, & est veritas propositionum, nempe conformitas intellectus componentis & dividentis cum rebus compositis & divisis
- 2. vel
  - *In significando*, quæ propriæ reperitur in vocibus, vel scripturis, aut etiã in conceptibus, quos non ultimatos vocant. *Suarez. disp.* 8.
  - *In cognoscendo*, quæ est in intellectu cognoscente res, seu in cognitione & conceptione ipsarum rerum. *Ibid.*
  - *In essendo*. Hæc veritas est in rebus ipsis, quæ ab illa denominantur veræ. *Ibid.*

IV. *Oppositum.* Vero opponitur
- 1. FALSUM: ubi not.
  - 1. *Quid sit?* R. FALSUM est, quod adparet id quod non est. *Vel*, FALSUM est disconvenientia seu inadæquatio, quæ est inter judicium intellectus componentis & dividentis, & rem ipsam prout est in se. Suarez. *disp.* 9. *sect.* 1.
  - 2. *Quot modis res dicatur falsa?* R.
    - 1. Propter similitudinem ad rem veram, ratione cujus occasionem falsitatis nobis præbet, ut illud existimemus esse quod non est. *Hoc modo aurichalcum dicitur falsum aurum. Suarez.*
    - 3. Quia est objectum falsæ enunciationis; quod tamen objectum est objective tantum in intellectu. *Sic idolum dicitur falsus Deus. Suarez.*
    - 3. Quia non est adæquata & conformis arti. *Hic modus habet locum in artefactis. Suarez.*
- 2. IGNORANTIA, quæ est vel
  - *Secundum puram negationem*, quando simpliciter aliquid ignoratur, & nihil de re aliqua intelligitur.
  - *Secundum pravam dispositionem*, quando falsa opinio & error habetur de re aliqua.

V. *Theoremata.*
- 1. Veritas, quamvis in simplici mentis operatione reperiatur, speciali tamen ratione est in compositione & divisione.
- 2. Verum significat rem cognoscibilem, sicut est.
- 3. Verum (uti & Falsum) est dominatio extrinseca rebus.
- 4. Falsitas non competit rebus secundum se; *h. e. nulla res dicitur falsa, relata ad id quod est, sed relata ad id quod non est.*

CAP. V.

De Bono.

De BONO quinque not.

- **I. *Nomen.* Bonum, uti & Malum accipiuntur, *vel***
  - *In abstracto*, sive *formaliter*, & sic bonum est ipsa perfectio in-esse debita, malum carentia talis perfectionis.
  - *In concreto*; & sic bonum est res habens perfectionem debitam, & malum est res carens perfectione debita.
- **II. *Quid sit*?** R. BONUM est quod alicui est conveniens. *Suarez. disp.* 10. *sect.* 1. *Vel* BONUM est perfectio inesse debita. *Vasquez. disp.* 23.
- **III. *Quotuplex?* R.**
  - 1. vel
    - *Verum*, quod tale est, quale existimatur & cognoscitur. *Suarez. disp.* 10. *sect.* 2.
    - *Adparens*, quod existimatur, non tamen est reale. *Suarez. ibid.*
  - 2. vel
    - *Naturale*, quod est consentaneum cuicunque naturæ secundum id quod naturaliter est, vel naturaliter operari potest. *Suarez. ibid.*
    - *Morale* quod est consentaneum rei, ut libere operatur. *ibid.*
    - *Transcendentale*, quod dicit in communi perfectionem rei convenientem, præsertim illam, quam unaquæque res habet per entitatem suam, *ibid.*
  - 3. vel
    - *Per essentiam*, quod à se ipso & per se ipsum bonum est; ut, Deus.
    - *Per participationem*, quod suam perfectionem habet ab alio dependentem: *qua ratione omnia excepto solo Deo bona sunt.*
  - 4. vel
    - *Simpliciter* seu *absolute bonum*, quod in se bonum est.
    - *Alteri bonum*, quod dirigitur ad alium. *Dicitur autem* bonum alteri *non exclusive, sed præsupponit bonum in se.*
  - 5. vel
    - *Jucundum* seu *delectabile*, quod homini est conveniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum adfert. *Suarez. l. d.*
    - *Honestum*, quod homini est conveniens absq; ordine ad delectationẽ, sed solum quia per se decet, vel conveniens est homini ut sic. *ib.*
    - *Utile*, quod licet ex se spectatum delectationem non adferat, neq; ex se deceat, aut conveniens sit homini, tamen ut conferre potest ad aliud bonum obtinendum, conveniens censetur. *ibid.*
- **IV. *Oppositum*, estq; MALUM; Ubi not.**
  - I. *Quid sit*? R. MALUM est privatio perfectionis debitæ in-esse. *Suarez. disp.* 11. *sect.* 1.
  - 2. *Quotuplex?* R.
    - 1. vel
      - *Absolute malum*, quod in sola privatione positum est.
      - *Alteri malum*, estque vel
        - *Naturale*, estq; omnis privatio naturalis boni naturæ debiti, seu omne id, quod natura sua est conveniens alteri naturæ. *ibid.*
        - *Morale*, quod est disconveniens naturæ *liberæ*, quatenus libera est. *ibid.*
    - 2. vel
      - *Culpa*, & est inordinatio in actione vel omissione libera; seu, carentia perfectionis debitæ secundum liberam actionem. *Suarez. ibid.*
      - *Pœna*, & est quælibet alia carentia boni debiti, contracta seu inflicta ob culpam. *ibid.*
- **V. *Theoremata*,**
  1. Omnia bonum adpetunt.
  2. Omne bonum est communicativum sui.
  3. Res Mathematicæ, quatenus sunt ejusmodi, non sunt bonæ.

CAP.

CAP. VI.


De Actu.

Affect. DISJUNCTÆ IMMEDIATÆ sunt:

- I. Esse vel
  - ACTU: ubi not.
    - I. Nomen; ubi not.
      - 1. Aliud est
        - Esse actum, id est, esse perfectionem alicujus, sive esse principium quo res est, *h. e. extra causas consistens.*
        - Esse actu, id est, quasi affectio & modus entis, nempe constitutum esse extra nihil & suas causas; *h. e. illud dicitur esse actu, quod vere existit.*
      - 2. Actus sumitur vel
        - *Respective*, quatenus importat ordinem ad potentiam, & per eum definit aliquid esse in potentia, si in ea fuerit.
        - *Absolute*, prout in se est actuale quid, & non potentiale, quamvis nihil aliud actuet: ut, *Deus.*
    - I. *Quid sit?* R. ACTUS est, qui dirigitur ad potentiam, eamque perficit.
    - III. *Quotuplex sit?* Resp. Actus est
      - 1. vel
        - *Purus*, qui excludit omnem potentiam, *sc. passivam. vel*, est tale & tam perfectum ens, quod nullam habet potentialitatem ad recipiendum aliquid aliud perfectionis & entitatis; ut *est solus Deus. Greg. de Valent. tom.* 1. *d.* 1. *q.* 3.
        - *Impurus*, cui semper aliquid potentiæ sc. passivæ admixtum adhæret. *Talis actus est omnis creatura.*
      - 2. vel
        - *Primus*, & est ipsa rei forma, quæ neque importat operationem neq; negationem operationis, sed ab utraque est præcisa. *h. e. actus primus sive operatur sive non.*
        - *Secundus*, & est actio à forma procedens.
      - 3. vel
        - *Formalis*, quo ipsa forma esse dicitur, ac perfectis ac completis entibus suum esse distinctum communicare.
        - *Entitativus*, qui respondet potentiæ objectivæ, & est ipsa existentia rei, *h. e. vera rei positio extra nihil.*
      - 4. vel
        - *Signatus*, & est ratio formalis sive conceptus quidditativus alicujus rei in se consideratæ.
        - *Exercitus*, & est res substrata rationi formali, vel ipsa ratio formalis ut alicui rei competit.
      - 5 vel
        - *Essentiæ*, qui rem ita actuat, ut ejus essentia constet, quæ definitione exprimitur; ut, in *homine actus essentia est esse animal rationale.*
        - *Existentiæ*, qui est complementum essentiæ dans ultimum esse rei; ut, *in Petro, Paulo*, &c. τὸ *hoc est rationale.*
    - IV. *Theoremata.*
      1. Cujus est actus, ejusdem est potentia.
      2. Actus prior est potentia.
      3. Actus & potentia opponuntur privative: *Si potentia ratione adjunctæ privationis, & ut excludit actum consideretur.*
  - POTENTIA, *Cap.* 7.
- II. PRINCIPIUM *vel* PRINCIPIATUM. *Cap* 8.
- III. CAUSA *vel* CAUSATUM. *Cap.* 9. *& seqq.*
- IV. NECESSARIUM *vel* CONTINGENS. *Cap.* 14.

CAP. VII.

De Potentia.



De POTENTIA quatuor not.

- *I. Nomen*, ubi duo not.
  - 1. *Aliud* est
    - *Esse potentiam.* Hoc significat vim, & aptitudinem, per quam aliquid esse potest.
    - *Esse in potentia.* Hoc significat illud quod nondum est, sed tamen esse potest, adeoque adhuc est in suis causis.
  - 2. *Potentia* sumitur *vel*
    - *Transcendentaliter*, h. e. tam late, prout cum suo opposito, nempe actu, dividit omne ens, & certæ alicujus categoriæ terminis non cohibetur.
    - *Prædicamentaliter*, prout solam illam potentiam comprehendit, quæ est in secunda specie qualitatis. Hæc continetur sub potentia transcendentali.
- *II Quid sit?* R. POTENTIA est, qua ens esse posse intelligitur, quando nondum est.
- *III. Quotuplex?* R. Potentia est
  - 1. vel
    - *Activa*, de qua duo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Potentia activa est, quæ virtute continet aliquem effectum, illumq; potest producere. *Mendoza Phys. disp. 2. sect. 2.*
      - 2. *Quotuplex?* R.
        - 1. vel
          - *Infinita*, soliusque Dei est, vel
            - *Ordinata*, & est ipsa Dei potentia, quatenus adcommodata, & quasi debita est exequendæ alicui legi à Deo institutæ. *Fonseca lib. 9. c. 1. q. 9.*
            - *Absoluta*, quatenus per eam Deus potest facere omne id quod fieri contradictionem non implicat.
          - *Finita*, estque creaturarum propria.
        - 2. vel
          - *Rationalis* seu *Libera*, quæ est indifferens ad utrumque oppositorum; *Vel*, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere vel non agere.
          - *Irrationalis* seu *Naturalis*, quæ ad unum tantum est determinata; sive, quæ alteram tantum contradictionis partem respicit.
    - *Passiva*, quæ recipere potest aliquam formam. *Mendoza l. d.*
    - *Objectiva*, estque non repugnantia rei ad essendum. *Mendoza l. d.*
  - 2. vel
    - *Naturalis*, quæ viribus naturæ, cum generali Dei concursu, potest perduci ad actum. *Fonseca l. 9. c. 1. q. 4. sect. 1.*
    - *Obedientialis*, qua res aliqua apta est ad actum aliquem supernaturalem cum concursu Dei speciali.
  - 3. vel
    - *Proxima*, cui immediate respondet actus.
    - *Remota*, inter quam & actum alius mediat & intercedit actus. *Potentia remota si nimis remota, est, amittit nomen potentiæ.*
- *IV. Theoremata.*
  1. Cujus est potentia, ejusdem est actus.
  2. Quod transit de potentia ad actum, mutatur.
  3. Potentia non excedit suum objectum adæquatum.

CAP.

CAP. VIII.

De Principio & Principiato.

Sequuntur:

- PRINCIPIVM, de quo quinq; not.
  - I. *Quid sit?* R. PRINCIPIUM est primum, unde aliquid aut fit, aut cognoscitur. *Arist. lib.* 5. *Metaph. c.* 1. *Vel*, PRINCIPIUM est id, à quo aliquid procedit quocunque modo. *D. Thom. part.* 1. *p.* 33. *art.* 1.
  - II. *Requisita.* Vt aliquid principium alicujus dicatur requiritur
    1. Vt aliquo modo prius eo, cujus est principium. Hoc indicatur ipso nomine principii.
    2. Vt sit aliqua connexio inter illa, vel consecutio unius ad alterum. *Sic infans heri natus, licet sit prior eo qui hodie natus est, non tamen dicitur principium ejus, quia inter illos nulla intercedit connexio.*
  - III. *Quotuplex?* R. Principium est
    - 1. vel
      - *Rei, ejusq; vel*
        - *In fieri*, unde aliquid fit. Sub principio rei in fieri continentur omnia principia tum rerum successivarum; ut sunt *motus & tempus*; tum operationum, quæ suum esse in fieri habent.
        - *In facto esse*, unde aliquid est. Sub principio rei in facto esse continentur omnia principia rerum, quæ suum esse habent in facto esse.
      - *Cognitionis*, quod vel
        - *Incomplexum*, ut sunt rei affectus operationes, proprietates, accidentia, quæ ducunt in cognitionem alicujus causæ vel essentiæ.
        - *Complexum*, cujusmodi sunt axiomata, & propositiones universales; *e. g. Totum majus suis partibus.*
    - 2. vel
      - *Causale.* quod habet verum influxum causalem in aliud, estque idem quod causa.
      - *Non causale*, quod habet rationem principii citra influxum causalem; *Sic privatio est principium, non vero causa; Pater est principium Filii in Trinitate.*
  - IV. *Cognatum*, estq; PRIUS, de quo not.
    - 1. *Quot modis dicatur?* R.
      1. *Tempore*, quod est vetustius & antiquius.
      2. *Natura*, quod in naturali essendi ordine antecedit.
      3. *Ordine*, quod ante aliud subsequens est dispositum, situm, collocatum.
      4. *Dignitate*, quod est melius & præstantius.
      5. *Cognitione*, quod est notius & facilius.
    - 2. *Oppositum*, estque POSTERIUS. Quot modis dicitur prius, tot modis etiam dicitur posterius.
  - V. *Theoremata.*
    1. In principiis non datur progressus in infinitum.
    2. Principia essendi sunt etiam principia cognoscendi; *Ex quibus aliquid dependet in esse, ex iisdem etiam dependet in cognosci.*
    3. Principium latius patet quam causa.
- PRINCIPIATUM, quod ordinem habet ad principium tanquam posterius ad prius.

CAP. IX.

De Causa & Causato in communi.

CAUSA, de qua quinque not.

I. *Quid sit?* R. CAUSA est principium, per se influens esse in aliud. *Suarez. disp.* 12. *sect.* 12.

II. *Causalitas*, quæ est ratio formalis causæ; Est autem aliquid formaliter causa, non quando potest causare, sed quando actu causat. *Vel*, Causalitas sive Causatio, est influxus ille seu concursus, quo unaquæque causa in suo genere actu influit in effectum. *Suarez. ibid.*

III. *Quotuplex?* R.

- 1. vel
  - *Actu*, quæ & revera influit in effectum.
  - *Potentia*, quæ actu non influit in effectum, habet tamen potentiam influendi. *Hæc proprie non est causa.*
- 2. vel
  - *Vera*, quæ vere & realiter influit in esse effectus.
  - *Sine qua non*, quæ licet non habeat verum influxum in esse effectus, effectus tamen sine ea esse vel fieri nequit.
- 3. vel
  - *Totalis*, sive *Solitaria* quæ ita influit in effectum, ut non concurrat alia causa ejusdē ordinis in eodem genere.
  - *Partialis* sive *Socia*, quæ influit in effectū concurrente simul alia causa ejusdem ordinis in eodem genere.
- 4. vel
  - *Remota* seu *Mediata*, quæ influit in effectum interveniente alia causa ejusdem generis.
  - *Proxima* seu *Immediata*, quæ ita fluit, ut non interveniat alia causa ejusdem generis
- 5. vel
  - *Subordinata*, idq; vel
    - *Essentialiter.* Causæ essentialiter subordinatæ sunt quælibet causæ duæ ejusdem generis, quæ ita sunt adfectæ inter se, ut altera ex natura sua pendeat ab altera in causando, *Fonseca l.* 2. *c.* 2. *q.* 1.
    - *Accidentaliter.* Causæ accidentaliter subordinatæ sunt quælibet duæ causæ ejusdem generis, quæ ita sunt adfectæ inter se, ut altera, non tamen in causando.
  - *Non subordinata*, quæ nec sua natura in causando nec alio modo ab altera dependet.

IV. *Quot sint?* R. quatuor; vel

- *Internæ*, quæ intra rei, cujus sunt causæ, essentiam continentur; ut
  - MATERIA, *cap.* X.
  - FORMA, *cap.* XI.
- *Externæ*, quæ essentiam effectus non ingrediuntur; ut,
  - EFFICIENS, *cap.* XII.
  - FINIS, *cap.* XIII.

V. *Theoremata.*

1. Nihil est causa sui ipsius.
2. Causa prior est causato.
3. Causa non est deterior effectu.
4. Quicquid est in effectu, præexistit in causa.

Sequuntur

CAUSATUM, Quod ex causa suum esse habet; *Vel*, Quod à causis suis dependet.

CAP. X.

De *Materia*.

De MATERIA quinque not.

I. *Quid sit?* R. MATERIA est id, ex quo quidpiam fit eo pacto, ut insit *Arist. l. 2. Phys. c. 3. Vel,* MATERIA est principium internum, quod per potentiam passivam sive receptivam in rem influit.

II. *Causatum*, sive *Effectus Materiæ*, estque
- *Primarius & adæquatus*, scil compositum, quod primario intenditur.
- *Secundarius & inadæquatus*, scil. forma quæ in composito sicut pars continetur & causatur à materia propter compositum. Forma enim à materia ratione potentiæ passivæ dependet, & è potentia materiæ educitur. Ergo materia est causa formæ, & forma causatum materiæ.

III. *Causalitas materiæ* tum respectu formæ, tum respectu compositi, estque vel
- *In fieri*, & est generatio, non tamen ut est actio, & importat dependentiam ab agente, sed ut est passio, & dicit dependentiam à materia. *Actio & passio eadem est entitas; dicitur enim actio ut concipitur tanquam dependentia à potentia activâ; Passio vero adpellatur ut respicit patiens, & importat dependentiam à materia.*
- *In facto esse*, & est unio inter materiam & formam, prout illa unio sumitur ex parte materiæ; *h. e. prout est subjective in materia, & potest dici receptio formæ, & per eam ut sic non forma sed materia perficitur.*

IV. *Quotuplex?* R.
- I. *Ex qua*, i. e. ex quo aliquid est vel fit; *Estque*
  - 1. vel
    - *Prima*, & est primum subjectum, ex quo inexistente res fiunt, & in quod ultimo resolvuntur.
    - *Secunda*, quæ ita est materia alicujus, ut ipsa constet ex alia materia.
  - 2. vel
    - *Permanens*, ex qua aliquid est vel fit, salvâ manente ejus essentia; *Sic ex auro fit poculum.*
    - *Transiens*, ex qua mutata nec essentiam suam retinente res fit; *Sic ex ovo fit pullus.*
  - 3. vel
    - *Proxima*, ea qua aliquid immediata est vel fit.
    - *Remota*, ex qua mediante alia materia aliquid est vel fit; *Vel* quæ ita est materia alicujus, ut sit prius materia alterius.
  - 4. vel
    - *Sensibilis*, & est ipsa substantia habens qualitates sensibiles, *h. e. quæ primo & per se sunt objecta aliquorum sensuum. Soncin. l. 6. q. 11.*
    - *Intelligibilis*, & est ipsamet substantia considerata absque qualitatibus sensibilibus. *Ibid.*
- II. *In qua*, estque subjectum, in quo aliquid est vel fit.
- *Circa quam*, estque objectum, circa quod agens versatur.

V. *Theoremata.*
1. Ratio causandi materiæ est potentia passiva sive receptiva; *quia ratione potentiæ passivæ forma producitur, & pendet à materia, ejusque ratione materia cum forma unitur.*
2. Materia est determinabilis.
3. Quod caret materia, expers est passionis.

CAP. XI.

De Forma.

De FORMA quinque not.

1. *Quid sit?* R. FORMA est ratio essentiæ sive quidditatis. *Arist. l. 2. Phys. cap. 3. Vel*, FORMA est substantia quædam simplex & incompleta, quæ, ut actus materiæ, cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ, *Suarez. disp. 15. sect. 5.*

2. *Causatum*, sive *Effectus Formæ*, estque vel
   - *Primarius*, & est compositum; nam forma propriam suam essentiam largiendo compositum constituit. Ergo forma est causa compositi.
   - *Secundarius*, & est materia non quidem secundum esse suum considerata, & à forma esse & informatione præcisa, sed ut est informata per formam, quia materia ut informata idem est quod compositum, nec ab eo secundum rem differt, cum unum nec plura nec pauciora includat quam alterum.

3. *Causaltas Formæ*, estque actualis unio inter materiam & formam, prout illa sumitur ex parte formæ; *h. e. prout est subjective in forma, & potest dici actuatio & informatio materiæ, & per eam ut sic forma perficitur.*

4. *Quotuplex?* R.
   - 1. vel
     - *Informans*, quæ unione Physica conjungitur subjecto. *Mendoza de anima disp. 1. sect. 2.*
     - *Adsistens*, quæ nullam habet unionẽ Physicam cum re, cui adsistit, sed tantũ propinquitatem ad illam movendam. *Mendoza ibid.* Dicitur *autem improprie* forma *& potius pertinet ad genus causæ efficientis.*
   - 2. vel
     - *Substantialis*, quæ cum subjecto sive materia, quam informat, constituit compositum per se, pertinetq; ad prædicamentum Substantiæ.
     - *Accidentalis*, estq; accidens in abstracto consideratũ, constituens cum subjecto unum per accidens: ut, *albedo, quæ constituit corpus album.*
   - 3. vel
     - *Totalis*, quæ informat omnes partes alicujus continui heterogenei: ut, *anima, quæ informat omnes partes animalis.*
     - *Partialis*, quæ non continuum heterogeneum, sed aliquam ejus partem informat: ut, *forma carnis, forma ossis, forma cutis.*
   - 4. vel
     - *Physica*, estque altera pars compositi contradistincta à materia, & est forma proprie dicta. *Vocatur alias forma partis.*
     - *Metaphysica*, estque ipsum totum, vel quidditas & essentia totius. Dicitur *alias Forma totius; estque improprie forma.*
   - 5. vel
     - *Materialis*, quæ à Materia dependet, ita ut naturaliter extra eam esse non possit. *Tales sunt omnes formæ, excepta anima rationali.*
     - *Immaterialis*, quæ citra materiam subsistere apta est; ut *anima rationalis.*
   - 6. vel
     - *Generica*, quæ effertur prædicato generico.
     - *Specifica*, quæ effertur prædicato specifico; *e. g. albedo in lacte forma specifica dicitur, color vero & qualitas sunt formæ genericæ.*

5. *Theoremata*,
   1. Ratio causandi Formæ non est aliquod formæ accidens, sed ipsa ejus entitas: nimirum potentia informandi. *quia informatio est causalitas formæ.*
   2. Per formam res est id, quod est. *Vel*, Quidquid est, per suam formam est.
   3. Forma dat esse rei.

CAP.

CAP. XII.

De Causa Efficiente.

De CAUSA EFFICIENTE quattuor not.

I. *Quid sit*? R. CAUSA EFFICIENS est id, unde primum principium est mutationis aut quietis. *Arist.l.2. Phys.c.3. & l.5. Metaph.c.2. Vel*, CAUSA EEFICIENS est principium, per se influens esse in aliud sine mutatione sui, ex præcisa ratione influxus. *Mendoza Phys. disp. 9. sect. 1.*

II. *Causalitas efficientis*, estq; actio; Hæc enim est forma, per quam denominatur agens. Ergo est etiam forma, per quam denominatur efficiens; *quia agens & efficiens sunt idem.*

III. *Quotuplex?* R.

- 1. vel
  - *Per se*, quæ virtute propria producit effectum. *Soncin. l. 11. q. 3. Vel*, Causa per se est, à qua directe pendet effectus secundum illud proprium esse, quod habet in quantum effectus est. *Suarez. disp. 17. sect. 2.*
  - *Per accidens*, quæ non producit effectum virtute propria; *Estque vel*
    - *Ex parte causæ*; sic id dicitur per accidens causare, quod per accidens conjunctum est principio per se causandi. *Suarez. ibid.*
    - *Ex parte effectus*, id est respectu ejus quod accidit effectui per se. atque hoc modo ipsamet causa per se alicujus effectus, est causa per accidens ejus quod conjungitur effectui per se. *Ibid.*
- 2. vel
  - *Naturalis*, quæ ad unum oppositorum determinata, absque deliberatione, & semper eodem modo, si non impeditur, agit: ut, *ignis urit.*
  - *Voluntaria* seu *Libera*, quæ utrumque respicit oppositorum.
- 3. vel
  - *Physica*, quæ revera influit esse in effectum. *Tales causæ sunt non tantum naturales, verum etiam liberæ.*
  - *Moralis* quæ imputative solum influit in effectum; *h, e. quæ licet realiter non producat effectum, ita tamen se habet in ordine ad mores ac si actu influeret; quia non minus imputatur ei effectus, ac si revera & per se ipsum produxisset.* Tales sunt causæ adplicantes agens ad patiens, item consulentes, præcipientes, rogantes, non impedientes cum possint & teneantur.
- 4. vel
  - *Principalis*, ubi not.
    - 1. *Quid sit?* R. Causa Principalis est, quæ per virtutem principalem, id est, nobiliorem, vel saltem æque nobilem cum effectu, influit in actionem, per quam talis effectus producitur. *Suarez.*
    - 2. *Quotuplex?* R.
      - 1. vel
        - *Prima*, quæ à nullo dependet, ab ipsa tamen pendent alia omnia; ut, *solus Deus.*
        - *Secunda*, quæ ab alia causa dependet; *quales sunt omnes causæ principales, excepto Deo.*
      - 2. vel
        - *Univoca*, quæ ejusdem rationis sive speciei est cum effectu; ut, *homo generans hominem.*
        - *Æquivoca*, quæ specie ab effectu differt.
  - *Instrumentalis*, quæ influit in effectum per virtutem inferioris rationis seu perfectionis *Suarez disp. 15. sect. 2.*

IV. *Theoremata*

1. Ratio causandi efficientis est potentia activa; *Hac enim est principium, quo causæ efficienti sua tribuitur causalitas, sc. actio.*
2. Causa efficiens eodem modo habens, semper producit idem.
3. Omnia quæ agunt, in virtute primi agentis agunt.

CAP. XIII.

De Fine.

De FINE quinque not.

I. Quid sit? R. FINIS est causa cujus gratia res est. *Arist. lib. 2. Phys. c. 3.*

II. *Causatum* sive *Effectus causa finalis*, qui in ordine agentium finitorum per intellectum sunt actus voluntatis, sive circa finem vel circa media versentur, sive ante finis consecutionem eliciantur, vel post eam; isti enim actus sunt propter finem; E. sunt effectus causæ finalis.

III. *Causalitas Finis*, qua se quasi bonum exerit, & exit in actum secundum, eaque non est aliquid præcedens actionem voluntatis, nec etiam aliquid consequens actionem, sed est ipsa voluntatis actio, ut manans ab objecto adliciente & trahente ad se voluntatem.

IV *Quotuplex*? R. Finis est.

- 1. vel
  - *Terminationis* rei, qui non est causa finalis, sed ultimũ extremũ cujusq; rei, extra quod nihil ejus reperitur; ut, *punctum lineæ.*
  - *Motionis agentis*, qui est id propter quod aliquid agit, & hic finis est causa finalis. *Sic sanitas est finis deambulationis.*
- 2. vel
  - *Cui*, estq; id cujus gratia aliquid expetitur, ita ut sit simul subjectum cui aliquid adpetitur. *Sic finis cui curationis est ægrotus.*
  - *Cujus*, estque id cujus gratia aliquid expetitur, ita non sit simul subjectum, cui aliquid adpetitur. *Sic finis cujus curationis est sanitas.*
- 3. vel
  - *Formalis*, estque actio circa aliquod objectum.
  - *Objectivus*, estque ipsum objectum actionis; ut, *finis ultimus formalis hominis est clara* Dei *visio, objectivus est Deus ipse.*
- 4. vel
  - *Ultimus*, propter quem alia adpetuntur, ipse vero propter nullum aliud; *Estq; vel*
    - *Ultimus simpliciter*, propter quem alia in universum omnia sunt, ipse autem prorsus propter nihil aliud.
    - *Ultimus in suo genere*, propter quem omnia sunt, quæ in alio genere vel serie continentur, ipse autem propter nihil eorum, est quæ sub eo genere vel serie continentur.
  - *Intermedius*, propter quem ita aliquid est, ut ipse etiam sit propter aliud. *Talis finis, & finis est, quatenus propter ipsum aliquid est; & est quoque medium quatenus ipse propter aliud est.*
- 5. vel
  - *Principalis*, Propter quem quis agit ita, ut etsi nullum alium finem sibi haberet propositum, tamen ageret.
  - *Minus principalis*, propter quem quis ita agit, ut si ad nullum alium finem actio referretur, non ageret.
- 6. vel
  - *Internus*, qui ab eo, cujus finis est. attingitur, *h. e adquiritur.*
  - *Externus*, qui ab eo cujus finis est, non adtingitur, vel non est in ejus potestate.

V. *Theoremata.*

1. Ratio causandi finis est solum bonum, sive revera tale sit, sive adparens; *quia solum bonum est ratio, sub qua aliquid adpetitur.*
2. Finis causat sive movet non secundum esse cognitum sive intentionale, sed secundum esse reale; *Sive illud esse reale actu, sive potentia, sive etiam secundum existimationem tantum habeat.*
3. Finis est primus intentione, & ultimus in executione.

CAP.

CAP. XIV.

De Necessario & Contingente.

Sequuntur

- NECESSARIUM, ubi not.
  - *I. Quid sit?* R. NECESSARIUM est, quod non potest aliter se habere.
  - II. *Quotuplex sit?* R. Necessarium est
    - 1. vel
      - *Complexum*, estque propositio vera, quæ non potest esse falsa.
      - *Incomplexum*, idque vel
        - *Absolute tale*, quod simpliciter non potest non esse, & plane nullam, ut corrumpatur, causam habet. *Tale est solus Deus.*
        - *Secundum quid*, quod simpliciter quidem potest esse & non esse propter dependentiam à primo ente, à nulla tamen causa naturali & creata destrui potest.
    - 2. vel
      - *Efficientis*, quando effectus indissolubili nexu cohæret cum efficiente. *Appellatur necessitas Physica.*
      - *Materiæ*, quod propter materiam se immutabiliter habet.
      - *Formæ*, quod propter formam se immutabiliter habet.
      - *Finis*, de quo not.
        - 1. *Quid sit?* R. Necessarium in ordine ad finem est, quod ad finis adsecutionem exigitur, quamvis de se sit contingens, & tum fieri, tum non fieri possit.
        - 2. *Quotuplex?* R.
          - *Ad esse*, sine quo finis obtineri non potest.
          - *Ad bene esse*, quod ad commodiorem finis adquisitionem est necessarium, licet absolute finis sine eo obtineri possit.
    - 3. vel
      - *Necessitate consequentiæ*, Necessitas consequentiæ est, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente, sic tamen, ut tam antecedens, quam consequens sint in se contingentia. *Aeton. Ando. l.* 5. *q.* 4.
      - *Necessitate consequentis.* Necessitas consequentis est, quando tam antecedens, quam consequens est in se necessarium. *Ibidem.*
    - 4. vel
      - *Absolute.* Necessitas absoluta est, cujus oppositum includit contradictionem. *Gabriel.* 3. *dist.* 16.
      - *Ex suppositione.* Necessitas immutabilitatis ex suppositione dicitur, cum aliquid convenit rei contingenter, si ejus natura absolute consideretur; ex suppositione vero, *hoc est, relata ad certam temporis differentiam,* dicitur convenire ei necessario.
  - III. *Theoremata.*
    - 1. Omne quod est, quando est, necesse est esse.
    - 2. Omne quod non est, quando non est, necesse est non esse.
    - 3. Necessitas absoluta excludit omnem contingentiam.
- CONTINGENS, de quo not.
  - *I. Quid sit?* R. CONTINGENS est quod potest aliter se habere.
  - 2. *Quotuplex?* R. Est vel
    - *Æqualiter*, quod æque potest contingere atque oppositum.
    - *Ut plurimum*, quod frequentius est.
    - *Raro*, quod raro accidit.

CAP. XI.

De Forma.

De FORMA quintuplex not.

1. *Quid sit?* R. FORMA est ratio essentiæ sive quidditatis. *Arist. l. 2. Phys. cap. 3. Vel,* FORMA est substantia quædam simplex & incompleta, quæ, ut actus materiæ, cum oa constituit essentiam substantiæ compositæ, *Suarez. disp. 15. sect. 5.*

2. *Causatum*, sive *Effectus Formæ*, estque vel
   - *Primarius*, & est compositum; nam forma propriam suam essentiam largiendo compositum constituit. Ergo forma est causa compositi.
   - *Secundarius*, & est materia non quidem secundum esse suum considerata, & à forma esse & informatione præcisa, sed ut est informata per formam, quia materia ut informata idem est quod compositum, nec ab eo secundum rem differt, cum unum nec plura nec pauciora includat quam alterum.

3. *Causaltas Formæ*, estque actualis unio inter materiam & formam, prout illa sumitur ex parte formæ; *h. e. prout est subiective in forma, & potest dici actuatio & informatio materiæ, & per eam ut sic forma perficitur.*

4. *Quotuplex?* R.
   - 1. vel
     - *Informans*, quæ unione Physica conjungitur subjecto. *Mendoza de animæ disp. 1. sect. 2.*
     - *Assistens*, quæ nullam habet unionē Physicam cum re, cui assistit, sed tantū propinquitatem ad illam movendam. *Mendoza ibid.* Dicitur *autem improprie forma & potius pertinet ad genus causæ efficientis.*
   - 2. vel
     - *Substantialis*, quæ cum subjecto sive materia, quam informat, constituit compositum per se, pertinetq; ad prædicamentum Substantiæ.
     - *Accidentalis*, estq; accidens in abstracto consideratū, constituens cum subjecto unum per accidens: ut, *albedo, quæ constituit corpus album.*
   - 3. vel
     - *Totalis*, quæ informat omnes partes alicujus continui heterogenei: ut, *anima, quæ informat omnes partes animalis.*
     - *Partialis*, quæ non continuum heterogeneum, sed aliquam ejus partem informat: ut, *forma carnis, forma ossis, forma cutis.*
   - 4. vel
     - *Physica*, estque altera pars compositi contradistincta à materia, & est forma proprie dicta. *Vocatur alias forma partis.*
     - *Metaphysica*, estque ipsum totum, vel quidditas & essentia totius. *Dicitur alias Forma totius; estque improprie forma.*
   - 5. vel
     - *Materialis*, quæ à Materia dependet, ita ut naturaliter extra eam esse non possit. *Tales sunt omnes formæ, excepta anima rationali.*
     - *Immaterialis*, quæ citra materiam subsistere apta est; ut *anima rationalis.*
   - 6. vel
     - *Generica*, quæ effertur prædicato generico.
     - *Specifica*, quæ effertur prædicato specifico; *e. g. albedo in lacte forma specifica dicitur, color vero & qualitas sunt formæ genericæ.*

5. *Theoremata*,
   1. Ratio causandi Formæ non est aliquod formæ accidens, sed ipsa ejus entitas: nimirum potentia informandi. *quia informatio est causalitas formæ.*
   2. Per formam res est id, quod est. *Vel,* Quidquid est, per suam formam est.
   3. Forma dat esse rei.

CAP.

CAP. XII.

De Causa Efficiente.

De CAUSA EFFICIENTE quatuor not.

I. *Quid sit?* R. CAUSA EFFICIENS est id, unde primum principium est mutationis aut quietis. *Arist.l.2. Phys.c.3. & l.5. Metaph.c.2. Vel,* CAUSA EEFICIENS est principium, per se influens esse in aliud sine mutatione sui, ex præcisa ratione influxus. *Mendoza Phys. disp. 9. sect. 1.*

II. *Causalitas efficientis*, estq; actio; Hæc enim est forma, per quam denominatur agens. Ergo est etiam forma, per quam denominatur efficiens; *quia agens & efficiens sunt idem.*

III. *Quotuplex?* R.

- 1. vel
  - *Per se*, quæ virtute propria producit effectum. *Soncin. l. 11. q. 3. Vel,* Causa per se est, à qua directe pendet effectus secundum illud proprium esse, quod habet in quantum effectus est. *Suarez. disp. 17. sect. 2.*
  - *Per accidens*, quæ non producit effectum virtute propria; *Estque vel*
    - *Ex parte causæ*; sic id dicitur per accidens causare, quod per accidens conjunctum est principio per se causandi. *Suarez. ibid.*
    - *Ex parte effectus*, id est respectu ejus quod accidit effectui per se. atque hoc modo ipsamet causa per se alicujus effectus, est causa per accidens ejus quod conjungitur effectui per se. *Ibid.*
- 2. vel
  - *Naturalis*, quæ ad unum oppositorum determinata, absque deliberatione, & semper eodem modo, si non impeditur, agit: ut, *ignis urit.*
  - *Voluntaria* seu *Libera*, quæ utrumque respicit oppositorum.
- 3. vel
  - *Physica*, quæ revera influit esse in effectum. *Tales causa sunt non tantum naturales, verum etiam libera.*
  - *Moralis* quæ imputative solum influit in effectum; *h, e. qua licet realiter non producat effectum, ita tamen se habet in ordine ad mores ac si actu influeret; quia non minus imputatur ei effectus, ac si revera & per se ipsum produxisset.* Tales sunt causæ adplicantes agens ad patiens, item consulentes, præcipientes, rogantes, non impedientes cum possint & teneantur.
- 4. vel
  - Principalis, ubi not.
    - 1. *Quid sit?* R. Causa Principalis est, quæ per virtutem principalem, id est, nobiliorem, vel saltem æque nobilem cum effectu, influit in actionem, per quam talis effectus producitur. *Suarez.*
    - 2. *Quotuplex?* R.
      - 1. vel
        - *Prima*, quæ à nullo dependet, ab ipsa tamen pendent alia omnia; ut, *solus Deus.*
        - *Secunda*, quæ ab alia causa dependet; *quales sunt omnes causa principales, excepto Deo.*
      - 2. vel
        - *Univoca*, quæ ejusdem rationis sive speciei est cum effectu; ut, *homo generans hominem.*
        - *Æquivoca*, quæ specie ab effectu differt.
  - *Instrumentalis*, quæ influit in effectum per virtutem inferioris rationis seu perfectionis *Suarez disp. 15. sect. 2.*

IV. *Theoremata*
1. Ratio causandi efficientis est potentia activa; *Hac enim est principium, quo causa efficienti sua tribuitur causalitas, sc. actio.*
2. Causa efficiens eodem modo habens, semper producit idem.
3. Omnia quæ agunt, in virtute primi agentis agunt.

CAP.

CAP. XIII.

De Fine.

De FINE quinque not.

I. Quid sit? R. FINIS est causa cujus gratia res est. *Arist. lib. 2. Phys. c. 3.*

II. *Causatum* sive *Effectus causa finalis*, qui in ordine agentium finitorum per intellectum sunt actus voluntatis, sive circa finem vel circa media versentur, sive ante finis consecutionem eliciantur, vel post eam; isti enim actus sunt propter finem; E. sunt effectus causæ finalis.

III. *Causalitas Finis*, qua se quasi bonum exerit, & exit in actum secundum, eaque non est aliquid præcedens actionem voluntatis, nec etiam aliquid consequens actionem, sed est ipsa voluntatis actio, ut manans ab objecto adliciente & trahente ad se voluntatem.

IV *Quotuplex?* R. Finis est.

- 1. vel
  - *Terminationis* rei, qui non est causa finalis, sed ultimũ extremũ cujusq; rei, extra quod nihil ejus reperitur; ut, *punctum lineæ.*
  - *Motionis agentis*, qui est id propter quod aliquid agit, & hic finis est causa finalis. *Sic sanitas est finis deambulationis.*
- 2. vel
  - *Cui*, estq; id cujus gratia aliquid expetitur, ita ut sit simul subjectum cui aliquid adpetitur. *Sic finis cui curationis est ægrotus.*
  - *Cujus*, estque id cujus gratia aliquid expetitur, ita non sit simul subjectum, cui aliquid adpetitur. *Sic finis cujus curationis est sanitas.*
- 3. vel
  - *Formalis*, estque actio circa aliquod objectum.
  - *Objectivus*, estque ipsum objectum actionis; ut, *finis ultimus formalis hominis est clara* Dei *visio, objectivus est Deus ipse.*
- 4. vel
  - *Ultimus*, propter quem alia adpetuntur, ipse vero propter nullum aliud; *Estq; vel*
    - *Ultimus simpliciter*, propter quem alia in universum omnia sunt, ipse autem prorsus propter nihil aliud.
    - *Ultimus in suo genere*, propter quem omnia sunt, quæ in alio genere vel serie continentur, ipse autem propter nihil eorum, est quæ sub eo genere vel serie continentur.
  - *Intermedius*, propter quem ita aliquid est, ut ipse etiam sit propter aliud. *Talis finis, & finis est, quatenus propter ipsum aliquid est; & est quoque medium quatenus ipse propter aliud est.*
- 5. vel
  - *Principalis*, Propter quem quis agit ita, ut etsi nullum alium finem sibi haberet propositum, tamen ageret.
  - *Minus principalis*, propter quem quis ita agit, ut si ad nullum alium finem actio referretur, non ageret.
- 6. vel
  - *Internus*, qui ab eo, cujus finis est. attingitur, *h. e adquiritur.*
  - *Externus*, qui ab eo cujus finis est, non adtingitur, vel non est in ejus potestate.

V. *Theoremata:*

1. Ratio causandi finis est solum bonum, sive revera tale sit, sive adparens; *quia solum bonum est ratio, sub qua aliquid adpetitur.*
2. Finis causat sive movet non secundum esse cognitum sive intentionale, sed secundum esse reale; *Sive illud esse reale actu, sive potentia, sive etiam secundum existimationem tantum habeat.*
3. Finis est primus intentione, & ultimus in executione.

CAP. XIV.

De Necessario & Contingente.

Sequuntur

- NECESSARIUM, ubi not.
  - I. *Quid sit?* R. NECESSARIUM est, quod non potest aliter se habere.
  - II. *Quotuplex sit?* R. Necessarium est
    - 1. vel
      - *Complexum*, estque propositio vera, quæ non potest esse falsa.
      - *Incomplexum*, idque vel
        - *Absolute tale*, quod simpliciter non potest non esse, & plane nullam, ut corrumpatur, causam habet. *Tale est solus Deus.*
        - *Secundum quid*, quod simpliciter quidem potest esse & non esse propter dependentiam à primo ente, à nulla tamen causa naturali & creata destrui potest.
    - 2. vel
      - *Efficientis*, quando effectus indissolubili nexu cohæret cum efficiente. *Appellatur necessitas Physica.*
      - *Materia*, quod propter materiam se immutabiliter habet.
      - *Forma*, quod propter formam se immutabiliter habet.
      - *Finis*, de quo not.
        - 1. *Quid sit?* R. Necessarium in ordine ad finem est, quod ad finis adsecutionem exigitur, quamvis de se sit contingens, & tum fieri, tum non fieri possit.
        - 2. *Quotuplex?* R.
          - *Ad esse*, sine quo finis obtineri non potest.
          - *Ad bene esse*, quod ad commodiorem finis adquisitionem est necessarium, licet absolute finis sine eo obtineri possit.
    - 3. vel
      - *Necessitate consequentiæ*, Necessitas consequentiæ est, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente, sic tamen, ut tam antecedens, quam consequens sint in se contingentia. *Aeton. Ando. l. 5. q. 4.*
      - *Necessitate consequentis.* Necessitas consequentis est, quando tam antecedens, quam consequens est in se necessarium. *Ibidem.*
    - 4. vel
      - *Absolute.* Necessitas absoluta est, cujus oppositum includit contradictionem. *Gabriel. 3. dist. 16.*
      - *Ex suppositione.* Necessitas immutabilitatis ex suppositione dicitur, cum aliquid convenit rei contingenter, si ejus natura absolute consideretur; ex suppositione vero, *hoc est, relata ad certam temporis differentiam,* dicitur convenire ei necessario.
  - III. *Theoremata.*
    - 1. Omne quod est, quando est, necesse est esse.
    - 2. Omne quod non est, quando non est, necesse est non esse.
    - 3. Necessitas absoluta excludit omnem contingentiam.
- CONTINGENS, de quo not.
  - I. *Quid sit?* R. CONTINGENS est quod potest aliter se habere.
  - 2. *Quotuplex?* R. Est vel
    - *Æqualiter*, quod æque potest contingere atque oppositum.
    - *Ut plurimum*, quod frequentius est.
    - *Raro*, quod raro accidit.

CAP. XV.
De Simplici & Composito.

Affectiones DISJUNCTAE MEDIATAE sunt.

- I.
  - SIMPLEX de quo tria notanda.
    - I. *Nomen.* Simplex sive Simplicitas sumitur.
      1. Ut opponitur composito formaliter. *Hoc modo si sumantur Simplicitas & Compositio, sunt differentiae accidentales & affectiones entis.*
      2. Ut opponitur divisibili; quo ipso tamen modo etiam composito opponitur non tamen sub ratione compositi, sed ut divisibile est. *Hoc modo si sumantur Simplicitas & Compositio, sunt differentia accidentales & affectiones entis.*
    - II. *Quid sit?* R. SIMPLICITAS est, quod non potest resolvi in plura. Simplicitas dicit negationem compositionis. *Suarez disp.* 30. *sect.* 3.
    - III. *Quotuplex sit?* R.
      - *Absolute*, quod nullo genere compositionis compositum est; ut, *essentia divina.*
      - *Respectu certi generis*, quod non est compositum certo genere compositionis, etsi alio genere compositum sit; ut *Angelus, qui non constat ex materia & forma, aut partibus quantitativis, licet ex essentia & subsistentia componatur.*
  - COMPOSITUM, de quo not.
    - I. *Nomen.* Compositio sumitur
      1. *Pro actione*, qua aliqua componuntur, estque idem quod unitio, *h. e. actus uniendi; quo quidem modo accepta compositio non est aliquid essentiale composito.*
      2. *Pro termino actionis*, estque aliquid intrinsecum composito, ejusque ratio formalis, & dicitur unio. *Et hac acceptione inpraesentiarum sumitur.*
    - II. *Quid sit?* R. Compositio est simul positio, vel conjunctio plurium rerum unum tertium constituentium. Compositum autem erit partes illae, quae compositione afficiuntur. *Mendoza Phys. disp.* 6. *sect.* 1.
    - III. *Quotuplex?* R. Compositio est vel
      - *Realis*, de qua duo not.
        1. *Quid sit?* R. Compositio realis est, cujus extrema sunt realia, realiter à se invicem distincta.
        2. *Quotuplex?* R.
           1. Ex materia & forma, & dicitur compositio essentialis. *Huc pertinet compositio ex subjecto & accidente.*
           2. Ex partibus integrantibus.
           3. Ex gradibus secundum intensionem.
           4. Ex essentia & subsistentia.
      - *Rationis.* Compositio rationis est cognitio componens, atque conjungens duo objecta ratione distincta, è quibus resultat tertium. *Mendoza Log. disp.* 4. *sect.* 3.
- II. TOTUM & PARS *Cap. XVI.*
- III. IDEM & DIVERSUM. *Cap. XVIII. & seqq.*
- IV. UNIVERSALE & SINGULARE. *Cap. XX.*
- V. FINITUM & INFINITUM. *Cap.* XXI.
- VI. PERFECTUM & IMPERFECTUM. *Cap.* XXII.

CAP. XVI.

De Toto & Parte.

- **TOTUM, de quo tria notanda**
  - I. *Quid sit?* R. TOTUM est, quod continet ea quæ continentur, ut illa sint unum. *Arist. l. 5. Metaph. c. 26.*
  - II. *Requisita.* Vt aliquid sit Totum requiritur
    1. *Quadam pluralitas*, vel ut aliqua contineantur; ex uno enim non potest fieri totum.
    2. *Partium in toto unio*; h. e. debent illa plura ita contineri, ut sint unum.
  - III. *Quotuplex?* R.
    1. *Essentiale*, de quo not.
       1. *Quid sit?* R. Totum essentiale est cujus partium una est ut potentia, altera ut actus, constituentium unam essentiam.
       2. *Quotuplex?* R.
          - *Physicum*, cujus partes sunt realiter distinctæ; *nempe*, Materia & *forma*.
          - *Metaphysicum* seu *Logicum*, cujus partes sola ratione distinguuntur; ut, *Species respectu Generis & differentia.*
    2. *Integrale*, de quo not.
       1. *Quid sit?* R. Totum Integrale est, quod continet plura constituentia ipsum realiter non per modum actus & potentiæ, sed per modum continuitatis, & contiguitatis, & colligationis.
       2. *Quotuplex?* R.
          - *Similare*, quod constat ex partibus ejusdem rationis, sive essentiæ; ut, *aqua*.
          - *Dissimilare*, cujus partes essentia differunt; ut, *oculus*.
    3. *Universale*, quod continet partes subjectivas sub se actu, vel aptitudine, de quibus prædicatur; ut, *Genus, respectu specierum*.
    4. *Numerale*, estq; numerus comprehendens pluralitatem aliquorum numeratorum; ut, *duodenarius dicit numerum Apostolorum.*
    5. *Potentiale* seu *potestativum*, quod constat ex multis potentiis, tanquam partibus, quas actu in se continet; ut, *anima*.
    6. *Perfectionale*, quod attenditur secundum complementum perfectionis substantiæ individualis; ut *totus Deus, totus Angelus.*
- **Sequuntur PARS, de qua tria notanda;**
  - I. *Quid sit?* R, PARS est portio totius, quæ una cum aliis sibi respondentibus est apta Totum constituere.
  - II. *Quotuplex?* R. Partes sunt vel
    - *Essentiales*, quarum altera sublata aufertur quidditativus rei conceptus. *Mendoza Phys. disp. 1. sect. 2.*
    - *Integrales*; Vbi not.
      1. *Quid sint?* R. Partes integrales sunt quarum una sublata tollitur compositi integritas non tamen conceptus quidditativus. *Mendoza Ibid.*
      2. *Quotuplices?* R
         - *Similares*, quarum substantia sive essentia est eadem; ut, *ossa, caro.*
         - *Dissimilares*, quæ in partes essentia differentes plures sunt dividuæ; ut, *caput*.
  - III. *Theoremata.*
    1. Vnum idemq; diverso respectu potest esse pars & totum.
    2. Totum est majus qualibet sua parte.
    3. Pars prior est toto.

CAP. XVII.

De Eodem & Diverso.

IDEM, de quo not. Sequuntur

- *I. Nomen.* Idem sumitur vel
  - *Relative* sive *formaliter*, quando importat relationē; & quidquid hoc modo dicitur idem, sibi ipsi vel alteri dicitur idem; in quo maxime ab unitate distinguitur. unum enim est conceptus absolutus; idem vero respectivus.
  - *Negative* sive *fundamentaliter*, quando id dicitur *Idem*, quod non est ab aliquo diversum seu distinctum: & hoc modo fere nihil differt ab Uno; nisi quod Unum dicat negationem divisionis in se; Idem vero divisionis negationem à se, sive ab eo cum quo ens idem esse dicitur.
- II. *Quid sit?* R. IDEM consistit in negatione divisionis vel distinctionis à se, sive ab eo cum quo idem esse dicitur. *Suarez. disput. 7. sect. 3.* IDENTITAS est res una explicata uno aut pluribus conceptibus. *Mendoza disp. Metaph 6. sect. 1.*
- *III. Quotuplex?* R. Identitas est
  - 1. vel
    - *Per se*, quæ vel
      - 1. *Generica*, estq; illorum quæ conveniunt in uno communi genere. *Huc refertur* Identitas Analogica, *quâ quadam conveniunt in Analogia & similitudine.*
      - 2. *Specifica*, qua individua ejusdem Speciei conveniunt in eadem Specie.
      - 3. *Numerica*, & tribuitur illis quæ unum sunt numero: ut, *Petrus, juvenis, & Petrus senex.*
    - *Per accidens.* Identitas per accidens tot modis dicitur quot Ens & Unum per accidens.
  - 2. vel
    - 1. *Causalis*, qua duo entia vel plura conveniunt respectu causæ efficientis, vel materiæ, vel formæ, vel finis.
    - 2. *Effectiva*, qua duo entia vel plura respectu alicujus effecti conveniunt.
    - 3. *Subjectiva*, qua duo accidentia idem dicuntur esse subjecto, quia in uno atque eodem subjecto sunt.
- *IV. Cognata*, suntque
  - SIMILIA, quorum qualitas est una: ut, *homo & bulla sunt similia ob fragilitatem.*
  - ÆQUALIA, quorum quantitas est una: ut, *gemelli coætanei sunt æquales in tempore vitæ.*
- *V. Theoremata.*
  - 1. Quot sunt modi distinctionis, tot possunt esse modi identitatis.
  - 2. Quæ in uno tertio sunt eadem, inter se sunt eadem.
  - 3. Idem manens idem, aptum natum est facere idem.
  - 4. Simile non est idem.

DIVERSUM, de quo not.

- *I. Quid sit?* DIVERSUM est, quod est aliud quid, & opposito plane modo atque idem dicitur.
- *II Quotuplex?* R. Diversa sunt vel
  - *Sine pugna*, unde oritur Distinctio. *Cap. seqq.*
  - *Cum pugna*, & sic diversitas infert unam OPPOSITIONEM, *Cap.* XIX.

CAP. XVIII.

De Distinctione.

De DISTINCTIONE duo not.

1. *Quid sit?* R. DISTINCTIO est, unum conceptum non esse alium *Mendoza Metaph. disp. 6. sect. 1. Vel,* DISTINCTIO est negatio unius conceptus ab alio. *ibid. sect. 4.*

II. *Quotuplex?* R.

- Realis seu *secundum rem*, ubi not.
  1. *Quid sit?* R. DISTINCTIO REALIS est quæ existit à parte rei. *Mendoza ibid. sect. 2.*
  2. *Signa distinctionis realis.* suntq;
     1. Quando duæ res sunt in diversis suppositis, & quando non uniuntur.
     2. Realis separabilitas.
     3. Ratio causæ, quæ ab effectu suo realiter differt.
  3. *Quotuplex?* R.
     - *Realis in specie sic dicta*, quæ vel
       - *Positiva*, estque inter res positivas & reales, quarum una non est alia. Hæc est proprie distinctio realis. *Suarez. disp. 7. sect. 1.*
       - *Negativa*, estque inter ens & non ens aut inter non entia omnino diversa. Hæc distinctio negativa per proportionem vel analogiam ad positivam intelligenda ac declaranda est. *Ibid.*
     - *Modalis*, de qua duo notanda
       1. *Quid sit?* R. Distinctio Modalis est, quæ reperitur inter duos modos; vel inter modum & rem. *Mendoza l. d. Sive,* Distinctio Modalis est, qua entia per modos, seu ipsi modi cum inter se, tum ab entibus distinguuntur. *Fonseca lib. 5. 5. cap. 6.*
       2. *Modus*, estque revera aliquid extra intellectum, ita tamen se habet, ut intrinsece rem aliquam singularem actu afficiat, determinet, ipsique affixus sit, ut per nullam potentiam esse possit, nisi actu eam afficiat. *Sic sessio & præsentia Petri sunt modi, Petrus autem est res.*
- Rationis, de qua not.
  1. *Quid sit?* R. DISTINCTIO RATIONIS est, quæ formaliter & actualiter non est in rebus, quæ sic distinctæ denominantur, prout in se existunt, sed solum prout substant conceptibus nostris, & ab eis denominationem aliquam accipiunt. *Suarez. l. d.*
  2. *Quotuplex?* R.
     - *Rationis ratiocinantis*, quæ non habet fundamentum in re, quia oritur solum ex negatione & operatione intellectus. *Suarez. l. d.*
     - *Rationis ratiocinata*, quæ habet fundamentum in re. Hæc distinctio fit per conceptus inadæquatos ejusdem rei. *Suarez. ib.*

CAP. XIX.

De Oppositione.

De OPPOSITIONE quatuor notanda;

- I. *Nomen.* Oppositio sumitur
  - 1. *Generaliter*, pro quacunque diversitate, vel repugnantia rerum seu extremorum: Et hoc modo idem est Oppositio quod diversitas & distinctio.
  - 2. *Proprie & magis stricte*, pro repugnantia inter certa & definita extrema, peculiari habitudine inter ea inventa.
- II. *Quid sit?* R. OPPOSITIO est repugnantia aliquorum, non permittentium se simul & semel in uno subjecto respectu ejusdem.
- III. *Quotuplex?* R.
  - *Negativa*, estque inter extremum positivum, & negativum; *estque*
    - *Contradictoria* de qua not.
      - I. *Quid sit?* R. OPPOSITIO CONTRADICTORIA est inter ens & non ens, vel inter puram affirmationem & puram negationem: ut *homo, non homo.*
      - 2. *Quotuplex?* R. Contradictio est.
        - *Explicita*, quando expresse aliquid esse & non esse simul dicitur: ut, *sedere, non sedere*
        - *Implicita*, quando alterum membrum per alterum evertitur: Dicitur Contradictio in adjecto; ut, *ferrum ligneum.*
    - *Privativa*, ubi not.
      - I. Quid sit? R. OPPOSITIO PRIVATIVA est inter habitum seu formam, & privationem: ut, *visus & cæcitas.*
      - 2. *Requisita privationis.*
        - 1. *Subjectum habile*, h. e. quod sit aptum ad recipiendum habitum.
        - 2. *Determinatio partis*, h. e. ut privatio sit in ea parte, in qua per naturam inesse potest habitus.
        - 3. *Determinatio certi temporis*, prout tempus à natura est statutum.
  - *Positiva*, estque inter extrema positiva; *estque*
    - *Contraria*, OPPOSITIO CONTRARIA est inter duos terminos absolutos, qui ita inter se distant, ut se mutuo expellant è communi subjecto, in quo successive possunt esse, nisi alterum insit à natura: ut, *calor & frigus.*
    - *Relativa*, OPPOSITIO RELATIVA est inter relata opposita, quorum unum non est alterum: ut, *Pater & Filius.*
- IV. *Theoremata.*
  - 1. Inter contradictoria non datur medium.
  - 2. A privatione totali ad habitum naturaliter non datur regressus.
  - 3. Contraria non possunt esse simul in eodem subjecto, sc. *in gradu excellenti.*
  - 4. Contraria sub eodem genere maxime distant.

CAP

CAP. XX.

De Univerſali & Singulari.

Sequuntur

- **UNIVERSALE**, de quo not.
  - *I. Nomen.* Univerſale variis modis dicitur;
    1. *In cauſando*, quod univerſaliter cauſat, eſtq; nihil aliud quā cauſa univerſalis, quæ plura producit effecta; ut, *Deus*, *Cœlū*.
    2. *In repræſentando ſeu ſignificando*, quod eſt vox, vel nomen, vel imago, vel ſpecies plura repræſentans.
    3. *In prædicando*, quod poteſt de pluribus prædicari.
    4. *In eſſendo*, quod aptum natum eſt pluribus ineſſe. *Hoc proprie ita dicitur, & eſt hujus loci.*
  - *II. Quid ſit?* R. UNIVERSALE eſt, cujus entitas diviſibilis eſt in plures entitates adæquate tales qualis eſt ipſa. *Vel*, UNIVERSALE dicitur, quod ſecundum unam aliquam rationem multis communicatur, ſeu in multis reperitur. *Suarez. diſp.* 5. *ſect.* 1.
  - III. *Requiſita.* Ad univerſale requiruntur.
    1. *Unitas*, h. e. omne univerſale eſt unum quid. Hæc autem unitas non competit objecto, quod univerſale dicitur, à parte rei, ſed per conceptum intellectus.
    2. *Communitas*, ſive *aptitudinalis multiplicitas*, h. e. ut ſit in multis, ut & ipſum ſit multa, quia multiplicatum eſt ad numerum eorum quibus ineſt. Atque hoc univerſali competit à parte rei, citra mentis operationem.
  - *IV. Quotuplex?* R.
    - 1. vel
      - *Potentia*, eſtq; natura communis in ſingularibus radicata, quæ apta nata eſt per abſtractionē mentis univerſaliter & cōmuniter formari. *Vocatur alias Univerſale in multis.*
      - *Actu*, eſtque natura communis jam abſtracta, & per mentem concepta ut univerſale quid. *Vocatur alias Univerſale poſt multa.*
    - 2. vel
      - *Simpliciter Univerſale*, quod diſtincte & abſtracte cōcipitur.
      - *Singularizatum*, quod in ſingularibus exhibetur, & in certo individuo repræſentatur.
- **SINGULARE**, de quo not.
  - I *Quid ſit?* R. SINGULARE ſeu INDIVIDUUM eſt, quod indiviſibile eſt in plura talia quale eſt ipſum. *Vel*, SINGULARE dicitur, quod ita eſt unum ens, ut ſecundum eam entis rationem qua unum dicitur, non ſit communicabile multis & inferioribus & ſibi ſubjectis, aut quæ in illa ratione multa ſint. *Suarez. l. d.*
  - II. *Theoremata.*
    1. Omne quod eſt, eo ipſo quia eſt, ſingulare eſt.
    2. Principia individuationis ſubſtantiæ compoſitæ ſunt hæc materia, & hæc forma inter ſe unita; *Quia materia & forma in communi ſumpta ſunt principia ſubſtantia compoſita in communi conſiderata.*
    3. Subſtantiæ ſimplices, item accidentia & modi rerum nulla habent principia individuationis; *Quia ſunt entitates ſimplices; Ergo carent principiis.*

CAP. XXI.

De Finito & Infinito.

Sequuntur:

- **FINITUM, de quo duo not.**
  - *I. Quid sit?* R. FINITUM dicitur, quod certis terminis & limitibus ita est circumscriptum, ut in illis finiatur.
  - II Quotuplex? R. Variis modis dicitur.
    - 1. *Essentia*, quod habet fines essentiæ, ita ut aliquando non fuerit, vel aliquando possit non esse: ut, *omnis creatura habet restrictam & finitam essentiam, indeque & perfectionem certis limitibus inclusam, ut in multis deficiat.*
    - 2. *Perfectione*. Ejus datur *finitas*.
      - *Virtutum*; ut potentiæ, virium, sapientiæ. *Sic in angelis potentia maxma quidem est, tamen finita.*
      - *Operationum*, ubi agens deficit in operando, nec sua operatione omnia adsequi valet. *Sic omnes creatura finiuntur in determinatis operationibus.*
    - 3. *Duratione*, quod non est æternum, adeoque aliquando cæpit, indeque est vel in ævo, ut, *angeli*; vel in tempore, ut, *corpora naturalia initium & finem habentia.*
    - 4. *Præsentia*, quod dinifitur, vel circumscribitur ad determinatum spatium, intra quod est, & non extra illud, atque sic naturaliter nec est in multis, nec in omnibus locis.
- **INFINITUM, de quo not.**
  - *I. Quid sit?* R. INFINITUM illud dicimus, quod in suo ambitu comprehendere non possumus. *Scaliger Exerc. 6. sect. 2. Vel,* INFINITUM proprie significat id quod caret limite, fine ac termino. *Mendoza Phys. disp. 13. sect. 1.*
  - *II. Quotuplex?* Resp. Variis modis dicitur:
    - 1. *Duratione*, vel
      - *Ab omni parte*, tam à parte ante, quam à parte post; ut, *solus Deus.*
      - *Ab altera parte* tantum, scilicet à parte post, non autem à parte ante, quia principium durationis habuit: ut, *angelus.*
    - 2. *Quantitate*, vel
      - *Continua*, quæ quasi in infinitum extendi potest; ut, *linea.*
      - *Discreta*, quæ semper augeri potest; ut, *numerus.*
    - 3. *Virtute & vigore*, quod est vel
      - *Simpliciter infinitum*; ut, solius Dei perfectio & virtus.
      - *Secundum quid*, in certo genere,
        - *Intensive*, sive in gradibus virtutum
        - *Extensive*, in extensione, & multiplicatione rerum.
  - *III. Theoremata.*
    1. Ens finitum in essentia est etiam finitum in attributis.
    2. Nihil finitum habet vim infinitam.
    3. Finitum non est capax infiniti; *sc. active & naturaliter.*
    4. Finiti ad infinitum nulla est proportio; *sc. essentialis & univoca, bene tamen analoga & subordinationis.*

CAP.

CAP. XXII.

De Perfecto & Imperfecto.

Sequuntur

PERFECTUM, de quo duo not.

I. *Quid sit?* R. PERFECTUM dicitur, extra quod non est ullam partem accipere, seu cui nihil deest. *Arist. lib.* 4. *Met. c.* 16. *Vel,* PERFECTUM est in quo nihil invenitur, per quod dicatur imperfectum. *Averroes lib.* 5. *Met. cont.* 21.

II. *Quotuplex?* R. Perfectio est

- 1. vel
  - *Simpliciter*, quæ in suo proprio & formali conceptu importat perfectionem absque omni imperfectione. *Vel, juxta Anselmum in Monolog. c.* 14. Perfectio simpliciter dicitur illa, quæ in individuo entis melior est ipsa, quam non ipsa : *id est,* quæ in genere entis talem perfectionem dicit, ut nullam majorem vel æqualem excludat *Suarez disp.* 10. *sect.* 2.
  - *Secundum quid*, seu in certo genere, quæ in proprio suo & formali conceptu perfectionem importat imperfectioni admistam.
- 2. vel
  - *Transcendentalis*, qua ens dicitur perfectum in sese, quatenus ipsi nihil deest in integritate essendi. *Sic infans est ens perfectum, quia perfecto modo habet essentiam humanam.*
  - *Naturalis*, qua rei nihil deest ad bona naturæ, hoc est, quod vires naturæ obtinet perfectas.. *Sic homo robustus & sanus est perfectus naturaliter.*
  - *Moralis*, estque ipsa virtus moralis, & honesta ejus operatio, quando nempe perfecto modo se habet. *Sic homo qui eminenter est fortis, justus,* &c. *dicitur perfectus.*
- 3. vel
  - *Quantitatis.* Perfectum quantitatis est, cui nulla quantitatis debitæ particula deest.
  - *Virtutis.* Perfectum virtutis est, quod recte & expedite suis fungitur operationibus.
  - *Finis.* Perfectum finis est, quod fine suo fruitur, eumque complete adsequitur.
- 4. vel
  - *Partium*, quæ dicit totalitatem partium sibi debitarum. *Sic Logica illa perfecta est, qua non deficit in aliqua parte ad ipsam adtinente.*
  - *Graduum*, quæ omnibus gradibus debitæ suæ perfectionis gaudet, abundatque quadam excellentia. *Sic Cicero dicitur perfectus orator.*

IMPERFECTUM, de quo duo not.

I. *Quid sit?* R. IMPERFECTUM est id, quod deficit à debita sibi perfectione.

II. *Quotuplex?* R. Imperfectio est vel

- *Privativa*, quæ est carentia perfectionis debitæ inesse . ut *Cæcitas, surditas, cladicatio.*
- *Negativa*, quæ est carentia perfectionis, quæ per naturam inesse non debet in illo cui negatur *Sic arbor dicitur imperfectior homine, quod non possit loqui, ut homo,*

Pars

Pars Specialis Metaphysicæ.

CAP. I.

De Substantia.

ENS dividitur in

SUBSTANTIAM, de qua not.

I. *Nomen.* Ubi not.

1. *Etymologia.* Substantia dicitur à substando. In verbo autem *substandi*, & in nomine *substantia* ab eo sumpto. duæ rationes seu proprietates indicantur : *una* est absoluta, scilicet essendi in se ac per se, quam propter ejus simplicitatem per negationem essendi in subjecto declaramus ; *alia* est quasi respectiva, sustentandi accidentia. *Suarez disp.* 33 *sect.* 1.
2. *Homonymia.* Substantia sumitur.
   1. *Generaliter*, pro quovis ente.
   2. *Pro essentia*, quo modo definitio indicat substantiam rei.
   3. *Pro subjecto*, quo modo Aristoteles magnitudinem in Mathesi substantiam vocat.
   4. *Prout opponitur accidenti Prædicamentali* : Hæc significatio est hujus loci.

II. *Quid sit* ? R. SUBSTANTIA est ens per se subsistens. *Vel*, SUBSTANTIA est ens quod revera proprium esse habet, nec est in alio tanquam in subjecto.

III. *Quotuplex* ? R.

Completa, ubi not.

1. *Quid sit* ? R. Substantia completa dicitur, quæ est aut intelligitur per modum totius seu integræ substantiæ ; quæ sola interdum quasi per antonomasiam substantia adpellari solet. *Suarez l. d.*
2. *Quotuplex* ? R.
   1. vel
      - *Completa in essendo*, non tamen ultimo complete in subsistendo, cum dependenter subsistat in alio & ab alio unico : *ut, ignis in ferro ignito.*
      - *Completa in existendo* & dicitur vel
        - *Suppositum*, estque substantia singularis completa, & incommunicabilis, non sustentata ab vel in alio.
        - *Persona*, estque substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio.
   2. vel
      - *Finita*
        - *Corporea*, ut, corpus.
        - *Incorporea*, ut, angeli vel intelligentiæ.
      - *Infinita*, ut, Deus.


Incompleta, & ita dicitur omnis illa, quæ pars est substantiæ, vel ad modum partis concipitur ; quo modo materia & forma substantiæ sunt. *Suarez l. d.*

ACCIDENS. *Cap. seqq.*

CAP.

CAP. II.

De Accidentibus Primariis.



De ACCIDENTE duo not.

I. *Quid sit?* R. ACCIDENS est, quod est in alio tanquam in subjecto.

II. *Quotuplex?* R.

- Primarium, vel
  - Absolutum, ut
    - Quantitas Ubi not.
      - I. *Quid sit?* R. QUANTITAS est accidens per se extensum.
      - 2. *Quotuplex?* R.
        - *Continua*, cujus partes termino communi copulantur; ut, *linea, superficies, corpus*.
        - *Discreta*, cujus partes nullo termino communi copulantur; ut, *numerus*.
    - Qualitas; Ubi not.
      - I. *Quid sit?* R. QUALITAS est accidens absolutum à quantitate distinctum. *Mendoza*.
      - 2. *Species*, ut
        - 1. *Habitus* vel *Dispositio*, estque qualitas adquisita vel infusa, qua subjectum redditur promptum ad operandum, difficulter vel facile mobilis.
        - 2. *Potentia Naturalis* vel *Impotentia*, estque qualitas à natura insita, qua subjectum redditur potens vel impotens ad aliquid faciendum, aut resistendum aut suscipiendum.
        - 3. *Patibilis qualitas* vel *Passio*, estque qualitas unico sensu perceptibilis, vel appetitus affectio difficulter aut facile mobilis.
        - 4. *Figura* vel *Forma*, estque qualitas quantitatem determinatam consequens.
  - Respectivum, ut Relatio, de qua not.
    - I. *Quid sit?* R. RELATIO est accidens, cujus totum esse est ad aliud esse, seu ad aliud se habere seu ad aliud respicere. Suarez. *disp.* 47. *sect.* 5.
    - 2. *Quotuplex?* R.
      - 1. vel
        - *Secundum dici*, estque res quæ concipitur & explicatur per modum respectus, cum in re ipsa verum respectum non habet. *Suar. l. d.*
        - *Secundum esse*, quæ revera habet proprium esse, cum habitudine ad aliud. *Ibid.*
      - 2. vel
        - *Prædicamentalis*, cujus totum esse est ad aliud accidentaliter adveniens immediato fundamento. *Mend. Met. di.* 15. *sect.* 8.
        - *Transcendentalis*, cujus esse est ad aliud aliquo modo essentialiter adveniens immediato fundamento, ei cujus est ens. *ib.*
- *Secundarium, cap. seqq.*

CAP

CAP. III.

De Accidentibus Secundariis.

Secund. Accid. *resultant ex adjuncto Substantiæ accidente, vel*

- *Absoluto, vel ex*
  - *Qualitate,* ut,
    - *Actio,* de qua not.
      - 1. *Quid sit?* R. ACTIO est forma, qua principium activum primo in actum reducitur, *Suarez. disp.* 48. *sect.* 5. *Vel,* ACTIO est ratio formalis, per quam causa activa reducitur in actum & denominatur agens. *Mendoza Metaph. disp.* 16.
      - 2. *Quotuplex?* Resp.
        - *Immanens,* quæ manet in agente, nullamq; evidentem mutationem extrinsecus infert; *ut, intellectio.*
        - *Transiens,* quæ ab agente exit, & in patiente tanquã in subiecto recipitur; *ut, calefactio.*
    - *Passio,* de qua not.
      - 1. *Quid sit?* R. PASSIO est ratio formalis & actus secundus, à quo causa subjectiva est & denominatur patiens. *Mendoza ibid.*
      - 2. *Quotuplex?* Resp.
        - *Perfectiva,* per quam patiens perficitur; *ut, discere, sentire, videre.*
        - *Corruptiva,* per quam patiens corrumpitur; *ut, combustio, & quavis rei destructio, consumptio, & absumptio.*
  - *Quantitate,* ut,
    - *Quando.* Quando est id, quod ex adjacentia temporis relinquitur. *Thom. in opusc.* 48.
    - *Ubi,* de quo not.
      - 1. *Quid sit?* R. Ubi est præsentia rei in loco. *Du Trieu. tr.* 1. *p.* 3. *c.* 2. *a.* 6.
      - 2. *Quotuplex?* Resp.
        - *Circumscriptivum,* secundum quod aliquid dicitur esse totum in toto spatio, & pars ejus in parte spacii quod occupat.
        - *Definitivum,* secundum quod aliquid est totum in toto spacio, & totum in qualibet parte spacii.
- *Relato,* ut,
  - *Situs,* de quo not.
    - 1. *Quid sit?* R. SITUS significat dispositionem partium in ordine ad locum. *Suarez. disp.* 52. *sect.* 1.
    - 2. *Quotuplex?* Resp.
      - *Naturalis,* qui est à natura, & ex positione partium naturalium; ut, *in homine caput sursum.*
      - *Voluntarius & Fortuitus,* qui oritur à libera voluntate, & fortuita positione; ut, *sessio, cubatio.*
  - *Habitus,* ubi not.
    - 1. *Quid sit?* R. HABITUS est corporis, & eorum quæ circa corpus sunt, adjacentia. *Gilbertus.*
    - 2. *Quotuplex?* Resp.
      - *Naturalis,* ut in homine habere capillos in capite
      - *Artificialis,* vel
        - *Ornamenti,* ut annulatum esse.
        - *Indumenti,* qui vel
          - *Domesticus,* ut, tunicatum esse, calceatum esse.
          - *Militaris,* ut, hastatum esse.

CAP.

PRÆCEPTA Doctrinæ Sphæricæ

EX

Probatis Autoribus collecta, & adjuvandæ memoriæ causa TABULIS Synopticis inclusa,

---

A

M. JOANNE STIERIO.

Editio Sexta.



LONDINI,

Typis *I. R.* Impensis *Iohan. Williams*, sub Signo Anchoræ Cæruleæ, in Vico Vulgo Voc. *Little Brittaine*. Anno Dom. *1666*.

Illustribus ac Generosis Dominis,

Dn. Henrico Secundo,

Dn. Henrico Nono,

Dn. Henrico Decimo,

Fratribus Germanis,

Heroicæ prosapiæ *Ruthenicæ* Junioribus, Dominis à *Plawen*, Dominis in *Graick*, *Cranichfeldt*, *Geraw*, *Schlaik*, & *Lowenstein*, &c.

Dominis suis clementissimis,

Has Tabulas Astronomicas

Humillime

Offert ac Dedicat

M. JOANNES STIER.



Præcepta Doctrinæ Sphæricæ.

Proœmium.

De ASTRONOMIA tria not.

- **I. *Nomen,* circa quod observ.**
  1. 'Ετυμολογία. Vocabulum *Astronomia* deductum est à voce ἄστρον, h.e Sidus, & νόμος, h. e. Lex: Astronomia igitur juxta nominis rationem sive Etymologiam nihil aliud significare videtur, quam astrorum rationem sive legem; ita ut Astronomia idem sit, quod siderum scientia: Differit enim de siderum motibus, motuumque certis & perpetuis vicibus ac legibus.
  2. *Quomodo Astronomia & Astrologia differant?* R. Astronomia vocatur etiam à veteribus *Astrologia* quæ tamen juxta recentiores ab Astronomia differt in eo, quod *Astronomia* motus cœlestes, motuumque leges & certas vicissitudines, *Astrologia* vero vires & affectiones eorundem, quas in elementarem regionem exerunt, observet. *Id est, Astrologia* nihil aliud significat, quam artem divinatricem, quæ ex stellarum vario positu de rebus futuris prædictiones instituit. Vulgo *Judiciaria* appellari solet.
- ***II. Quid sit?*** R. ASTRONOMIA est scientia, quæ motus corporum cœlestium scrutatur & explicat.
- **III. *Partes,* suntq; duæ.**
  - **DOCTRINA SPHÆRICA, de qua not.**
    1. *Quid sit?* R. DOCTRINA SPHÆRICA est, quæ primi mobilis motum, ejusque adparentias & affectiones adjumento Sphæræ materialis explicat.
    2. *Divisio.* Doctrina Sphærica dividitur in tres Tractatus.
       1. *De Objecto* Doctrinæ Sphæricæ. Vide pag. 2. & seqq.
       2. *De Hypothesibus,* quæ nihil aliud sunt quam Astronomorum adsumta, quibus adparentiæ sive Phænomina demonstrantur & salvantur. Tales Hypotheses sunt *Circuli.* Vide p. 6. & seqq.
       3. De *Phænomenis* sive *adparentiis,* quæ nihil aliud sunt quam propriæ affectiones primi mobilis, ut sunt ea omnia, quæ in cœlestibus fieri videmus. Vide pag. 11. & seqq.
  - THEORICA, seu THEORIA PLANETARUM, quæ secundorum mobilium motum, & proprias affectiones eundem consequentes pertractat.

Tractatus I. Doctrinæ Sphæricæ.

De Objecto Doctrinæ Sphæricæ.

CAP. I.

De Sphæra materiali.

Doctrinæ Sphæricæ OBJECTUM est duplex;

- Propinquum, estque SPHÆRA MATERIALIS, de qua not.
  - *I. Quid sit?* R. SHHÆRA est instrumentum quoddam rotundum in quo varii circuli armillæve continentur, quibus cœlolorum motus, & totius mundi situs commodissime explicantur. *Vel*, SPHÆRA, Latine GLOBUS, est solidum quoddam una superficie contentum, in cujus medio punctum est, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales.
  - *II. Partes*, suntque
    - 1. *Centum Sphæra*, estque punctum illud medium in Sphæra, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales.
    - 2. *Axis Sphæræ*, estq; linea recta transiens per centrũ sphæræ, adplicans extremitates suas ad circumferentiam ex utraq; parte circa quam sphæra volvitur. *In circulo dicitur* Diameter; *Nam omnis Axis est* Diameter, *sed non omnis Diameter est Axis, cum non circa quamvis* Diametrum *circumvolvatur Sphæra.*
    - 3. *Poli Sphæra*, de quibus not.
      - 1. *Quid sint?* R. POLI sunt duæ extremitates, seu duo puncta axem terminantia. super quibus sphæra volvitur *Latine* vertices & cardines *cœli dicuntur.*
      - 2. *Quot?* Resp. Duo;
        - *Septentrionalis*, qui à nobis perpetuo supra Horizontem elevatus conspicitur, & ab Arcto sive ursa, constellatione illi propinqua, *Arcticus* adpellatur. *Hunc polum in cœlo monstrat stella polaris, quæ est in extremitate Caudæ ursæ minoris*, 3. *fere grad. à polis distans.*
        - *Meridionalis*, qui semper nobis occultatur, & Arctico oppositus est, ideoq; dicitur *Antarcticus.*
  - *III. Quotuplex sit?* Resp. Sphæra est vel
    - *Recta*, estq; talis positio sphæræ, in qua uterq; polus incumbit Horozonti. *Dicitur* Recta, *quia Horizon intersecat Æquatorem & intersecatur ab eodem, ad angulos rectos.*
    - *Obliqua*, estque talis positio sphæræ, in qua alter polorum supra Horizontem elevatur, & alter infra Horizontem deprimitur. *Dicitur* Obliqua, *quia Horizon & Æquator sua mutua intersectione angulos obliquos & inæquales constituunt.*
    - *Parallela*, estque talis positio sphæræ, in qua Horizon & Æquator ita uniuntur, ut videantur unus circulus. *Dicitur* Parallela, *quia circuli, qui Æquatori sunt paralleli, etiam Horizonti sunt paralleli.*
- *Remotum*, sed tamen *principale*, estque SPHÆRA COELESTIS sive COELUM. Vide cap. seq.

CAP.



CAP. II.

De Sphæris Cœlestibus

In COELO duo notanda:

- **I. SPHÆRÆ, de quib. not.**
  - I. *Quid sint?* R. SPHÆRÆ COELESTES dicuntur certa cœli spacia, in quibus stellæ & sidera moventur. *Vel*, Sphæra COELESTIS, sive ORBIS, est corpus sphæricum duabus superficiebus constans, convexa & concava, ad cujus motum movetur stella, veluti clavus rotæ infixus ad ejus motum circumrotatur. *Licet in cœlo dari tales orbes revera concedendum minime videatur: Eos tamen propter faciliorem motuum cœlestium explicationem & cognitionem tradere expedit.*
  - II. *Quot sint?* R. Ex hypothesi Astronomica ponuntur decem,
    1. *Sphæra Lunæ.*
    2. *Sphæra Mercurii.*
    3. *Sphæra Veneris.*
    4. *Sphæra Solis.*
    5. *Sphæra Martis.*
    6. *Sphæra Jovis.*
    7. *Sphæra Saturni.*
    8. *Sphæra Octava*, sive *Firmamentum*, in quo sunt stellæ fixæ innumeræ. Hoc cursum suum peragit 49000 annorum spacio; quod temporis spacium est *annus Platonicus*, quia Plato credidisse dicitur, post elapsos tot annos, omnia ad pristinum statum esse reversura. *Dicitur hac Sphæra firmamentum, quia stellas fixas continet; vel quia firmat & vallo quasi munit reliquas Sphæras.*
    9. *Cœlum Chrystallinum* sive *aqueum*, in quo nullæ fulgent stellæ, sed admodum translucidum est, & aquarum refert similitudinem.
    10. *Primum mobile*, sive *ultimum cœlum*, reliquas Sphæras omnes ambiens.
  - III. Motus, estque duplex:
    - *Primus*, quo primum mobile ab ortu in occasum, æquali perpetuo celeritate, spacio 4. horarum circumvolvitur, secumque rapit reliquos orbes inferiores. *Hic motus competit primo mobili per se, reliquis uero Sphæris per accidens, & est regula & mensura communis omnium aliorum motuum.*
    - *Secundus*, quo firmamentum & reliqui orbes septem Planetarum per se moventur velocitate inæquali ab occasu in ortũ, & reluctantur primo motui. *Omnes igitur Sphæræ, excepto primo mobili, (quod tantum primo motu movetur) duplici motu moventur*; uno alieno, *quo ab ortu in occasum raptu primi mobilis circumferuntur, & hic est motus primus*; altero proprio, *quo per se ab occasu in ortum moventur, & hic est motus secundus.*
- **II. STELLÆ.** Vide cap. seqq. III. & IV.

CAP. III.

De Stellis Errantibus.

STELLÆ sunt vel

ERRANTES sive PLANETÆ, de quibus not.

I. *Nomen.* Dicuntur hæ stellæ *errantes*, item Planetæ, à Πλανάομαι *erro*, non quod incerto motu vagentur, sed quia magna motus varietate incedunt, neque inter sese eandem semper habent distantiam, neque cum stellis fixis eundem servant ordinem.

II. *Quid sint?* R. STELLÆ ERRANTES sive PLANETÆ sunt qui in inferioribus partibus moventur, & diversum situm, diversamque distantiam tum ad se invicem, tum ad stellas fixas habent.

III. *Quot sint?* R. Septem.

1. SATURNUS ♄, Planetarum tardissimus, qui cursum suum triginta fere annis absolvit, & major est terra nonagies semel.
2. JUPITER ♃, qui annis duodecim ad idem punctum, à quo digressus est, revertitur, & terram superat magnitudine nonagies quinquies & fere semisse.
3. MARS ♂, qui annis duobus cursum suum conficit, & major est terra semel cum una tertia.
4. SOL ☉, medium locum inter Planetas occupans, qui diebus 365 & 6 horis, nimirum annuo spacio, cursum suum absolvit, & major est terra centies sexagies sexies.
5. VENUS ♀, quæ periodum suam finit annuo fere spacio, & traditur minor esse terra tricies septies, & paulo amplius. *Dicitur alias* Phosphorus, *quando Solem antecedit*, & Hesperus, *quando Solem sequitur.* Hic Planeta à Sole, ante vel retro, nunquam digreditur plus 25 grad.
6. MERCURIUS ☿, qui uno anno iter suum periodicum conficit, Soli semper vicinus est, nec ab eo ultra 51 grad. recedit. Minor est terra vicies millies nongenties quinquagies bis.
7. LUNA ☽, quæ cursum suum absolvit menstruo spacio, nimirum 27. diebus & horis propemodum octo, & est minor terra tricies novies, & paulo plus. De hoc Planetarum ordine not. *Versus.*

Post SIM SUM *sequitur, proxima* LUNA *subest.*

IV. *Quomodo differant à Stellis fixis?* R.

1. *Scintillatione.* Planetæ non scintillant, quia sunt prope: Stellæ vero fixæ scintillare videntur.
2. *Situs mutatione.* Planetæ situm suum tum inter se, tum ad stellas fixas perpetuo mutant: Stellæ vero fixæ perpetuo eandem distantiam retinent.

FIXÆ, de quibus vide cap. seq. IV.

CAP. IV.

De Stellis fixis.

De STELLIS FIXIS quatuor not.

I. *Nomen.* Dicuntur hæ Stellæ *fixæ*, non quod immobiles consistant, sed quod unam eandemq; distantiam à se invicem retineant, & tardissime ab occasu in ortum progrediantur.

II. *Quid sint?* R. STELLÆ fixæ sunt, quæ in cœli parte superiori moventur, & eundem à se invicem situm, eandemque à terra perpetuo retinent distantiam.

III. *Quot sint?* R. Etsi Stellæ fixæ sunt innumerabiles, notabiliores tamen, sive jampridem observatæ, numerantur 1022. quæ, exceptis 9 obscuris, & 5. nebulosis, in sex ordines distinguuntur, & ad certos asterismos sive figuras revocantur.

IV. *Quomodo inter se differant?* R.

- 1. *Magnitudine*: Sunt enim *Magnitudinis*.
  - *Primæ*, quæ 107. majores sunt terra; suntque 15. In borea 3. In Zodiaco 5. In austro 7. *e. g. oculus Tauri, cor Leonis, spica Virginis, Sirius in ore canis majoris.*
  - *Secundæ*, quæ terram quantitate excedunt 90. suntque 45. In borea 18. in Zodiaco 9. In austro 18. *e. g. cauda Cygni, Orionis media cing. cor Scorpii.*
  - *Tertiæ*, quæ terram magnitudine superant 72. suntq; 208. In borea 18. In Zodiaco 64. In austro 60. *e. g. Stella polaris in extremitate caudæ Ursæ minoris.*
  - *Quartæ*, quæ terram quantitate superant 56. suntque 477. In borea 177. In Zodiaco 133. In austro 167. *e. g. Asellus in Cancro, cuspis Sagittæ, Equuleus.*
  - *Quintæ*, quæ terram quantitate superant 5[illegible]. suntque 217. In borea 58. In Zodiaco 105. In austro 54. *e. g. Pleiadum borealis, genu dextrum Andromedæ.*
  - *Sextæ*, quæ terram magnitudine excedunt 18, suntque 49. In borea 13. In Zodiaco 27. In austro 9. *e. g. in ulna dextra Orionis.*
- 2. *Asterismis*, de quibus not.
  - 1. *Quid sint?* R. ASTERISMUS sive CONSTELLATIO est multitudo quædam stellarum, formam alicujus animalis, aut alterius cujusvis rei effigiem suo situ ac ordine referentium.
  - 2. *Quot sint?* R. 48. ver.
    - 1. *Ad Boreæ partes ter septem sidera cernes.*
      Est minor Ursa, Draco, Cephus, & Cassiopeia,
      Andromede, Perseus, Auriga, Trigonus, & Ursa
      Major, Pegasides, & Equi perfectio, Delphin,
      Inde Volans Vultur, Telum, Lyra fulgida, Cygnus,
      Hercles, Anguitenens, Serpensque, Corona, Bootes:
    - 2. *Signifer inde subit, bis sex qui sidera complet.*
      Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
      Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
    - 3. *Post ter quinque tibi signa hæc vertuntur ad Austrum.*
      Cetus & Eridanus, Lepus, & nimbosus Orion,
      Sirius, & Procyon, Argo, Ratis, Hydra, Craterque,
      Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corollaque, Piscis.

Tractatus II. Doctrinæ Sphaericæ.

De Circulis.

CAP. I.

De Circulis in genere.

De CIRCULIS in genere quatuor not.

I. *Quid sint?* R. CIRCULUS est figura seu superficies rotunda intra circumferentiam contenta, à cujus centro ad circumferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales. *Vel*, CIRCULUS est superficies plana ac rotunda, à cujus centro omnes ductæ lineæ æquantur.

II. Quot sint? R. Etsi in cœlo circuli describantur fere infiniti, in Sphæra materiali tamen tantum sunt *decem*:

1. HORIZON. Cap. 2.
2. MERIDIANUS. Cap. 3.
3. ÆQUATOR. Cap. 4.
4. ZODIACUS. Cap. 5.
5. COLURUS ÆQUINOCTIORUM. Cap. 6.
6. COLURUS SOLSTITIORUM. Ibid.
7. TROPICUS CANCRI. Cap. 7.
8. TROPICUS CAPRICORNI. Ibid.
9. POLARIS ARCTICUS. Cap. 8.
10. POLARIS ANTARCTICUS. Ibid.

III. Partes. Quilibet circulus dividitur in 360 partes æquales, quas gradus vocant; & quilibet gradus rursus dividitur in 60 particulas alias, quæ scrupuli primi seu minuta dicuntur, & horum quodlibet rursus in 60 secunda, atque ita procedendo per sexagenariam proportionem usque ad decima. Cuilibet autem gradui circuli in Sphæra magni, in terra respondent 15 milliaria Germanica.

IV. Quotuplices sint? R. Circuli ratione

- 1. *Quantitatis*, sunt vel
  - *Majores*, qui idem centrũ cum sphæra obtinent, ipsamq; sphæram in duo hemisphæria æqualia, seu in duas partes æquales dividũt; ut, *Horizon*, Meridianus, *Æquator*, *Zodiacus*, *& duo Coluri.*
  - *Minores*, qui diversum centrum à sphæræ centro possident, sphæramque in duo segmenta inæqualia partiuntur. ut, *duo Tropici, & duo Polares.*
- 2. *Situs*, sunt vel
  - *Recti*, qui angulos rectos cum *Æquatore* conformant: ut, *duo* Coluri, *Meridianus, & Horizon rectus.*
  - *Obliqui*, qui cum *Æquatore* angulos obliquos constituunt; ut, *Zodiacus, & Horizon obliquus.*
  - *Paralleli*, qui sibi invicem æquidistant, & eosdem cum Sphæra polos habent; ut, *duo Tropici, & duo polares, & Æquator.*
- 3. *Motus*, sunt vel
  - *Mobiles* seu *Intrinseci*, qui Sphæra materiali inscripti cum ipsa convertuntur; ut, *Æquator, Zodiacus, duo Coluri, duo Tropici, & duo Polares.* A nonnullis hi circuli dicuntur *immutabiles*, quia ubivis locorum sunt & manent iidem. Sed sic confunditur imago sive repræsentatio rei, cum re ipsa quæ notatur.
  - *Immobiles* seu *Extrinseci*, qui in conversione Sphæræ manent immoti; ut, *Horizon, & Meridianus.* A quibusdam hi circuli dicuntur *mutabiles*, quia pro ratione loci, situs, ac longitudinis mutantur.

CAP. II.

De Horizonte.

De HORIZONTE quinque not.

- I. *Nomen.* Horizon dicitur ἀπὸ τῦ ὁρίζειν à finiendo, quia conspectam mundi partem ab altera latente determinat. Latinis dicitur *Finitor*; item *Circulus hemisphærii.*
- II. *Quid sit?* R. HORIZON est circulus major immobilis à puncto verticali æquidistans & dirimens hemisphærium visum à non viso.
- III. *Poli Horizontis*, suntque duo;
  - *Punctum verticale*, quod directe supra loci verticem est constitutum. Arabes vocant *Zenith*. Cum igitur cuique loco sit suum Zenith, sequitur cuique loco esse etiam proprium Horizontem à puncto illo verticali undiquaque æqualiter distantem.
  - *Punctum pedale* quod puncto verticali è diametro est oppositum. Arabes vocant *Nadir.*
- IV. *Quotuplex sit?* R. Horizon consideratur vel ratione
  - 1. *Nostri*, estque vel
    - *Rationalis*, qui dividit totum Cœlum in duo hemisphæria æqualia, segregatque partem visam à non visa, cujus Poli sunt vertex capitis seu Zenith, & punctum pedale seu Nadir, Centrum vero idem quod centrum terræ. *Dicitur* rationalis, *quia tantum ratione seu mente percipitur.*
    - *Sensibilis*, estque illud spacium in superficie terræ marisve, quod acies oculorum circumducta circumspicere potest, sublatis omnibus impedimentis. *Hujus semidiameter à Macrobio statuitur* 180. *stadiorum, h. e. ferme* 4. *milliarum Germ. Ejus ambitus sive circumferentia* 25. ⅞ *milliar.*
  - 2. *Sphæra*, estque vel
    - *Rectus*, cujus plano uterque polus incumbit; *Seu*, qui cum Æquatore constituit angulos rectos, habetq; locum in Sphæra recta.
    - *Obliquus*, supra quem alter polorum elevatur, & alter infra eum deprimitur; *Vel*, qui cum Æquatore angulos obliquos constituit, habetq; locum in Sphæra obliqua.
    - *Parallelus*, qui Æquatoris plano unitur, habetque locum in Sphæra parallela.
- V. *Usus* seu *Officia* Horizon.
  1. dividit cœlum in duo hemisphæria æqualia, superum seu visum alterum; alterum vero inferum seu occultum.
  2. Definit ortus & occasus stellarum, ostenditque, quæ stellæ semper adpareant, & quæ perpetuo lateant.
  3. Distinguit Sphæram in rectam, obliquam & parallelam.
  4. Determinat quantitatem cujuslibet diei & noctis.
  5. Determinat poli elevationem & Æquatoris, atque hoc modo etiam latitudinem loci, quæ elevationi poli perpetuo est æqualis. *Elevatio poli autem nihil aliud est, quam arcus Meridiani inter Horizontem & polum mundi adparentem interceptus.*
  6. Ostendit crepusculum matutinum & vespertinum; quando enim Sol movetur per 18. gradus proximos Horizonti, antequam oritur, fit crepusculum matutinum sive diluculum; quando movetur per 18. gradus proximos Horizonti, postquam occidit, est crepusculum vespertinum.

CAP. III.

De Meridiano.

De MERIDIANO quatuor not.

I. *Nomen.* Dicitur hic circulus μεσημβρινὸς quasi μεσημερινός. Latinis *Meridianus* à meridie. quia sol motu primo ad hunc circulum perveniens efficit meridiem.

II. *Quid sit?* R. MERIDIANUS est circulus major immobilis, per polos mundi, & cujusque loci verticem transiens, ad quem Sol motu primo delatus supra terram, meridiem, infra vero, mediam noctem efficit.

III. *Quot sint?* R. Tot sunt Meridiani, quot numerari possunt puncta verticalia: quoniam vero hujusmodi puncta esse possunt infinita, igitur Geographi 180 constituerunt; ita ut mutans locum versus ortum & occasum, quoties 75. milliaria confecerit, habebit alium Meridianum. Si vero à Meridie versus septentrionem vel contra progressus fuerit semper unus idemque erit Meridianus.

IV. *Usus seu Officia Meridiani.*
1. Dividit cœlum in duas medietates, *scilicet orientalem & occidentalem.*
2. Est limes sive meta meridiei, & mediæ noctis.
3. Diem & noctem in spatia æqualia distinguit: *Diem in tempus antemeridianum & pomeridianum; Noctem in horas mediam noctem antecedentes & eam sequentes.*
5. Ostendit solis & omnium stellarum maximam altitudinem, quæ altitudo meridiana dicitur: *item* poli elevationem. *Altitudo stellæ maxima est, cum existit sub Meridiano.*
5. In Meridiano numerantur distantiæ stellarum ab Æquatore.
6. Monstrat initium diei naturalis, quod Astronomi sumunt à Meridiano.

Vers. *Græci mane diem capiebant solis ab ortu,*
Vesperi Judæi: Scrutantes sidera cœli,
Cum Sol in medio splendet nitidissimus orbe.
Christela incipiunt medio sub tempore noctis.

CAP. IV.

De Æquatore.

De ÆQUATORE tria not.

I. *Nomen.* Dicitur hic circulus
1. *Æquator*, quia est motuum cœlestium communis norma & Regula.
2. *Æquinoctialis*, nam sol motu secundo ad hunc circulum perveniens, diem nocti, & noctem diei adæquat in universa terra.
4. *Cingulum primi motus*, quia primum mobile cingit.
4. Ἰσημερινός, quasi æquidialis.

II. *Quid sit?* R. ÆQUATOR est circulus major mobilis, qui ex mundi polis est descriptus, æqualiterque ab utroque polo mundi secundum omnes sui partes distat.

III. *Usus seu Officia Æquatoris.*
1. Dividit cœlum in partem septentrionalem & meridionalem.
2. Est mensura temporis. *Quoties enim 15. gradus Æquatoris supra Horizontem adscendant, toties hora una est absoluta: Sicque 24. horis totus Æquator cum omnibus suis partibus circumvolvitur.*
3. Ostendit puncta Æquinoctialia, in quibus sol existens efficit æquinoctium, *quod fit quando Æquator Eclipticam intersecat.*
4. Ostendit declinationes graduum Eclipticæ & stellarum. *Declinatio est distantia gradus Eclipticæ vel Stellæ ab Æquatore versus alterutrum polum mundi.* Vel, *est arcus Meridiani inter stellam gradum Eclipticæ, & inter Æquatorem interceptus.*

CAP. V.

De Zodiaco.

De ZODIACO quatuor not.

- I. *Nomen.* Zodiacus dicitur vel
  - 1. Ἀπὸ τῆς ζωῆς, à vita, quia sub Zodiaco Sol & reliqui Planetæ, qui dicuntur vitæ autores, moventur.
  - 2. Ἀπὸ τῶν ζωδίων, h. e. animalium figuris in eo depictis.
- II. *Quid sit?* R. ZODIACUS est circulus major mobilis, latus, & obliquus, qui secat Æquatorem, ab eodemque vicissim secatur in duas medietates, & sub quo perpetuo versantur Planetæ.
- III. *Divisio.* Zodiacus dividitur vel secundum.
  - *Longitudinem*, in 12 signa, de quib. not.
    - 1. *Nomina.* Aries ♈, Taurus ♉, Gemini ♊, Cancer ♋, Leo ♌, Virgo ♍, Libra ♎, Scorpius ♏, Sagitarius ♐, Capricornus ♑, Aquarius ♒, Pisces ♓.
    - 2. *Partes.* Quodlibet signum dividitur in 30 partes, quas à Quotidiano Solis incessu gradus vocant.
    - 3. *Quotuplicia sint?* R.
      - 1. vel
        - *Septentrionalia*, quæ ab Æquatore in septentrionem declinant: ut, ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍.
        - *Meridionalia*, quæ ab Æquatore in meridiem declinant; ut, ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓.
      - 2. vel
        - *Adscendentia*, in quibus Sol ex austro in septentrionem ascendit. ut, ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐.
        - *Descendentia*, in quibus Sol ex septentrione in austrum descendit; ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊.
      - 3. vel
        - *Vernalia*, ut sunt ♈ ♉ ♊.
        - *Aestiva*, ut sunt ♋ ♌ ♍.
        - *Autumnalia*, ut sunt ♎ ♏ ♐.
        - *Hyemalia*, ut sunt ♑ ♒ ♓.
  - *Latitudinem*, in tres circulos parallelos, quorum
    - *Duo exteriores*, intra quos Planetæ progrediuntur. Horum latitudo juxta recentiores est 16 grad. nam quilibet eorum ab Ecliptica distat 8. grad.
    - *Unus interior*, scilicet *Linea Ecliptica*, quæ est circulus per medium Zodiaci ductus, sub quo sol perpetuo incidit.
- IV. *Usus seu Officia.*
  - 1. Sicut Æquator primi motus, ita Zodiacus secundorum mobilium est mensura.
  - 2. Zodiacus sua obliquitate efficit gratas temporis vices; *item*, incrementa & decrementa dierum & noctium.
  - 3. Sub Ecliptica fiunt Eclipses; *Unde etiam Ecliptica nomen habet.*
  - 4. Ab Ecliptica numerantur stellarum latitudines, quemadmodum ab Æquatore Declinationes. *Latitudo Stellæ est distantia ejus ab Ecliptica*; Vel, *Latitudo Stellæ est arcus circuli maximi qui per polos Zodiaci & per centrum Stellæ incedit, interceptus inter Eclipticam, & verum locum Stellæ.*
  - 4. Ecliptica ostendit in quo signo & gradu signi stella aut planeta existat.

CAP. VI.

De Coluris.

De COLURIS quinque not.

- I. *Nomen.* Coluri dicuntur ἀπὸ τοῦ κολυρῦ, quod imperfectum significat, quia nunquam in Sphæra obliqua integri supra Horizontem conspiciuntur.
- II. *Quid sint?* R. COLURI sunt circuli majores mobiles, qui per polos mundi & puncta cardinalia ducuntur, sese mutuo ad angulos rectos in ipsis polis intersecantes.
- III. *Quatuor Puncta cardinalia*, quæ sunt vel
  - Æquinoctialia, de quibus not.
    1. *Quid sint?* R. Puncta Æquinoctialia sunt in quibus Ecliptica & Æquator se mutuo intersecant. Hæc puncta cum Sol motu secundo adtingit, fiunt æquinoctia: *id est, dies noctibus æquantur; quod bis fit in anno.*
    2. *Quot sint?* R. duo:
       - *Principium* ♈, quod cum Sol adtingit, fit *æquinoctium vernum*, circa diem $\frac{11}{21}$ Martii.
       - *Principium* ♎, quod cum Sol adtingit, fit *æquinoctium autumnale*, circa diem $\frac{13}{23}$ Septembris.
  - Solstitialia de quibus not.
    1. *Quid sint?* R. Puncta Solstitialia sunt in quibus Sol est remotissimus ab Æquatore, & alterutri polo maxime vicinus. Hæc puncta cum Sol motu secundo adtingit, fiunt solstitia; *id est, cum Sol per aliquot dies in iisdem fere Horizontis partibus oriatur & occidat, videtur quasi stare; quod bis fit in anno.*
    2. *Quot sint?* R. duo.
       - *Principium* ♋, in quo sol est altissimus, & paulatim à nobis recedens longissimos efficit dies, & brevissimas noctes. *Hoc solstitium dicitur Æstivum* circa diem $\frac{11}{21}$ Junii.
       - *Principium* ♑, in quo Sol imam Zodiaci partem relinquens, nobis adpropinquare incipit, & brevissimos dies efficit, & longissimas noctes. *Hoc solstitium dicitur Hybernum,* circa diem $\frac{11}{21}$ Decembris.
- IV. *Quot sint* COLURI? R. duo;
  - COLURUS ÆQUINOCTIORUM est, qui per polos mundi ductus transit per puncta æquinoctialia.
  - COLURUS SOLSTITIORUM est, qui per polos mundi & Zodiaci ductus transit per puncta Solstitialia.
- V. *Usus seu Officia.* 4.
  1. Coluri ostendunt quatuor puncta cardinalia Zodiaci, in quibus ex motu Solis maximæ temporis mutationes fieri solent.
  2. Coluri dividunt Æquatorem & Zodiacum in 4. partes æquales, quibus anni tempora, *ver æstas, autumnus, & hyems* respondent.
  3. Colurus Solstitiorum maximas Solis declinationes metitur, & continet polos Zodiaci, quorum distantiam à polis mundi ostendit. *Duo arcus Coluri Solstitiorum, qui inter puncta Solstitialia & Æquatorem interjiciuntur, appellantur maxima Solis declinationes, quæ æquales sunt inter se.*

CAP. VII.

De Tropicis.

De TROPICIS quattuor not.

- *I. Nomen.* Hi circuli vocantur
  1. *Tropici, ἀπὸ τοῦ τρέπειν,* à vertendo, quia Sol ad puncta solstitialia, per quæ Tropici describuntur, perveniens, maximam habet declinationem ab æquatore, ad quem iterum se convertit.
  2. *Solstitiales,* vel *Circuli Solstitiorum,* quia propter Eclipticæ insensibilem declinationis mutationem, Sol eo loco aliquot dies quasi stare videtur.
- *II. Quid sint?* R. TROPICI sunt circuli minores mobiles ab Æquatore æque distantes, & Eclipticam utrinque adtingentes.
- *III. Quot sint TROPICI?* R. duo:
  - TROPICUS CANCRI, qui Eclipticam in principio ♋ adtingit: *Seu,* quam Sol principium ♋ ingressus, motu primi mobilis diurno describit. *Dicitur etiam* Tropicus æstivus: *item* circulus Alti Solstitii.
  - TROPICUS Capricorni, qui Eclipticam in principio ♑ adtingit: *Seu* quem Sol Principium ♑ ingressus motu primi mobilis diurno describit. *Dicitur etiam* Tropicus hyemalis; *item* circulus Imi Solstitii.
- *IV. Usus seu Officia.* Tropici.
  1. Ostendunt in Ecliptica puncta Tropica seu Solstitialia, videlicet principia ♋ & ♑, *in quibus Solis conversiones seu declinationes fiunt.*
  2. Determinant maximam Solis ab Æquatore declinationem & distantiam. *Distat vero uterque Tropicorum ab Æquatore pari quantitate, videlicet 23. grad. 30. minut. Hi gradus si duplicantur, prodit distantia mutua utriusque Tropici inter se, nempe 47. grad.*
  3. Ostendunt diem longissimum, quando scilicet Tropicus ♋ Eclipticam adtingit; & diem brevissimum, quando nimirum Tropicus ♑ Eclipticam adtingit.
  4. Includunt viam Solis certis quasi limitibus versus Septentrionem & Meridiem, quos Sol non egreditur.
  5. Faciunt ad distinguendas Zonas, *de quibus in append. pag.* 18.

CAP. VIII.

De Polaribus.

De POLARIBUS tria not.

- *I. Quid sint?* R. POLARES sunt circuli minores mobiles ab Æquatore aeque distantes, & per Polos Eclipticæ seu Zodiaci transeuntes.
- *II. Quot sint POLARES?* R. duo;
  - POLARIS ARCTICUS, quem Polus Zodiaci meridionalis circa polum mundi arcticum motu diurno describit.
  - POLARIS ANTARCTICUS, quem polus Zodiaci septentrionalis circa polum mundi antarcticum motu diurno describir.
- *III. Usus seu Officia.* Polares circuli.
  1. Ostendunt polos Zodiaci, & eorum à polis mundi distantiam, quæ tanta est, quanta maxima solis declinatio, nimirum 23. grad. & 30. minut. *Cum enim tanto intervallo Zodiaci seu Ecliptica medietates ab Æquatore utrinq; distent, sequitur polos etiam Zodiaci ab Æquatoris polis eodem intervallo removeri: Nam poli à medietate sui circuli per quartam ejus partem perpetuo distant.*
  2. Inserviunt distinctioni Zonarum, *de quibus infra pag.* 18.

Tractatus III. Doctrinæ Sphæricæ.

De Phænomenis.

CAP. I.

De Ortu & Occasu stellarum Poetico.

PHÆNOMENA sunt vel

- *Primi mobilis*, ut,
  - I. ORTUS & OCCASUS POETICUS, de quo not.
    - 1. *Nomen.* Dicitur hic stellarum ortus & occasus *Poeticus*, quia Poetæ in descriptionibus temporum eo frequenter utuntur.
    - 2. *Quid sit* ? R. ORTUS POETICUS est vel elevatio Stellæ, vel adparitio ejusdem supra Horizontem ad Solem determinata. OCCASUS POETICUS est vel descēsio stellæ sub Horizontem, vel occultatio ejusdem ad Solem determinata. *Vel*, ORTUS & OCCASUS POETICUS est relatio stellæ alicujus ad Solem, respectu cujus oritur vel occidit.
    - IIII. *Quotuplex sit* ? R.
      - 1. *Cosmicus* sive *Matutinus*. ORTUS COSMICUS est, quando stella una cum Sole supra Horizontem adscendit: OCCASUS COSMICUS est, quando stella sub Horizontem descendit, Sole ex opposito supra Horizontem adscendente.
      - 2. *Chronicus* sive *Vespertinus*. ORTUS CHRONICUS est, quando stella supra Horizontem oritur, Sole ex opposito sub Horizontem occidente: OCCASUS CHRONICUS est, quando stella una cum Sole sub Horizontem occidit.
      - 3. *Heliacus* sive *Solaris*. ORTUS HELIACUS est, quando stella, quæ præsentis solis radiis tecta latuit, discedente sole adparere incipit: OCCASUS HELIACUS est, quando stella antea conspicua ob accessum solis occultatur.
    - IV. *Regulæ.*
      - 1. Ad solem orientem refertur *ortus & occasus Cosmicus*: Ad solem occidentem *ortus & occasus Chronicus*: Ad solem tam orientem quam occidentem *ortus & occasus Heliacus*.
      - 2. Quotidie quædam stellæ cum sole adscendunt, quæ cosmice oriri dicuntur, licet propter vicinitatem solis ejusque claritatem conspici nequeant.
      - 4. Stella quæ cosmice oritur, chronice occidit; & quæ chronice oritur cosmice occidit. Hinc *Vers.*

        Cosmice descendit signum quod chronice surgit.
        Chronice descendit signum quod cosmice surgit.
  - II. ADSCENSIO & DESCENSIO SIGNORUM. Vide cap. 2.
  - III. *Tempus*, quod à motu primi mobilis dependet. Vide cap III. & IV.
- *Secundorum mobilium*, quæ licet non ad *Doctrinam Sphæricam*, sed ad *Theoriam Planetarum* pertineant, hoc loco tamen paucis de illis agemus, Vide cap. V. & seq.

CAP. III.

De Adſcenſionibus & Deſcenſionibus ſignorum.

De Adſcenſionibus & Deſcenſionibus SIGNORUM tria nor.

I. *Quid ſint?* R. ADSCENSIO SIGNI eſt arcus Æquatoris, qui cum aliquo ſigno, vel quovis arcu Eclipticæ dato ſupra Horizontem adſcendit. DESCENSIO SIGNI eſt arcus Æquatoris, qui cum aliquo ſigno, vel quovis arcu Eclipticæ dato ſub Horizontem deſcendit. *Dicuntur etiam* Ortus & Occaſus Aſtronomicus.

II. *Quotupliciter ſigna adſcendant, & deſcendant?* R.
- *Recte*, quando plures gradus de Æquatore adſcendunt vel deſcendunt, quam de Zodiaco.
- *Oblique*, quando pauciores gradus, de Æquatore adſcendunt, vel deſcendunt, quam de Zodiaco.

III. *Quotuplex ſit* tum
- *Arcus Zodiaci?* Reſp.
  - *Continuus*, qui continua ſerie in Zodiaco numeratur à primo Arietis puncto; *e. g. arcus à primo ♈ gradu ad 12 grad. ♊, Vide Tab. Adſcenſ. pag. 20. ad ſeqq.*
  - *Diſcretus*, qui à quovis alio puncto Eclipticæ numeratur; *e. g. arcus à 14 grad. ♉ ad 14 grad.* ♊.
- *Adſcenſio & Deſcenſio ſignorum?* R. Duplex;
  - *Recta*, quæ fit in Sphæra recta, ſive ſignum in illa ſphæra oriatur recte, ſive oblique.
  - *Obliqua*, quæ fit in ſphæra obliqua, ſive ſignum in illa ſphæra oriatur recte, ſive oblique.

IV. *Regulæ*, quæ pertinent vel ad Sphæram,
- *Rectam*, ut ſunt
  1. Zodiaci quadrantes à punctis cardinalibus inchoati cum Æquatoris quadrantibus æqualis temporis ſpacio, h.e. 6 horis oriuntur & occidunt. Partes vero iſtorum quadrantum inæqualiter peroriuntur, propter variam & diverſam ipſarum declinationem ſeu diſtantiam ab Æquatore.
  2. Signa æqualiter ab uno quatuor punct. card. diſtantia æquales habent adſcentiones; ut, ♊ & ♋ Unde ſequitur, ſigna oppoſita habere æquales adſcenſiones; ut, ♈ & ♎.
  3. Signa quo ſunt viciniora punctis æquinoctialibus, eo oriuntur obliquius; quo vero ſunt propinquiora punctis ſolſtitialibus, eo oriuntur rectius.
  4. Deſcenſio ſigni æqualis eſt & ſuæ & ſigni oppoſiti adſcenſioni.
  5. Quatuor ſigna ♊ ♍ ♐ ♓ oriuntur recte; reliqua vero octo oblique. *Vide infra pag. 19.*
- *Obliquam*, ut ſunt
  1. Duæ medietates conterminales Zodiaci & Æquatoris inchoatæ a punctis æquinoctialibus perorientur æquali temporis ſpacio, puto 12. hor. Partes vero medietatem inæqualiter.
  2. Adſcenſio ſigni eſt æqualis ſigni oppoſiti deſcenſionis & contra.
  3. Signa recte adſendentia oblique deſcendunt, & contra.
  4. Adſcenſiones arcuum in ſignis ſeptentr. ſunt majores quam in ſphæra rect; in meridion. vero minores.
  5. Sex ſigna ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ oriuntur recte; reliqua ſex ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊ oblique.

CAP. III.

De Diebus & Horis.

(Ad TEMPUS pertinent)

- (DIES, estque vel)
  - *Naturalis.* DIES NATURALIS est una integra circumvolutio Solis, donec ad idem punctum redeat unde recessit. *Hunc diem Astronomi inchoant à Meridiano circulo.*
  - (*Artificialis, de quo not.*)
    - *I. Quid sit?* R. DIES ARTIFICIALIS est mora Solis supra Horizontem.
    - *II. Oppositum*, estque NOX, quæ est mora solis infra Horizontem.
    - III. *Partes*, suntque HORÆ, quæ
      - *Æquales, sive Æquinoctiales*, HORA ÆQUALIS est 24. pars diei naturalis. *Una Hora æqualis complectitur* 15. *gradus Æquatoris.*
      - *Inæquales, sive Temporales*, HORA INÆQUALIS est 12. pars diei artificialis.
    - IV. *Regula.*
      1. In sphæra recta omnes dies artificiales sunt æquales noctibus per totum annum, quia medietates Eclipticæ & Æquatoris sunt æquales.
      2. In sphæra obliqua dies nunquam sunt æquales noctibus, nisi cum Sol existit in principio Arietis & Libræ; reliquæ dies omnes sunt inæquales, ob inæqualem adscensionem medietatum Æquatoris & Eclipticæ.
      3. In sphæra obliqua, versante Sole in signis septentrionalibus, dies longiores sunt noctibus; in Meridionalibus vero breviores.
      4. In sphæra obliqua, Sole commorante in solstitio æstivo, dies est brevissimus & nox longissima.
      5. In sphæra parallela totus annus in unum diem, nempe 6. mensibus, & unam noctem 6. mensium dividitur.
    - V. *Quomodo investigetur Quantitas Diei?* R.
      1. Vide quem gradum signi Sol eo die teneat.
      2. Quære in Tab. Adscens. obliquar. arcum Æquatoris adscendentem cum eo Eclipticæ gradu, in quo sol est.
      3. Quære in eadem Tab. istius Eclipticæ gradus, gradum signi oppositi, & cum arcum Æquatoris adscendentem cum eo gradu.
      4. Subtrahe adscensionem loci solis ab adscensione signi oppositi. & residuum divide per 15. & sic habebis horas. *Si vero* adscensio signi oppositi fuerit minor, quam ut ab ea substractio fieri possit, adde ei integrum circulum, nempe 360 gradus & tum demum fiat subtractio.
      5. Gradus post divisionem restantes per 4. multiplica, & minuta insuper adhærentia per 15. divide, producta utrobique minuta prioribus horis adde, & habebis diei longitudinem.
- ANNUS, qui à motu secundo quidem dependet, cum vero ex plurium dierum collectione constet, hoc loco de eo agemus, Vide cap. seq. IV.

CAP. IV.

De Annis & Mensibus.

De ANNO tria not.

- *I. Quid sit* R. ANNUS est temporis spacium Solari periodo descriptum.
- *II. Quotuplex sit?* R. Annus est vel
  - *Astronomicus*, qui est vel
    - *Tropicus*, seu *Vertens*, estque temporis spacium, quo Sol à certo Zodiaci puncto discedens ad idem revertitur, quod fit 365. diebus, 5 horis, 49 min.
    - *Sidereus*, estque temporis spacium, quo Sol à stella fixa digrediens ad eandem redit, quod fit 365. diebus, 6 horis, 9 min.
  - *Politicus* seu *civilis*, ut
    - *Annus Julianus*, qui vel
      - *Communis*, qui continet 365 dies, & 6 horas.
      - *Intercalaris*, estq; annus quartus quisque, habens 366 dies. *Dicitur etiam* Bissextilis, *quia dies superveniens diei sexto ante Calend.* Martii *interponitur, sextumque Cal.* Martii *bis numerari facit.*
    - *Annus Gregorianus*, qui constat 365. diebus, 5 horis, 49 scrupulis primis, & 12 secundis; & hic, ut in Juliano, quartus quisque annus est bissextilis, nisi quod in 400 annis tres anni bissextiles omittantur; id est, *tres anni, qui deberent esse bissextiles, censentur pro communibus.*
- *III Partes*, suntq; vel
  - *Majores*, ut quatuor Tempora;
    - *Ver*, prima pars anni, quo *Sol* ab æquinoctio verno ad solstitium æstivum per ♈ ♉ ♊ adscendit. *Incipit in Martio, continuatur per Aprilem & Maium, & terminatur in Junio.*
    - *Æstas*, secunda pars anni, quo *Sol* à solstitio æstivo ad autumnale æquinoctium per ♋ ♌ ♍ descendit. *Incipit in Junio, continuatur per Julium & Augustum, & terminatur in Septembri.*
    - *Autumnus*, tertia pars anni, quo *Sol* ab æquinoctio autumnali ad solstitium hybernum per ♎ ♏ ♐ descendit. *Incipit in septembri, continuatur per Octobr. & Novemb. & terminatur in Decembri.*
    - *Hyems*, quarta & extrema pars anni, quâ *Sol* à solstitio hyberno sive brumali per ♑ ♒ ♓ ad æquinoctium vernum adscendit. *Incipit in Decembri continuatur per Januarium & Februarium, & finitur in Martio.*
  - *Minores*, ut MENSES, qui sunt vel
    - *Lunares, de quibus not.*
      - 1. *Quid sint?* R. MENSIS LUNARIS est tempus quo Luna motu suo periodico 12 signa Zodiaci emetitur.
      - 2. *Quotuplices sint?* Resp. Mensis est vel
        - *Peragrationis* seu periodicus, & est tempus unâ Lunæ periodo descriptum: *Estque 27 dier. & 8 fere hor.*
        - *Conjunctionis*, seu *Synodicus*, & est tempus inter duo proxima novilunia: *Estq; 29 dier. & 12 fere hor.*
        - *Adparitionis* seu *Illuminationis*, & est tempus à primo Lunæ adspectu, usque ad ejus evanescentiam: *Estque fere 28 dierum.*
    - *Solares.* MENSIS SOLARIS est naturalis transitus Solis à Signo ad Signum. *Horum mensium 12. constituunt annum.*

CAP. V.

De Adspectibus Planetarum.

Secundorum mobil. PHÆNOMENA sunt

- I. ADPECTUS PLANETARUM, de quibus not.
  - I. *Quid sint?* R. ADSPECTUS PLANETARUM sunt certæ & determinatæ Planetarum inter se se habitudines.
  - II. *Quotuplices?* R. sunt vel
    - *Felices; ut,*
      - Τρίγωνος *Trigonus* △, cum tertia Zodiaci parte, hoc est, quatuor signis, vel 120 gradibus distant Planetæ.
      - Ἑξάγωνος *Sextilis* ✱, cum sexta Zodiaci parte, id est, ad intervallum duorum signorum, vel 60 graduum ab invicem absunt Planetæ.
    - *Infelices; ut,*
      - Σύνοδος & συζυγία *Conjunctio* ☌, estque duorum vel plurium Planetarum in eodem zodiaci loco conventus: ut, *Solis & Lunæ in novilunio.*
      - Τετράγωνος *Quadratus* □, cum quarta Zodiaci parte, id est, tribus signis, vel 90 gradibus ab invicem absunt Planetæ.
      - Διάμετρος *Oppositio* ☍, cum sex signis, hoc est, 180 gradibus ab invicem distant Planetæ: ut, *Sol & Luna in plenilunio.*
- II. PHASES sive ADPARITIONES LUNÆ. Vide cap. seq. VI.
- III. ECLIPSES. Vide cap. VI.

CAP. VI.

De Phasibus Lunæ.

De PHASIBUS LUNAE tria not.

- I. *Quid sint?* R. PHASIS LUNÆ est diversa Lunæ adparitio pro variatione mutuatitii luminis, quod Luna à Sole accipit.
- II. *Quænam sit causa diversarum illuminationum & figuraurm in Luna?* R. Dissimilis Lunæ ad Solem luminis sui fontem, & ad terram, ex qua non eodem modo semper conspicicitur positus.
- III. *Quot sint formæ Lunæ?* R. 8.
  1. Σύνοδος *Conjunctio Lunæ*, sive *Novilunium*, cum Luna Soli conjungitur, & nullum lumen præbet. *Ab hoc tempore Luna dicitur crescere.*
  2. Μηνοειδὴς *Falcata*, cum Luna, quarta à conjunctione die, exiguam illuminatæ medietatis partem exerit, & quasi corniculata conspicitur, ea sui parte qua respicit Solem.
  3. Διχότομος *Dimidiata*, septima die post conjunctionem.
  4. Ἀμφίκυρτος *Tumida* seu utrinq; *Gibbosa*, undecimo die post conjunctionem.
  5. Πανσέληνος *Plenilunium*, cum Luna, decima quinta à conjunctione die, Soli opposita, pleno quasi orbe fulgens, obscuram medietatem à nobis aversam habet. *Ab hoc tempore incipit Luna decrescere.*
  6. Ἀμφίκυρτος *Tumida* seu utrinque *Gibbosa*, cum Luna, Quatriduo post plenilunium die decima nona à conjunctione paulatim luminosam partem avertit & aliquam de opaca objectat.
  7. Διχότομος *Dimidia*, vigesima prima à conjunctione die.
  8. Μηνοειδὴς *Falcata*, à vicesima sexta à conjunctione die, donec trigesima die rursus cum Sole congrediatur.

CAP. VII.

De Eclipsibus.

De ECLIPSIBUS tria not.

I. *Quid sint?* R. ECLIPSIS est obscuratio luminaris cœlestis, quæ fit corporis alicujus opaci interpositione.

II. *Locus.* Eclipses fiunt circa NODOS, de quib. not.
- 1. *Quid sint?* R. NODI sunt puncta intersectionum, in quibus Ecliptica & deferens Lunæ se mutuo intersecant.
- 2. *Quot sint?* R. Duo;
  - *Caput Draconis* ☊ sive *Nodus adscendens*, ubi Luna ab Ecliptica digrediens ad verticem nostrum propius accedit, & à meridie versus septentrionem movetur.
  - *Cauda Draconis* ☋ sive *Nodus descendens*, ubi Luna ab Ecliptica discedens à Septentrione in meridiem movetur.

III. *Quotuplices?* R. Eclipsis est
- 1. vel
  - *Solis*, de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. ECLIPSIS SOLIS est aversio radiorum solarium à certa aliqua terræ parte, ob interpositionem Lunæ, quæ inter Solem & adspectum nostrum directe intercurrit.
    - 2. *Tempus.* Eclipsis Solis fit in Novilunio, cum Luna Soli ita conjungitur (h. e. *in eodem signo ac gradu, in quo est Sol, existit*) ut tria illa corpora, Sol, Luna, & Terra sint in eadem linea. quod fit quando Luna in Novilunio est in capite vel cauda Draconis, vel prope. Ergo non in omni conjunctione fit Eclipsis Solis.
  - *Lunæ*, de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. ECLIPSIS LUNÆ est interpositio terræ inter Solem & Lunam. *Vel*, est privatio Luminis Solaris in lunari corpore, quæ fit Luna mersa in umbram terræ, Soli & Lunæ diametraliter interjectæ.
    - 2. *Tempus.* Eclipsis Lunæ fit in plenilunio, cum Luna Soli diametraliter opponitur, ita ut Luna sit in capite vel cauda Draconis vel prope. Quoniam vero oppositiones luminarium ut plurimũ fiunt Luna non existente in capite vel cauda Draconis, neque ita prope ut ab umbra possit contegi, idcirco non in omni plenilunio contingit Eclipsis Lunæ.
- 2. vel
  - *Totalis*, cum totum luminare obscuratur. *Hac fit ipsis nodis.*
  - *Partialis* de qua not.
    - 1. *Quid sit?* R. Eclipsis partialis est, cum pars luminaris saltem obscuratur vel pauciores digiti quam 12. *Hoc fit prope nodum alterutrum.* Digitus est *duodecima diametri visibilis pars.*
    - 2. *Quotuplex?* R.
      - *Major*, cum plures digiti quam sex obscurantur.
      - *Minor*, cum pauciores digiti quam sex obscurantur.
      - *Mediocris*, cum sex digiti (i. e. *dimidia luminaris pars*) obscurantur.
- 3. vel
  - *Universalis*, quæ conspicitur ab omnibus in illo hemispherio, in quo contingit habitantibus. *Hac Lunæ tantum competit.*
  - *Particularis*, quæ in aliquibus tantum climatibus adparet. *Hac & Soli & Lunæ competit.*

Appendix

Appendix Geographica.

De Zonis & Climatibus.

Appendix Geographica continet doctrinam

- **ZONARUM, de quibus tria not.**
  - *I. Nomen:* Dicuntur *Zona* ἀπὸ τοῦ ζωννύω, h. e. cingo, quia cœlum terramque quasi cingunt. Ovidius *plagas* vogat, Martianus *fascias.*
  - *II. Quid sint?* R. ZONA est spacium cœli & terræ circulis minoribus inclusum.
  - *III. Quot sint?* R. Quinque.
    - *Una Torrida,* de qua not.
      1. *Quid sit?* R. Zona Torrida sive Media est, quæ inter utrumq; continetur Tropicum. *Dicitur* Torrida, *quod perpetuo à Sole uratur & torreatur.*
      2. *Latitudo,* estque 47 grad. qui multiplicati per 15. producunt 705 mill. Germ.
    - *Duæ Temperatæ,* de quib. not.
      1. *Quid sint?* R. Zonæ temperatæ sunt quæ inter alterutrũ Tropicum & victum polarem continentur. *Dicuntur* Temperatæ, *quia in iis mundi partibus caloris frigorisque est temperies.*
      2. *Latitudo,* estque 48 fere grad. h. e, 645. mill. Germ.
      3. *Quotuplices sint?* R.
         - *Septentrionalis,* inter tropicum cancri & polarem arcticum.
         - *Meridionalis,* inter tropicum capricorni & polarem antarcticum.
    - *Duæ Frigidæ,* de quib. not.
      1. *Quid sint?* R. Zonæ frigidæ sunt, quæ intra polares circulos cõprehenduntur. *Dicuntur* Frigidæ, *propter solis in iis remotionem.*
      2. *Latitudo,* estque 23 grad. 30 min. h. e. 352. mill. Germ.
      3. *Quotuplices sint?* R.
         - *Septentrionalis,* inter circulum arcticum & polum arcticum.
         - *Meridionalis,* inter circulum antarcticum & polum antarcticum.
- **CLIMATUM, de quib. 3. not.**
  - *I. Quid sit?* R: CLIMA est terræ spacium duobus circulis Æquatori parallelis inclusum, in quo dies longissima semisse horæ variatur.
  - *II. Quot sint?* R. Veteres 7. Climata numerarunt, quorum ultimi medium habet diem longissimum 19. horarum: Recentiores vero 23. Climata computant, quorum ultimi medium diem longissimum 24. horarum complectitur.
  - *III. Regulæ.*
    1. Nullum Clima est ejusdem magnitudinis cum altero in eodem hemisphærio.
    2. Climata, quo Æquatori sunt viciniora, eo magis sunt capacia; & contra.
    3. Latitudo primi Climatis est fere octo graduum, postremi non totidem quidem minutorum.
    4. Zonæ & Climata differunt, non tantum numero, sed etiam magnitudine. Zonæ enim sunt majores, Climata vero minora.



TABULÆ

TABULÆ

Ostendentes quæ Signa recte, quæve oblique oriantur

In SPHÆRA RECTA

In Sphæra Recta oriuntur	*Oblique*,	♈ ♍ ♎ ♓	27 *Gr.*	54 *Min.*
		♉ ♌ ♏ ♒	29 *Gr.*	54 *Min.*
	Recte,	♊ ♋ ♐ ♑	32 *Gr.*	12 *Min.*

In SPHÆRA OBLIQUA.

In Sphæra *obliqua* ad altitudinem poli 52. grad. oriuntur	*Oblique*,	♈ ♓	12 *Gr.*	48 Min.
		♉ ♒	16 *Gr.*	54 *Min.*
		♊ ♑	26 *Gr.*	29 *Min.*
	Recte,	♋ ♐	37 *Gr.*	48 *Min.*
		♌ ♏	42 *Gr.*	54 *Min.*
		♍ ♎	43 *Gr.*	0 *Min.*

In Sphæra *obliqua* ad altitudinem 51. grad. oriuntur	*Oblique*,	♈ ♓	13 *Gr.*	21 *Min.*
		♉ ♒	17 *Gr.*	25 Min.
		♊ ♑	26 *Gr.*	45 Min.
	Recte,	♋ ♐	37 *Gr.*	39 Min.
		♌ ♏	42 *Gr.*	23 Min.
		♍ ♎	42 *Gr.*	27 Min.

G.	♈ Grad.	Min.	♉ Grad.	Min.	♊ Grad.	Min.	♋ Grad.	Min.	♌ Grad.	Min.	♍ Grad.	Min.
0	0	0	27	54	57	48	90	0	122	12	152	6
1	0	55	28	51	58	51	91	6	123	14	153	3
2	1	50	29	49	59	54	92	12	124	16	154	0
3	2	4	30	46	60	57	93	17	125	18	154	57
4	3	40	31	44	62	0	94	22	126	20	155	54
5	4	35	32	42	63	3	95	22	127	22	156	51
6	5	30	33	40	64	6	96	33	128	24	157	48
7	6	25	34	39	65	9	97	38	129	25	158	45
8	7	20	35	37	66	13	98	43	130	26	159	41
9	8	15	36	36	67	17	99	48	131	27	160	37
10	9	11	37	35	68	21	100	53	132	27	161	33
11	10	6	38	34	69	25	101	58	133	28	162	29
12	11	1	39	33	70	29	103	3	134	29	163	25
13	11	57	40	32	71	33	104	8	135	29	164	21
14	12	52	41	31	72	38	105	13	136	29	165	17
15	13	48	42	31	73	43	106	17	137	29	166	12
16	14	43	43	31	74	47	107	22	138	29	167	8
17	15	39	44	31	75	52	108	27	139	28	168	3
18	16	35	45	31	76	57	109	31	140	27	168	59
19	17	31	46	32	78	2	110	35	141	26	169	54
20	18	27	47	33	79	7	111	39	142	25	170	40
21	19	23	48	33	80	12	112	43	143	24	171	45
22	20	19	49	34	81	17	113	47	144	23	172	40
23	21	15	50	35	82	22	114	51	145	21	173	35
24	22	12	51	36	83	27	115	54	146	20	174	30
25	23	9	52	38	84	39	116	57	147	18	175	25
26	24	6	53	40	85	38	118	0	148	16	176	20
27	25	3	54	42	86	43	119	3	149	14	177	15
28	26	0	55	44	87	48	120	6	150	11	178	10
29	26	57	56	46	88	54	121	9	151	9	179	5
30	27	54	57	48	90	0	122	12	172	6	180	0



	♎		♏		♐		♑		♒		♓	
G.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.
0	180	0	207	54	237	48	270	0	302	12	332	6
1	180	55	208	51	238	51	271	6	303	14	333	3
2	181	50	209	49	239	54	272	12	304	16	334	0
3	182	45	210	46	240	57	273	17	305	18	334	57
4	183	40	211	44	242	0	274	22	306	20	335	54
5	184	35	212	42	243	3	275	27	307	22	336	51
6	185	30	213	40	244	6	276	33	308	24	337	48
7	186	25	214	39	245	9	277	38	309	25	338	45
8	187	20	215	37	246	13	278	43	310	26	339	41
9	188	15	216	36	247	17	279	48	311	27	340	37
10	189	11	217	35	248	21	280	53	312	27	341	33
11	190	6	218	34	249	25	281	58	313	28	342	29
12	191	1	219	33	250	29	283	3	314	29	343	25
13	191	57	220	31	251	33	284	8	315	29	344	21
14	192	52	221	31	252	38	285	13	316	29	345	17
15	193	48	222	31	253	43	286	17	317	29	346	12
16	194	43	223	31	254	47	287	22	318	29	347	8
17	195	39	224	31	255	31	288	27	319	28	348	3
18	196	35	225	31	256	57	289	31	320	27	448	59
19	197	31	226	32	258	2	290	35	321	26	349	54
20	198	27	227	33	159	7	291	39	322	25	350	50
21	199	23	228	33	260	12	292	43	323	24	351	45
22	200	19	229	34	261	17	293	45	324	23	352	40
23	201	15	230	35	262	22	294	51	325	21	353	35
24	202	12	231	30	263	27	295	54	326	20	354	30
25	203	9	232	38	264	33	296	57	327	18	355	25
26	204	6	233	40	265	38	298	0	328	16	356	20
27	205	3	234	42	266	43	299	3	329	14	357	15
28	206	0	235	44	267	48	300	6	330	11	358	10
29	206	57	236	46	268	54	301	9	331	9	359	5
30	207	54	237	46	270	0	302	12	332	6	360	0

G.	♈ Grad.	♈ Min.	♉ Grad.	♉ Min.	♊ Grad.	♊ Min.	♋ Grad.	♋ Min.	♌ Grad.	♌ Min.	♍ Grad.	♍ Min.
0	0	0	12	48	29	42	56	11	94	6	137	30
1	0	24	13	16	30	24	57	17	95	30	137	37
2	0	48	13	45	31	7	58	24	96	54	139	54
3	1	13	14	14	31	50	59	31	98	18	141	20
4	1	37	14	43	32	34	60	39	99	42	142	47
5	2	2	15	12	33	18	61	48	101	7	144	13
6	2	26	15	42	34	3	62	58	102	32	145	40
7	2	51	16	13	34	49	64	9	103	57	147	6
8	3	15	16	43	35	36	65	20	105	22	148	32
9	3	40	17	14	36	24	66	32	106	47	149	5
10	4	5	17	45	37	12	67	45	108	12	151	24
11	4	30	17	16	38	1	68	59	109	38	152	50
12	4	55	18	48	38	5	70	13	111	4	154	16
13	5	20	19	20	39	42	71	28	112	30	155	42
14	5	45	19	52	40	34	72	44	113	56	157	8
15	6	10	20	25	41	26	74	0	115	23	158	39
16	6	35	20	59	42	19	75	17	116	49	160	0
17	7	1	21	34	43	11	76	34	118	15	161	26
18	7	26	22	8	44	8	77	52	119	42	162	52
19	7	52	22	43	45	3	79	11	121	8	164	18
20	8	18	23	18	45	59	80	30	122	35	165	43
21	8	44	23	54	46	56	81	50	124	2	167	9
22	9	11	24	31	47	54	83	21	125	28	168	35
23	9	37	25	8	48	53	84	31	126	55	170	1
24	10	4	25	45	49	55	85	51	128	22	171	27
25	10	31	26	23	50	54	87	12	129	48	172	52
26	10	58	27	2	51	56	88	34	131	15	174	18
27	21	25	27	41	52	59	89	57	132	41	175	44
28	11	53	28	21	54	2	91	20	134	8	177	9
29	12	20	29	1	55	6	92	43	135	34	178	35
30	12	48	29	42	56	11	94	6	137	30	180	0

	♎		♏		♐		♑		♒		♓	
G.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.
0	180	0	213	0	265	54	303	49	330	18	347	12
1	181	25	224	26	267	1	304	54	330	59	347	49
2	182	51	225	56	268	40	305	58	331	39	348	7
3	184	16	[illegible]	19	270	23	307	1	332	19	348	35
4	186	42	228	45	271	26	308	4	332	58	349	2
5	187	8	230	12	272	48	309	6	333	37	349	29
6	188	33	231	38	274	9	310	7	334	15	349	56
7	189	59	233	5	275	29	311	7	334	52	350	23
8	191	25	234	32	276	50	312	6	335	29	350	49
9	192	51	235	58	278	10	313	4	336	6	351	16
10	194	17	237	25	279	30	314	1	336	42	351	42
11	195	42	238	52	280	49	314	45	337	17	352	8
12	197	8	240	18	282	8	315	52	337	52	352	34
13	198	34	241	45	283	26	316	77	338	26	352	59
14	200	0	243	11	284	43	317	41	339	1	353	26
15	201	26	244	37	286	9	318	34	339	35	353	51
16	202	52	246	4	287	16	319	26	340	8	354	15
17	204	18	247	30	288	32	320	18	340	4	354	40
18	205	44	248	56	289	47	321	9	341	12	355	5
19	207	10	250	22	291	1	321	59	341	44	355	30
20	208	36	251	48	292	15	322	48	342	15	355	55
21	210	2	253	13	293	28	323	36	342	46	356	20
22	211	28	254	38	294	40	324	24	343	17	356	45
23	212	54	256	3	295	51	325	11	343	47	357	9
24	214	20	257	28	297	2	325	57	344	18	357	34
25	215	47	258	53	298	12	326	42	344	48	357	58
26	217	13	260	18	299	21	327	16	345	17	358	24
27	218	40	261	42	300	29	328	10	345	46	358	47
28	220	6	263	0	301	35	328	52	346	15	359	12
29	221	33	264	39	302	43	329	39	346	44	359	36
30	223	0	265	54	303	42	330	18	347	12	360	0

	♈		♉		♊		♋		♌		♍	
G.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.
0	0	0	13	21	30	45	57	31	95	10	137	33
1	0	25	13	50	31	29	58	37	96	33	138	59
2	0	50	14	20	32	13	59	44	97	56	140	24
3	1	16	14	50	32	57	60	51	99	19	141	50
4	1	41	15	20	33	42	61	59	100	42	143	15
5	2	7	15	50	34	27	63	8	102	6	144	40
6	2	32	16	21	35	13	64	18	103	30	146	6
7	2	58	16	53	36	0	65	20	104	54	147	32
8	3	24	17	24	36	48	66	40	106	18	148	56
9	3	50	17	56	37	36	67	52	107	42	150	25
10	4	16	18	28	38	25	69	4	109	7	151	45
11	4	42	19	1	39	15	70	17	110	32	153	11
12	5	8	19	34	40	5	71	30	111	27	154	36
13	5	34	20	7	40	56	72	44	113	22	156	1
14	6	0	20	40	41	48	73	59	114	47	157	26
15	6	26	21	14	42	41	75	15	116	12	158	50
16	6	52	21	49	43	35	76	32	117	27	160	15
17	7	19	22	25	44	30	77	50	119	2	161	40
18	7	46	23	1	45	25	79	8	120	27	163	5
19	8	13	23	37	46	21	80	25	121	52	164	30
20	8	40	24	13	47	18	81	43	123	18	165	54
21	9	7	24	50	48	16	83	2	124	43	167	19
22	9	35	25	28	49	14	84	21	126	9	168	44
23	10	2	26	6	50	13	85	41	127	35	170	8
24	10	30	26	44	51	13	87	1	129	1	171	33
25	10	58	27	22	52	14	88	21	130	26	172	57
26	11	26	28	1	53	16	89	42	131	52	174	22
27	11	55	28	41	54	19	91	4	133	17	175	47
28	12	23	29	22	55	22	92	26	134	43	177	1
29	12	52	30	4	56	26	93	48	136	8	178	3
30	13	21	30	46	57	31	95	10	137	33	180	0

	♎		♏		♐		♑		♒		♓	
G.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min.	Grad.	Min
0	180	0	222	27	264	50	302	29	329	14	346	39
1	181	24	223	52	266	12	303	34	329	56	347	8
2	182	49	225	17	267	34	304	38	330	38	347	37
3	184	13	226	43	268	56	305	41	331	19	348	5
4	185	38	228	8	270	18	306	44	331	59	348	34
5	187	3	229	34	271	39	307	46	332	38	349	2
6	188	27	230	59	272	59	308	47	333	16	349	30
7	189	52	232	25	274	19	309	47	333	54	349	58
8	191	16	233	15	275	39	310	46	334	32	350	25
9	192	41	235	17	276	58	311	44	335	10	350	53
10	194	6	236	42	278	17	312	42	335	47	351	20
11	195	30	238	8	279	35	313	39	336	23	351	47
12	196	55	239	33	280	52	314	35	336	59	352	14
13	198	20	240	58	282	10	315	50	337	35	352	41
14	199	45	242	23	283	28	316	25	338	11	353	8
15	201	10	243	48	284	45	317	19	338	46	353	34
16	202	34	245	13	286	1	318	12	339	20	354	0
17	203	55	246	38	287	16	319	4	339	53	354	26
18	205	34	248	3	288	30	319	55	340	26	354	12
19	206	49	249	28	289	43	320	45	340	59	355	18
20	208	14	250	53	290	56	321	15	341	32	355	44
21	209	39	252	18	292	8	322	24	342	4	356	10
22	211	4	253	42	293	20	323	12	342	36	356	26
23	212	29	255	6	294	3	324	0	343	7	357	2
24	213	54	256	30	295	42	324	47	343	39	357	28
25	215	20	257	51	296	52	325	32	344	10	357	53
26	216	44	259	18	298	2	326	18	344	40	358	19
27	218	10	260	41	299	9	327	3	345	10	358	44
28	219	36	262	4	300	16	327	47	345	40	359	10
29	221	1	263	27	301	23	328	31	346	10	359	35
30	222	27	264	50	302	29	329	14	346	39	360	0

FINIS.

1709